PRINCIPIA THEOLOGIÆ MORALIS.

APPROBATIO OPERIS.

Cum librum, cui est titulus *Principia Theologiæ Moralis*, a Patre T. Slater nostræ Societatis sacerdote conscriptum, aliqui ejusdem Societatis theologi, quibus id fuit commissum, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

REGINALD COLLEY, S.J.,
Præp. Prov. Angliæ.

Imprimatur:

HERBERTUS CARDINALIS VAUGHAN,
Archiep. Westmon.

13 *Dec.* 1901.

SL 15

PRINCIPIA

THEOLOGIÆ MORALIS

AUCTORE

THOMA SLATER

E SOC JESU



LONDINII

BURNS ET OATES

28 ORCHARD STREET

1902

16233

ROEHAMPTON:

PRINTED BY JOHN GRIFFIN

PRÆFATIO.

QUAMVIS plurimi auctores recenter scripserunt de theologia morali, pauci tamen considerarunt leges et speciales circumstantias quæ in Anglia vigent, hi vero aliqua tantum Angliam respicientia per transennam attigerunt. Attamen plurima sunt apud nos specialia a theologo morali perpendenda si rectum judicium de quæstionibus occurrentibus proferre velit. Quod patet de iis quæ a theologis tradi solent de Justitia, de quarto Decalogi præcepto, de Statibus Particularibus, quin tamen omnia specialia iis tractatibus contineantur, ut lectori patebit. Unde omittendo doctrinam de Sacramentis, de Censuris, de Irregularitatibus, quæ fere communis est, in meo libello ceteros tractatus compendiose, in usum præsertim tironum, sum complexus, doctrinam brevibus conclusionibus, solida tamen aliqua ratione assignata, et lectore qui ampliorem tractationem desiderat ad aliquem gravem auctorem remisso, exhibendo. Quæ de Justitia et de quarto Decalogi præcepto hic habentur partim jam publici juris erant facta libello primo edito anno 1898.

Ubi agitur de præscriptis jure municipali sæpe vocabula Anglica adhibui etiam in ipso textu, qui modus præferendus videbatur potius quam ut notiones juris nostri terminis juris Romani cum periculo ne res male intelligerentur exprimere conarer, vel ut vocabula quoad formam tantum Latina adhiberem. Sæpe etiam in commodum lectoris dispositiones legis nostræ in notis lingua vernacula dedi.

Cedat libellus in profectum scientiæ theologicæ, in salutem animarum, et in Majorem Dei Gloriam.

Auctor

Collegii S. Beunonis, 1901.

AUCTORES ET EDITIONES CITATI.

S. Alphonsus, *Theologia Moralis, ex typis Marietti*, 1825.
Analecta Ecclesiastica, 1893 sqq.
Anson, Sir W., *Law of Contract*, 7th Edit. 1893.
Antoine, C., S.J., *Cours d'économie sociale*, 1896.
Ballerini, A., S.J., *Opus Theologicum morale*, Ed. 2, 1892—1894.
Bucceroni, J., S.J., *Institutiones Theologiæ moralis*, Ed. 2, 1893.
Chitty, J., *Law of Contracts*, 5th Edit. 1853.
Collectanea S. Cong. de Prop. Fide, 1893.
Crolly, G., *De Justitia et Jure*, 1870—1877.
Decreta quatuor Conciliorum Westmonasteriensium, Salfordii.
Encyclopœdia of the Laws of England, 1897, 1898.
Eversley, W. P., *The Law of the Domestic Relations*, 1885.
Goddard, J. L., *The Law of Easements*, 4th Edit. 1891.
Holland, T. C., *Elements of Jurisprudence*, 3rd Edit. 1886.
Indermaur, J., *Principles of the Common Law*, 6th Edit. 1891.
Maude, W. C., *Custody of Children*, 3rd Edit. 1894.
Pollock, Sir F., *Principles of Contract*, 4th Edit. 1885.
Stephen, *Commentaries on the Laws of England*, 11th Edit. 1890.
Van Gestel, A., S.J., *De Justitia et Lege Civili*, Ed. 2, 1896.

INDEX.

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

PAG.

CAP. I.—De Actibus humanis physice spectatis . 1
„ II.—De Voluntario ejusque divisionibus . . 7
„ III.—De Voluntarii impedimentis . . . 12
Art. I. De Ignorantia . . . 12
„ II. De Concupiscentia . . 15
„ III. De Metu et Vi . . . 17
„ IV.—De Actibus humanis moraliter spectatis . 21
Art. I. De essentia moralitatis . . 21
„ II. De fontibus moralitatis . . 25
Sectio I. De fine . . 25
„ II. De objecto . . 28
„ III. De circumstantiis . 29

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT UNICUM.—De Conscientia 32
Art. I. De conscientia certa . . 33
„ II. De conscientia probabili . . 38
„ III. De conscientia dubia . . 49
„ IV. De conscientia scrupulosa . 52

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

CAP. I.—De natura legis 57
„ II.—De auctore legis 63
„ III.—De objecto legis 68
„ IV.—De subjecto legis 71
„ V.—De acceptatione legis 75

PAG.

Cap. VI.—De obligatione legis 77
„ VII.—De causis a lege deobligantibus . . 81
„ VIII.—De interpretatione legis . . . 84
„ IX.—De cessatione legis 88
„ X.—De præcipuis legum speciebus . . . 93
Art. I. De lege naturali . . . 93
„ II. De lege positiva divina . . 94
„ III. De lege ecclesiastica . . 95
„ IV. De lege pœnali . . . 97
„ V. De lege irritante . . . 99
„ VI. De lege civili . . . 101
„ VII. De consuetudine . . . 105
„ VIII. De privilegiis . . . 109
Sectio I. De privilegiis in genere 109
„ II. De privilegiis clericorum 111
„ III. De privilegiis regularium 114

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS.

PARS I.

DE PECCATIS IN GENERE.

Cap. I.—De natura peccati 116
„ II.—De specifica peccatorum distinctione . 119
„ III.—De numerica peccatorum distinctione . 122
„ IV.—De gravitate peccati 127

PARS II.

DE PECCATIS IN SPECIE.

Cap. I.—De peccatis internis 132
„ II.—De Vitiis capitalibus 138
Art. I. De Superbia . . . 138
„ II. De Avaritia . . . 141
„ III. De Luxuria . . . 141
„ IV. De Invidia . . . 143
„ V. De Gula 144
„ VI. De Ira 148
„ VII. De Acedia . . . 150

PAG.

TRACTATUS V.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

SECTIO I.

DE FIDE.

Cap. I.—De necessitate Fidei 151
„ II.—De peccatis contra Fidem . . . 155
„ III.—De Fide exterius profitenda . . . 160

SECTIO II.

DE SPE . . . 165

SECTIO III.

DE CARITATE.

Cap. I.—De caritatis necessitate 168
„ II.—De ordine caritatis 172
„ III.—De dilectione inimicorum . . . 176
„ IV.—De eleemosyna 179
„ V.—De correptione fraterna . . . 183
„ VI.—De scandalo 186

TRACTATUS VI.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

SECTIO I.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Cap. I.—De actibus Religionis 194
Art. I. De Oratione . . . 195
„ II. De Adoratione . . . 198
„ II.—De peccatis religioni oppositis . . 201
Art. I. De Superstitione . . . 201
§ 1. De modo superstitioso cultus vero Deo exhibendi . 201
§ 2. De Idololatria . . 202
§ 3. De Divinatione . . 203
§ 4. De vana Observantia . 206

*

PAG.

Art. II. De peccatis religioni oppositis secundum defectum . . 209
§ 1. De Tentatione Dei . . 209
§ 2. De Sacrilegio . . . 211
§ 3. De Simonia . . . 216

SECTIO II.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Cap. I.—De vana Nominis Dei usurpatione . . 221
„ II.—De Blasphemia 222
„ III.—De Juramento 224
„ IV.—De Voto 230
Art. I. De conditionibus ad votum requisitis 230
„ II. De obligatione voti . . 233
„ III. De voti cessatione . . 235
§ 1. De irritatione voti . . 235
§ 2. De voti dispensatione . 237
§ 3. De voti commutatione . 240
Appendix.—De Adjuratione . . . 242

SECTIO III.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

Cap. I.—De iis quæ diebus festivis præcipiuntur . 244
Art. I. De Missa audienda . . 244
§ 1. De tota Missa audienda . 245
§ 2. De loco debito . . 246
§ 3. De præsentia requisita . 248
§ 4. De attentione mentis . . 248
„ II. De causis ab audienda Missa excusantibus . . . 250
„ II.—De iis quæ festo die prohibentur . . 252
Art. I. De operibus prohibitis . . 252
„ II. De causis ab hac lege excusantibus 253

PAG.

SECTIO IV.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Art. I. De obligationibus filiorum . . . 256
„ II. De obligationibus parentum . . . 259
„ III. De custodibus 268
„ IV. De cognatorum obligationibus . . 270
„ V. De conjugum obligationibus . . . 271
„ VI. De obligationibus dominorum et famulorum . 272
„ VII. De obligationibus magistrorum et discipulorum 277
„ VIII. De obligationibus superiorum ecclesiasticorum et inferiorum 277
„ IX. De obligationibus inferiorum et superiorum civilium 278

SECTIO V.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Cap. I.—De Suicidio 280
„ II.—De occisione malefactoris . . . 283
„ III.—De occisione injusti aggressoris . . 285
„ IV.—De occisione innocentis . . . 288
„ V.—De duello 293
„ VI.—De bello 295

SECTIO VI.

DE SEXTO ET NÓNO DECALOGI PRÆCEPTO.

Cap. I.—De Luxuria 298
„ II.—De peccatis luxuriæ non consummatis . 303
„ III.—De peccatis luxuriæ consummatis . . 308
Art. I. De peccatis consummatis juxta naturam . . . 308
§ 1. De Fornicatione . . 308
§ 2. De Stupro . . . 309
§ 3. De Raptu . . . 309
§ 4. De Adulterio . . . 310
§ 5. De Incestu . . . 310
§ 6. De Sacrilegio . . . 311

PAG.

Art. II. De peccatis consummatis contra naturam . . . 311
§ 1. De Mollitie . . . 311
§ 2. De Sodomia . . . 315
§ 3. De Bestialitate . . 316

SECTIO VII.

DE SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

PARS I.

DE JUSTITIA.

CAP. I.—Notiones præviæ 317
§ 1. De Justitia et Jure . . 317
§ 2. De Dominio . . . 320
§ 3. De Possessione . . 323
„ II.—De objecto dominii 326
„ III.—De subjecto dominii 328
§ 1. De subjecto dominii in genere 328
§ 2. De dominio filiorumfamilias 329
§ 3. De dominio uxorum . . 330
§ 4. De Ecclesiæ dominio . 332
§ 5. De dominio clericorum . 334
§ 6. De dominio auctorum . 339
„ IV.—De titulo dominii 342
Art. I. De Occupatione . . . 342
§ 1. De Inventione . . 343
§ 2. De Venatione et Piscatione . 345
„ II. De Accessione . . . 347
„ III. De præscriptione . . 349
„ V.—De Contractibus 359
Art. I. De contractibus in genere . 359
„ II. De consensu . . . 364
„ III. De contrahendi capacitate . 370
„ IV. De objecto contractus . . 371
„ V. De causa contractus . . 374
„ VI. De cessatione obligationis contractus 376
„ VII. De accidentalibus contractus . 377

PAG.

CAP. VI.—De Contractibus in specie . . . 379
Art. I. De Promissione . . . 379
„ II. De Donatione . . . 380
„ III. De Testamentis . . . 382
„ IV. De Mutuo et Usura . . 386
„ V. De Venditione et Emptione . 390
Sectio I. De Venditione Mobilium 391
§ 1. De ipso contractu . . 391
§ 2. De re vendita . . 392
§ 3. De pretio . . . 393
§ 4. De dominii translatione . 396
§ 5. De contractus executione . 398
Sectio II. De Venditione immobilium 400
„ VI. De Venditione sub hasta . 403
„ VII. De Monopolio . . . 404
„ VIII. De "Bailment" . . . 406
§ 1. De Deposito . . . 407
§ 2. De Mandato . . . 408
§ 3. De Commodato . . 408
§ 4. De Locatione rei . . 409
§ 5. De Pignore . . . 409
§ 6. De Locatione operis . . 410
Art IX. De negotiorum gestione . . 412
„ X. De Emphyteusi . . . 415
„ XI. De Assecuratione . . . 418
„ XII. De contractu Societatis . . 420
„ XIII. De Loteria . . . 421
„ XIV. De Sponsione . . . 422
„ XV. De Ludo 423

PARS II.

DE LÆSIONE JUSTITIÆ.

CAP. I.—De Injuria in genere 425
„ II.—De Furto 427

PAG.

PARS III.

DE INJUSTITIÆ REPARATIONE.

CAP. I.—De Restitutione in genere . . . 432
„ II.—De Radicibus restitutionis . . . 434
Art. I. De Acceptione rei alienæ . 434
Sectio Prima. De Possessore bonæ fidei 434
Sectio Altera. De Possessore malæ fidei 437
Sectio Tertia. De Possessore dubiæ fidei 438
„ II. De injusta Damnificatione . 439
Sectio Prima. De Damnificatione in genere . . . 439
Sectio Altera. De Damnificatione in specie . . . 443
„ III.—De Restitutione ex injusta Cooperatione . 446
„ IV.—De variis circumstantiis restitutionis . 449
Art. I. Cui sit restituendum . . 449
„ II. Quantum sit restituendum . 450
„ III. Quo ordine sit restituendum . 451
„ IV. Quomodo sit restituendum . 454
„ V. Quando sit restituendum . 455
„ V.—De causis a restitutione excusantibus . 456
„ VI.—De occulta compensatione . . . 458

SECTIO VIII.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAP. I.—De Judicio temerario 459
„ II.—De Detractione 461
„ III.—De Contumelia 465
„ IV.—De Mendacio 467

TRACTATUS VII.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

CAP. I.—De obligatione sustentandi Ecclesiæ ministros 474

PAG.
Cap. II.—De festis diebus observandis . . 475
„ III.—De annua confessione et communione . 477
Art. I. De annua confessione . . 477
„ II. De annua communione . . 478
„ IV.—De abstinentiæ et jejunii præceptis . . 480
Art. I. De Abstinentia . . . 480
„ II. De Jejunio . . . 482

TRACTATUS VIII.

DE PARTICULARIBUS OBLIGATIONIBUS.

SECTIO I.

DE OBLIGATIONIBUS QUORUMDAM LAICORUM.

Cap. I.—De Judicibus 488
„ II.—De Advocatis 495
„ III.—De Actore, Reo et Testibus . . . 499
§ 1. De Actore . . . 499
§ 2. De Reo . . . 500
§ 3. De Testibus . . . 502
„ IV.—De Medici obligationibus . . . 504

SECTIO II.

DE PARTICULARIBUS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS.

Cap. I.—De positivis Clericorum obligationibus . 506
Art. I. De vitæ Sanctitate . . 506
„ II. De cœlibatu clericorum . . 507
„ III. De gestione habitus et tonsuræ 508
„ IV. De obligatione recitandi Horas canonicas . . . 510
§ 1. Quanta sit obligatio Officii . 510
§ 2. Quonam ritu sit recitandum 513
§ 3. Quonam ordine sit recitandum 514
§ 4. Quali pronunciatione sit recitandum . . . 515
§ 5. Quo tempore sit recitandum 516

PAG.
§ 6. Quo loco et situ . . 518
§ 7. De intentione et attentione requisita . . . 518
§ 8. De causis a recitando Officio excusantibus . . . 519
CAP. II.—De negativis clericorum obligationibus . 522
Art. I. De gestatione armorum et de Venatione . . . 522
„ II. De illicitis ludis, choreis, spectaculis . . . 523
„ III. De cohabitatione clericorum cum mulieribus . . 524
„ IV. De negotiatione clericis interdicta 525
„ V. De aliis quibusdam clericis prohibitis . . . 527
„ III.—De Beneficiis 529
„ IV.—De obligationibus clericorum in specie . . 531
Art. I. De obligationibus Episcoporum 531
„ II. De Canonicis . . . 533
„ III. De Parochis et quasi-Parochis . 535
„ IV. De sacerdotibus non curatis . 539
„ V.—De obligationibus Religiosorum . . 543
Art. I. De natura status religiosi . 543
„ II. De vocatione ad statum religiosum 548
„ III. De Novitiatu . . . 549
„ IV. De Professione . . . 552
„ V. De Paupertate . . . 554
„ VI. De Voto Castitatis . . 559
„ VII. De Voto Obedientiæ . . . 563

INTRODUCTIO.

THEOLOGIA moralis est ea pars theologiæ quæ circa mores versatur. Distinguitur a theologia dogmatica quæ circa dogmata seu credenda versatur; aliis verbis theologia dogmatica tractat ea quæ sunt a Catholico credenda, theologia moralis ea quæ sunt facienda vel non facienda.

Juxta definitionem realem theologia moralis est illa theologiæ pars, quæ innixa jure divino, per revelationem manifestato, inquirit quid liciti, quid illiciti sit in humanis actionibus, ut has dirigat in ordine ad vitam æternam.

Est igitur pars theologiæ, quæ, juxta S. Thomam, I. q. 1, a. 4, est tum speculativa tum practica, speculativa quatenus agit de rebus divinis, practica quatenus agit de actibus humanis "secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit."

Sicut theologia speculativa seu dogmatica differt a theologia naturali, ita theologia practica seu moralis differt ab ethica. Theologia enim naturalis differt a theologia dogmatica præcipue medio cognitionis. Theologia quidem naturalis agit de Deo prout cognoscitur lumine rationis; theologia dogmatica agit de Deo prout cognoscitur lumine revelationis; ita ethica seu philosophia moralis agit de

actibus humanis prout ordinem dicunt ad finem naturalem ope rationis cognitum, theologia moralis agit de actibus humanis prout ordinem dicunt ad finem supernaturalem ope revelationis cognitum.

Differt igitur theologia moralis ab ethica ex parte finis quem spectat. Ethica nihil scit de fine supernaturali, respicit tantum finem naturalem hominis per rationem manifestatum. Per revelationem autem scimus hominem esse elevatum ad finem supernaturalem, ad visionem beatificam, et theologia moralis innixa revelatione inquirit quid faciendum vel evitandum sit ab homine ut hunc finem supernaturalem acquirat.

Deinde, theologia moralis differt ab ethica partim subjecta materia; nam quamvis actus humani sunt subjecta materia tum ethicæ tum theologiæ moralis, attamen quatenus sunt subjecta materia theologiæ moralis diverso modo respiciuntur. Actus enim humani sunt media ad finem hominis adipiscendum. Finis vero hominis quem respicit theologia moralis est supernaturalis, ad quem obtinendum media debent esse supernaturalia, hinc theologia moralis inquirit quid requiratur ut actiones humanæ sint non tantum naturaliter honestæ sed ut merito vitæ æternæ sint dignæ. Præterea actiones humanæ quæ sunt meritoriæ vitæ æternæ sunt actus virtutis supernaturalis, hinc theologia moralis tractat de virtutibus supernaturalibus, de fide, spe et caritate, et aliis de quibus ethica nihil scit. Ad actus virtutis

supernaturalis exercendos non sufficiunt vires naturales sed requiritur auxilium gratiæ, quæ habetur præcipue per orationem et sacramenta; hinc de his quoque tractat theologia moralis quatenus sunt media ad finem supernaturalem obtinendum.

Nec minus differunt fontes unde scientia theologiæ moralis hauriatur a fonte ethicæ. Unicus fere fons ethicæ est ratio humana naturalis; theologia vero moralis innititur revelatione, nam per revelationem tantum scire possumus esse finem supernaturalem homini destinatum et quid sit faciendum ad hunc finem supernaturalem obtinendum. Revelatio autem nobis innotescit per Sacram Scripturam et traditionem, per doctrinam ab Ecclesia propositam. Hinc quamvis ratio, fide duce, applicat principia ad casus particulares et aliqua quæ non continentur in revelatione etiam statuat, proprie tamen fons theologiæ non est, sed theologus doctrinam haurit ex Sacra Scriptura, ex Sanctis Patribus, Conciliis, decretis Summorum Pontificum vel Sacrarum Congregationum Romanarum, vel denique ex sententiis theologorum ab Ecclesia approbatorum. Hinc ad doctrinam moralem stabiliendam, ad casus particulares solvendos, provocamus ad Sacram Scripturam, ad Sanctos Patres, ad Concilia, decreta Pontificum vel Sacrarum Congregationum, vel ad auctoritatem Doctorum catholicorum.

Differt vero theologia moralis a jure canonico quatenus jus canonicum leges tradit quæ ad forum externum seu ad regimen Ecclesiæ externum

spectant, theologia moralis spectat forum internum conscientiæ.

Inquirit quid liciti, quid illiciti sit in humanis actionibus, seu quid sit faciendum ad peccatum vitandum, seu agit theologia moralis de obligationibus quæ ligant sub peccato, et ita differt ab ascetica quæ tractat de iis quæ ad perfectionem attinent. Posset quidem jure suo theologia moralis etiam de iis quæ ad perfectionem attinent tractare, usu tamen evenit ut propter amplitudinem materiæ ista speciali disciplinæ hodie ordinarie relinquantur. Theologia igitur moralis tradit quid sit ad salutem *necessarium*, quod est a confessario sciendum ne nimis grave onus pœnitentibus imponat, quamvis non semper hoc erit contentus, sed prudenter ad perfectiora provocabit.

Illum modum theologiæ moralis tradendi qui in scholis fere communis videtur sum secutus, ita ut doctrina de aliquo capite brevibus principiis seu regulis exhibeatur quæ explicata et breviter probata mox practicis exemplis illustretur. Experientia enim docet hac methodo expedita hujus scientiæ studiosos non mediocrem cognitionem sat brevi tempore sibi posse adipisci, ita ut cum magno fructu animarum in sacramentis administrandis et præsertim in confessionibus audiendis in vinea Domini laborare valeant. In opinionibus seligendis communem sententiam sequi studui, notatis tamen aliis opinionibus quæ probabilitate gaudere viderentur.

TRACTATUS I.

De Actibus Humanis.

CAPUT I.

DE ACTIBUS HUMANIS PHYSICE SPECTATIS.

Quum theologia moralis tractet de actibus humanis quatenus ordinant hominem ad finem ultimum, de his primo est agendum. Possunt vero actus humani considerari vel in se vel relate ad finem ad quem ducunt. Primo igitur considerabimus actus humanos in se, seu quid sit actus humanus, quænam ejus elementa constituentia, et quomodo deficere possit a propria sua natura ob impedimenta quædam; uno verbo considerabimus actum humanum *physice* spectatum.

I. Actus humanus est qui procedit a deliberata hominis voluntate; seu est actus procedens a voluntate libera cum advertentia ad bonitatem vel malitiam actus.

Nam actus humanus proprie talis est actus qui procedit ab homine in quantum est homo. Proprium autem est hominis per rationem et voluntatem agere.

Unde ille actus qui procedit a ratione et voluntate, seu a deliberata hominis voluntate proprie dicitur actus humanus.

Actus vero qui fiunt ab homine dormiente, ebrio, amente, sine prævia cognitione et liberi arbitrii usu vocantur *actus hominis* ut ab actibus humanis distinguantur. S. Thomas, I-II. q. 1, a. 1.

Tria igitur elementa inveniuntur in actu humano, cognitio rationalis, libertas, voluntarium.

Cognitio saltem aliqualis, confusa, requiritur, quia voluntas tendit quidem in bonum, at cum sit appetitus rationalis et consequatur formam apprehensam, nonnisi in bonum aliquatenus cognitum tendit, unde nil volitum quin præcognitum. S. Thomas, I-II. q. 8, a. 1.

Libertas proprie dicitur de voluntate ut potentia, et transfertur ad actum qui a voluntate libere dimanat. Libertas vero de qua agimus non consistit tantum in immunitate a coactione physica, sed etiam a determinatione intrinseca ad unum, ita ut homo habeat potentiam physicam eligendi hoc vel illud, hoc vel ejus contrarium vel ejus contradictorium, et sic possit eligere hoc bonum vel illud, bonum vel malum, facere malum vel non facere.

II. Voluntatem hominis esse liberam est de fide, et constat ex Sacra Scriptura, Eccli. xxxi. 10; ex Trid. sess. vi. can. 5, 6; ex prop. 3 Cornelii Jansenii damnata ab Inn. X. 31 Maji 1653; et ex philosophia. S. Thomas, I-II. q. 10, aa. 2—4.

Proposito objecto voluntati aliquando sequuntur motus voluntatis qui dicuntur *primo-primi*, et qui antecedunt usum rationis quatenus intellectus non-

dum proposuit voluntati motiva absterrentia, ac proinde non sunt actus humani, nec agenti imputabiles; motus qui sequuntur aliqualem sed imperfectum usum rationis vocantur *secundo-primi*, et si de objecto etiam graviter illicito habentur non nisi venialiter culpabiles erunt; motus qui sequuntur usum perfectum rationis sunt *actus deliberati*, et agenti plene imputabiles. Potest fieri ut passio v.g. amoris, iræ, sit ita vehemens ut tollat usum rationis, et impellat ad actus qui non sunt liberi nec imputabiles nisi forte in causa; si tamen remanet usus rationis, semper cum auxilio divino quod implorari debet, homo non-obstante impetu passionis se cohibere poterit ne consentiat malo. Hinc pravo vitio habituatus est culpabilis quamdiu sana mente sit præditus. S. Thomas, I-II. q. 10, a. 3, et ad 2; q. 77, a. 7.

Resolves: Qui furatur calicem consecratum quem nescit esse consecratum, furtum quidem committit non autem sacrilegium; non conjugatus peccans cum conjugata quam putat solutam, fornicationem non adulterium committit; qui perplexa conscientia laborat, ut si putat se ad Missam celebrandam teneri, et ex altera parte se celebrando peccaturum, debet si possit conscientiam efformare dubium deponendo, si ob conscientiam scrupulosam vel aliam ob causam non potest, eligat quod minus malum videatur, nec peccabit, ob defectum libertatis. Croix, I. n. 81; Ballerini, I. n. 20.

III. Voluntarium est quod procedit a principio intrinseco, seu a voluntate, cum cognitione finis. Cognitio autem finis potest esse perfecta vel imper-

fecta. Perfecta habetur quando cognoscitur non tantum res quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis et proportio ejus quod ordinatur ad finem ipsum, et talis cognitio competit soli rationali naturæ. Imperfecta vero cognitio finis est quæ in sola finis apprehensione consistit, quin cognoscatur ratio finis et proportio actus ad finem ; quæ reperitur etiam in brutis animalibus et in actibus hominis qui ex sensili cognitione objecti procedunt. S. Thomas, I-II. q. 6, aa. 1 et 2. Hinc voluntarium perfecte et proprie est quod procedit a voluntate cum intellectuali cognitione finis; distinguitur a *spontaneo* quod imperfecte voluntarium est, et a voluntate procedit cum sensili tantum cognitione finis; a *violento* quod est a principio extrinseco, renitente subjecto; a *volito* quod denominat objectum voluntatis sive procedit ab illa sive non.

Resolves: Pluvia quæ in terram sitientem descendit est agricolæ volita non autem voluntaria: peccatum nec est Deo volitum nec voluntarium, nec ipsi imputabile. Ballerini, I. n. 20. Visio beatifica est quidem beatorum actus voluntarius, at videtur dicendum cum communissima sententia eam non esse actum humanum, quia deest libertas. Suarez, tract. I. d. ii. sec. 2, n. 9. Omnes tamen actus perfecte voluntarii in viatoribus sunt liberi et actus humani, ac proinde actus humanus et voluntarium in viatoribus et in concreto convertuntur.

Divisiones et alia de voluntario tradenda, cum sint magni momenti in theologia morali, speciali capiti reservantur.

Actus autem humani varie dividuntur :—

(a) In *bonos, malos* et *indifferentes.* Boni sunt qui conformes sunt regulæ morum sive præcipienti sive permittenti; mali, qui dictæ regulæ repugnant; indifferentes qui ex objecto nec conformes nec difformes regulæ morum sunt, quamvis vel boni vel mali evadere ex fine et circumstantiis possunt.

(b) In *naturales* et *supernaturales.* Illi ponuntur solis viribus naturæ; hi indigent auxilio gratiæ.

(c) In *internos* et *externos.* Interni solis facultatibus internis perficiuntur quin externis se manifestent, ut cogitatio; externi etiam exterius prodeunt.

(d) In *imperatos* et *elicitos.* Hæc divisio spectat hic nonnisi voluntatem, quamvis dantur etiam actus eliciti intellectus. Quum enim voluntas sit radix actuum humanorum, alios ita ipsa immediate producit ut in ipsa voluntate consummentur, alios præcipit ut aliæ potentiæ sive internæ sive externæ exequantur. Quinimmo theologi vocant actum quem voluntas sibi præcipit, velut odium peccati, imperatum; unde tot sunt actus a voluntate imperati quot sunt actus aliarum facultatum quas omnes voluntas regit, ac præterea ipsius voluntatis.

Actus vero voluntatis eliciti sunt sex (S. Thomas, I-II. qq. 8 et 13); quorum tres, scilicet *velle, frui,* et *intendere* versantur circa finem, seu bonum jucundum vel honestum, et alii tres circa media ad finem, seu bonum utile, scilicet *eligere,* quem præcedit *consilium* rationis, *consentire* et *uti.*

Juxta mentem igitur S. Thomæ homo dicitur *velle* bonum consideratum secundum se, sine relatione ad media quibus acquiri potest illud bonum; *intendere* bonum dicitur quando finis ut per media obtinendus

appetitur ; bono *frui* quando in illo ut ultimo fine obtento vel apprehenso conquiescit et delectatur. Dicitur vero *eligere* medium hoc ad finem præ illo post consilium, quod est inquisitio rationis ante judicium de eligendis ; idem autem actus voluntatis vocatur *consensus* prout præscinditur a comparatione mediorum et unum approbat et amplectitur ; *usus* habetur quando voluntas medium electum applicat ad finem assequendum. Ad quos sex actus voluntatis ceteri eliciti facile reduci possunt. Ballerini, I. n. 9. Unde juxta mentem Angelici commentatores ejus ordinem in rebus agendis sic instituunt ; 1° simplex volitio finis ; 2° intentio finis, aut illius adeptionis per quædam media ; 3° consilium aut deliberatio de mediis convenientibus ; 4° consensus in media proposita ; 5° electio unius ex illis mediis ; 6° usus voluntatis quo res in operationem assumitur propter finem ; 7° executio quæ usum sequitur ; 8° fruitio, si obtineatur finis intentus.

CAPUT II.

DE VOLUNTARIO EJUSQUE DIVISIONIBUS.

Voluntarii divisiones varias Doctores tradere solent, quin tamen conveniant in earum significatione assignanda.

Notiones quæ hodie usitatiores videntur dabimus.

Voluntarium igitur dividitur:

(a) In *perfectum* et *imperfectum*. Perfectum est quod cum plena cognitione et libero omnino consensu fit: imperfectum quod cum cognitione imperfecta, et semiplena deliberatione producitur.

(b) In *voluntarium simpliciter* et *involuntarium secundum quid*. Ubi adest consensus in rem faciendam cum aliqua tamen repugnantia, ut in eis quæ ex metu fiunt, dicitur esse actus voluntarius simpliciter, seu absolute, seu efficaciter, sed involuntarius secundum quid: e contra si consensus quidem denegetur cum aliqua tamen complacentia objecti, dicitur involuntarius simpliciter, seu absolute, sed voluntarius secundum quid.

(c) In *directum* et *indirectum*. Directe voluntarium, juxta S. Thomam, I-II. q. 6, a. 3, est a voluntate positive agente; indirecte voluntarium quod sequitur eo quod voluntas non agat quando agere potest et debet. Sæpe tamen apud theologos, præsertim ubi agunt de occisione innocentis, hæc distinctio idem significat ac voluntarium in se et voluntarium in causa. Alii dicunt pro voluntario

directo sensu supra explicato voluntarium *positivum*, et pro indirecto *negativum*.

(d) In voluntarium *in se* et voluntarium *in causa*. Illud est quod in se ipso immediate et directe voluntas intendit; hoc est quod non intendit in se quidem, sed prævidet vel prævidere potest secuturum ex alio directe intento, vel cum illo esse connexum tanquam partem cum toto. Si agens effectum actionis prævidet et immediate vult, jam hic erit voluntarius in se. Sic qui pilo ludens prævidet se vitrum fracturum et illud vult, fractura vitri est ei voluntaria in se; si non directe vult sed pergit ludendo, fractura vitri est voluntaria in causa.

Malum quod est voluntarium in se agenti imputatur ad culpam ut patet; et sic chirurgus qui prævidet se medendo mulieri pollutionem passurum, illamque vult, peccat. Malum tamen quod est voluntarium tantum in causa non semper agenti imputatur, potest enim aliquando permitti, sicut medico arti vacanti non imputatur pollutio quam prævidit sed cui non consensit nec voluit.

I. Ut autem malum in causa tantum voluntarium agenti imputetur, tres conditiones requiruntur:

1° Ut agens saltem in confuso effectum malum prævideat, quia nil volitum quin præcognitum. Hinc rixæ, blasphemiæ, nullo modo prævisæ, in ebrietate commissæ, non sunt ebrio imputabiles.

2° Ut agens potuerit malum effectum impedire; secus ex defectu libertatis non peccabit. Sic agenti machinam in via ferrea non imputatur mors alicujus qui subito se sub rotis projicit, machinam enim statim sistere non valet.

3° Ut causam non ponere teneatur, ne effectus malus sequatur.

II. Ut deinde sciamus quandonam teneatur quis in particulari causam non ponere, vel positam tollere ne effectus malus sequatur, juvat principium sequens :

Licet ponere causam bonam vel indifferentem cujus est duplex effectus immediatus, alter bonus, alter vero malus, si adsit ratio proportionate gravis et finis agentis sit honestus. Cfr. S. Thomas, II-II. q. 64, a. 7.

Ratio vero est, quia talis actio non est illicita nec ratione objecti, nec ratione finis, nec ratione circumstantiarum.

Ut tamen actio sit licita, notandæ sunt conditiones in ipso principio contentæ ; unde 1° Causa ipsa debet esse bona vel saltem indifferens : 2° Bonus effectus non debet sequi ex malo effectu, nam— Non sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. iii. 8. 3° Finis operantis debet esse bonus, nam non licet intendere malum : 4° Debet esse ratio proportionate gravis ponendi causam, aliter enim quantum fieri potest mala sunt impedienda.

III. Non adest obligatio non ponendi actionem honestam vel utilem ex qua tantum per accidens sequitur quid malum, quia tunc istud malum nec est voluntarium in se, ut supponitur, nec in causa. Immo si effectus graviter malus in causa tantum sit voluntarius, eatenus erit peccaminosus quatenus causa est mala. Ratio est, quia est voluntarius tantum in causa, unde peccaminosus eatenus quatenus influxus causæ effectum producit, quia

tantum ratione influxus quis volendo causam potest dici velle effectum; ergo si influxus sit gravis, effectus erit graviter malus, si influxus sit levis, venialiter malus erit effectus.

Resolves: Si nullum sit periculum consensus, pollutio non intenta quæ prævidetur secutura ex cibo vel potu sumendo, ex equitatione, ex modo decumbendi, aliisque honestis vel utilibus actionibus, vel etiam in alia specie illicitis ut ex ebrietate, non est peccatum. Iisdem suppositis, erit peccatum veniale si sequatur ex actione leviter inhonesta in genere luxuriæ, puta ex lectione, aspectu, tactu leviter pravo, imo si ista fiant ex ratione proportionate gravi, nullum erit peccatum. Erit mortale si prævidetur secutura ex actione graviter in genere luxuriæ inhonesta. S. Alphonsus, III. n. 482; Ballerini, I. n. 44; IV. n. 169.

IV. Juxta communem sententiam malitia effectus in causa tantum voluntarii tunc contrahitur quando causa libere et advertenter ponitur; quia peccatum formale est in mala voluntate, quæ tunc adesse supponitur quando causa ponitur.

Potest tamen effectus secutus peccatum vocari quia est transgressio legis, non tamen mutat nec addit quidquam malitiæ. Hinc ignavus medicinæ studens tunc peccat quando studium negligit, non quando ex ignorantia infirmo damnum infert nisi tunc damni periculum animadvertat. Hinc etiam gravitas peccati mensuranda est ex malitia causæ non ex effectu, ita ut si negligentia fuerit tantum levis ex qua grave damnum proximi sequatur, peccatum sit tantum veniale. Ballerini, I. n. 47.

V. Peccatum omissionis physice quidem potest sine ullo actu interiori haberi; ut si quis advertens adesse tempus implendi præceptum audiendi Missam, nec vult nec non vult pergere ad Ecclesiam. Moraliter tamen vix unquam sine actu peccatum omissionis committitur, nam peccator aut vult ponere causam ex qua prævidet omissionem rei præceptæ, aut actu legem implere non vult. Suarez, tract. v. d. iii. sec. 2, n. 6.

CAPUT III.

DE VOLUNTARII IMPEDIMENTIS.

QUIDQUID minuit advertentiam intellectus vel libertatem voluntatis minuit voluntarium; jamvero ignorantia et concupiscentia minuunt advertentiam, vis seu violentia et metus libertatem; de his igitur quatenus sunt impedimenta voluntarii nunc est agendum.

Articulus I.

DE IGNORANTIA.

Ignorantia est carentia scientiæ, si debitæ, vocatur *positiva;* si indebitæ, *negativa* seu *nescientia.*

Distinguenda est ab errore qui est æstimatio unius pro alio.

Ignorantia cum respectu ad voluntatem est vel *antecedens,* vel *consequens,* vel *concomitans.*

Antecedens, scilicet quæ antecedit actum liberum voluntatis, seu quam voluntas non causaverat, v.g. ignorantia medici de novi morbi remediis.

Consequens, scilicet quæ consequitur actum liberum voluntatis, seu quam voluntas causaverat, v.g. medici pigri de remediis morbi noti.

Concomitans, "quando ignorantia est de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur." Ignorantia concomitans dupliciter se habere potest ad actum qui cum ea ponitur. Venator

explodit sclopetum in aliquid quod putat esse feram, sed est homo inimicus. Si venator actu cogitat de inimico et intra se dicit, utinam esset inimicus ita ferirem, peccat actualiter; si non cogitat quidem de inimico, sed eodem modo est dispositus, est in statu peccati habitualis. Ballerini, I. n. 83.

Iterum ignorantia est vel *invincibilis* vel *vincibilis*. *Invincibilis* est quæ adhibita morali diligentia vinci non potest; dixi *moralem* diligentiam, scilicet quam agens *potest* et *debet* adhibere pro sua capacitate et rei natæ gravitate. Ballerini, I. n. 64. Talis ignorantia est involuntaria. *Vincibilis* est quæ adhibita morali diligentia vinci potest. Hæc habet varios gradus. *Affectata* vocatur cum quis data opera vult ignorare: *crassa* seu *supina* cum nulla vel vix ulla diligentia adhibetur ad ignorantiam deponendam: *pure vincibilis* cum aliqua sed non sufficiens pro personæ et rei qualitate diligentia adhibetur ad ignorantiam deponendam.

Quæ ignorantia vincibilis, si sit eorum quæ quis scire tenetur, est peccatum, ut si quis ignoret articulos fidei, vel obligationes sui status. Hoc peccatum potest esse grave vel leve. Ad peccati gravitatem requiritur: 1° Gravitas obligationis deponendi ignorantiam, v.g. in medico vel in confessario. 2° Gravitas negligentiæ, et ex communi sententia vix inveniri potest gravis negligentia quæ non sit etiam crassa. S. Alphonsus, vii. n. 45.

Peccatum tamen quod committitur per voluntariam ignorantiam eorum quæ quis scire tenetur, non est specifice distinctum a transgressione legis quæ ignoratur: peccatum, v.g., est specifice idem,

si scienter jejunium frangitur, et si quis voluntarie nescit esse diem jejunii, negligendo inquirere, ut laute comedat. Ratio est, quia lex quidem præcipit sui cognitionem, quæ est medium necessarium ut observetur, non tamen ob aliud motivum nisi ut observetur; hinc ob ignorantiam non violatur præceptum formaliter distinctum, ac proin non est peccatum formaliter distinctum. Si quis vero ex culpabili ignorantia obligationum officii sui exponit se periculo committendi plura peccata, hoc in confessione declarare debet. Lugo, De Pœn. xvi. n. 182, seqq.

Quoad ea quæ ex ignorantia fiunt, quæstio est quomodo imputabilitatem ignorantia afficiat.

I. Ea quæ fiunt ex ignorantia antecedente et invincibili non imputantur. Ratio est, quia non sunt voluntaria.

II. Ignorantia concomitans non afficit imputabilitatem eorum quæ fiunt, seu eodem modo sunt agenti imputabilia ac si non adesset ignorantia concomitans; quia ex definitione ita est agens dispositus ut eodem modo ageret etiamsi non ignoraret.

III. Ignorantia consequens, pure vincibilis vel crassa, minuit peccatum. Ratio est, quia minuit voluntarium quatenus minor est cognitio.

IV. Ignorantia affectata potest vel minuere vel augere peccatum. Minuit si fovetur ne retrahatur a peccato, nec auderet peccare si lex cognosceretur; auget si fovetur ut excusationem quis habeat, peccaturus etiamsi non haberetur ignorantia: est tunc signum magni affectus ad peccatum.

V. Ignorantia non facit invalidum actum alioquin validum, quia nostra existimatio non mutat objectivam rei veritatem. Unde non obstante ignorantia de effectibus baptismi, de obligationibus matrimonii, dummodo ea quæ ad validitatem requirantur habeantur, ista sacramenta valida erunt.

Oblivio, inconsideratio, inadvertentia ignorantiæ æquiparantur; quamvis autem sæpe habituati inadvertenter blasphemant, temere jurant, practice tales sunt culpabiles vel in se vel in causa, nisi serio emendationem proponunt et conatum necessarium adhibent.

Articulus II.

DE CONCUPISCENTIA.

Concupiscentia aliquando significat fomitem peccati de quo Apostolus: "*Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*" Rom. vii. 23. Hic latiori sensu intelligitur quæcumque passio appetitus sensitivi, qui fertur in bonum sibi proprium, scilicet amor, odium, gaudium, seu delectatio, desiderium, dolor, ira. Et quamvis expresse quæstio est de motibus appetitus sensitivi, tamen eadem principia sunt applicanda voluntati in quantum in ipsa voluntate affectus ad rem unam facile inducit ad alium affectum. Suarez, tract. ii. disp. iii. sec. 3, n. 1. Sic qui odio aliquem habet, facile eum temere judicat.

Concupiscentia alia est *antecedens*, alia *consequens*. Illa liberum voluntatis actum antecedit, hæc illum consequitur.

I. Concupiscentia antecedens minuit voluntarium. Ratio: 1ª Quia perturbat usum rationis avertendo intellectum a consideratione aliorum, quæ impedirent a prosecutione objecti. 2ª Quia facit ut objectum pulchrius et suavius appareat quam est. Et sic concupiscentia minuit voluntarium impediendo deliberationem intellectus et minuendo indifferentiam voluntatis; ac proinde minuit peccatum, imo aliquando omnino tollit voluntarium et peccatum.

II. Concupiscentia consequens auget voluntarium et peccatum, seu potius est signum intensitatis actus. Actu enim voluntatis intenso motus etiam partis sensitivæ per quamdam redundantiam, etsi non actuali imperio, excitatur.

Motus *primo-primi* concupiscentiæ pravæ qui antecedunt usum rationis non sunt voluntarii, ut patet, nec homini imputabiles. Post advertentiam rationis voluntas potest se habere tripliciter erga illos: 1° Consentire, et sic peccare graviter, si objectum sit graviter malum et actus sit perfecte voluntarius. 2° Resistere, et sic mereri. 3° Nec consentire nec resistere, sed passive se habere. Disputant de hoc ultimo Doctores et præsertim quoad motus luxuriæ, utrum peccetur necne et qualiter.

In qua quæstione omnes admittunt esse resistendum sub gravi si proximum sit consensus periculum. Quod si non adest, adhuc multi et graves theologi affirmant esse grave peccatum passive tantum se habere, quia homo tenetur præcepto divino regere appetitus inferiores,—

"*Sub te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius.*" Gen. iv. 7.

Et affertur pro hac sententia S. Thomas: "Peccare rationem, quando inordinatos actus inferiorum virium, vel imperat, vel etiam post deliberationem non coercet." S. Thomas, I-II. q. 74, a. 5.

Pauci nec probabiliter dicunt nullum adesse peccatum, quia Non concupisces refertur ad voluntatem non ad carnem.

Vera denique sententia, juxta S. Alphonsum, docet quidem non peccari graviter non resistendo, cum peccatum mortale solo consensu voluntatis committatur; peccari vero venialiter, ut probant rationes primæ sententiæ, quia cavere debet homo ne concupiscentia trahat post se voluntatem. Cfr. S. Thomas, II-II. q. 74, a. 4.

Motibus carnalibus gravibus melius resistitur non positive et directe quod potius eos augeret, sed indirecte mentem avertendo ad alia, orando; qui si leves sint optime spernentur. S. Alphonsus, V. n. 6, seqq.

Articulus III.

DE METU ET VI SEU VIOLENTIA.

Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.

Levis est vel *gravis* prout malum timendum est leve vel grave.

Gravis *absolute* vocatur qui aptus est cadere in virum constantem, velut metus mortis, perpetui

carceris, gravis infamiæ; gravis *relative* qui gravis est tantum respectu hujus vel illius.

Metus *ab intrinseco* est qui a causa intrinseca, ut morbo contracto, metu gehennæ, excitatur; *ab extrinseco* qui a causa extrinseca provenit.

Metus *reverentialis* etiam recensetur, qui est ne superior offendatur, vel quo quis veretur resistere ei cui subjicitur, v.g. patri, marito.

Communiter per se est levis, sed ratione diuturnitatis vel austeritatis superioris potest evadere gravis. Lehmkuhl, I. n. 24.

I. Quæ ex metu fiunt sunt voluntaria simpliciter et involuntaria secundum quid.

Dixi quæ *ex* metu non *cum* metu mere concomitante fiunt esse voluntaria, quia procedunt a deliberata hominis voluntate, nisi metus tollat usum rationis. Esse voluntaria *simpliciter*, i.e., positis his circumstantiis. *Involuntaria secundum quid*, scilicet, præcisis circumstantiis.

Aversio tamen a peccato ob metum gehennæ, quia id quod fit est simpliciter bonum, etiam abstrahendo a præsentibus circumstantiis, potest esse voluntaria simpliciter quin sit simul involuntaria secundum quid, sicut debet esse ad peccatorem in sacramento justificandum. S. Alphonsus, VI. n. 442.

Alia vero quæ fiunt ex metu et sunt involuntaria secundum quid sunt mala in se, et bona solum in præsentibus circumstantiis, ut patet ex noto exemplo nautæ qui in periculo naufragii merces projicit.

II. Hinc quatenus sunt voluntaria, metus non excusat a peccato si agatur de iis quæ intrinsece

mala sunt; unde apostatæ a fide non excusantur etiam metu mortis; quoad ea tamen quæ sunt mala quia prohibita, ordinarie metus gravis excusat a peccato si ex tali metu fiant.

Metus gravis excusat quia ordinarie legislator non intendit obligare cum tanto incommodo, ut de legislatore Deo colligunt Doctores communiter ex facto Davidis qui esuriens comedit panes propositionis sacerdotibus jure divino reservatos (1 Reg. c. 20), quem Christus Dominus defendit. Matt. xii. cfr. S. Thomas, III. q. 40, a. 4, ad 3. Sicut etiam ex facto Machabæorum (1 Mach. ii. 41), qui pugnabant die Sabbati. Cfr. S. Thomas, I-II. q. 100, a. 8, ad 4. A fortiori hoc verificatur in nova lege quæ mitior est, unde metus gravis excusat ab integritate confessionis. Suarez, de Legg. III. c. 30, n. 6.

Ordinarie, quia si legis violatio cederet in damnum commune, vel in contemptum religionis, tunc metus gravis non a culpa excusaret.

Vis seu *violentia* est majoris rei impetus quam cui resisti possit. Ipsa voluntas quoad actus elicitos violentiam pati non potest, nam simul vellet et nollet, quod repugnat. Quoad actus vero imperatos aliarum facultatum tum internarum tum externarum, violentiam quis pati potest. Violentia absoluta voluntarium ac proin peccatum tollit; si non sit absoluta, idem de ea est dicendum ac de metu.

Movent quæstionem Doctores utrum mulier cui violentia offertur etiamsi non sit proximum periculum consensus clamare teneatur. Alii affir-

mant ducti præsertim textu apud Deut. xxii. 23. Ista tamen lex videtur judicialis nec amplius obligare, et valde probabiliter, juxta S. Alphonsum, alii negant eam teneri clamare cum periculo notabilis damni, sive infamiæ, sive nimiæ verecundiæ. S. Alphonsus, III. n. 430.

CAPUT IV.

DE ACTIBUS HUMANIS MORALITER SPECTATIS.

Articulus I.

DE ESSENTIA MORALITATIS.

Dictum est de actibus humanis physice spectatis, de eorum constitutivis physicis, nunc est dicendum de actibus humanis quatenus sunt actus morales seu de iisdem moraliter spectatis. Dicuntur actus morales quatenus relationem dicunt ad finem, nam in moralibus primum principium est finis. Supponimus ex aliis scientiis finem ultimum hominis non esse utilitatem, nec voluptatem, nec progressum, sed esse Deum, in quo fruendo perfectio, beatitudo, et finis ultimus hominis consistit. Ad Deum adipiscendum homo tendit per actus suos voluntarios et liberos. Et ille homo est bonus moraliter qui per actus tendit in Deum, est malus qui non tendit; et illi actus sunt boni moraliter per quos homo in Deum tendit, mali per quos homo a Deo avertitur; seu bonitas et malitia actuum desumitur a ratione convenientiæ vel disconvenientiæ cum ultimo fine. Regula igitur morum qua mensuratur eorum bonitas vel malitia remote et fundamentaliter est conformitas vel difformitas cum ultimo fine, Deo, adipiscendo.

Deus tamen non tantum est finis hominis, sed

ratio divina dictat finem esse ab homine adipiscendum, seu homo debet agere juxta rationem divinam præcipientem ordinem servandum, quæ est lex æterna: igitur regula morum proxima et objectiva est lex æterna, et quatenus recta ratio hanc legem manifestat, hinc regula morum proxima et subjectiva est recta ratio.

Ergo illi actus humani sunt moraliter boni qui conveniunt cum recta ratione, vel cum lege æterna, vel cum fine ultimo; e contra illi sunt moraliter mali qui disconveniunt cum recta ratione, lege æterna, fine ultimo.

Aliqui actus ita sunt mali ex natura sua ut sub nullis circumstantiis possint esse boni, ut blasphemia, odium Dei; tales vocantur intrinsece mali et necessario lege prohibentur. Alii e contra sunt natura sua et intrinsece boni, ut amor Dei. Alii in se nec dicunt conformitatem nec difformitatem cum regula morum, quæ tamen præcipit ut si ponantur ita ponantur ut in finem tendant, ut ambulare. Hinc dictæ regulæ sunt universales et omnes actus humanos comprehendunt.

Actus autem intrinsece mali sunt in diversis gradibus. Alii enim natura sua et necessario sunt difformes a regula morum, ita ut Deus necessario eos prohibeat; quales sunt blasphemia et odium Dei. Alii sunt intrinsece mali ita tamen ut subsint dominativæ potestati Dei, qui mutando materiam potest efficere ut actus alioquin illiciti fiant liciti, v.g. ablatio rei alienæ, polygamia, læsio corporis vel famæ. Alii demum sunt intrinsece mali ratione periculi ordinarie adnexi, ut aspectus turpis, tactus

inhonestus, qui semoto periculo et ex causa rationabili, liciti fieri possunt. Gury, I. n. 26.

Quando actus humanus, ut eleemosynæ largitio, adæquate consideratur, quatenus componitur actu exteriori et actu interno, quæri potest in quo formaliter et proprie moralitas reperiatur. Respondetur moralitatem esse formaliter in actu interno, nec actum externum quidquam per se addere actui interno. Nam moralitas est tantum in libero, liberum vero est formaliter in voluntate tantum, et in actu externo solummodo per denominationem extrinsecam. Unde si quis vult eleemosynam dare pauperi et quærit bursam quam perdidit, totum fecit quod in se est, nec defectus pecuniæ ipsi imputatur. Attamen per accidens plerumque actus externus addit bonitati vel malitiæ actus, ratione difficultatis, diuturnitatis, intensitatis auctæ.

Haud vero sufficit confiteri peccatum internum tantum, si fuerit peccatum externatum, quia quamvis malitia fortasse sit æqualis, peccatum non est idem, et peccata non malitia sunt confitenda. Præterea idem est sæpe dicendum ratione alterius obligationis, ut restitutionis, reservationis, censuræ. Lugo, de Pœnit. xvi. n. 454, seqq.

Juxta omnes catholicos Doctores dantur actus humani indifferentes in specie, i.e., qui spectato objecto et præcisione facta a fine et circumstantiis nec boni sunt nec mali, ut ambulare, loqui. Utrum *in individuo* dentur actus indifferentes necne disputatur. Scotus cum suis aliisque affirmat. Verius S. Thomas cum suis negat: ratio est, quia actus in individuo est aut necessarius, utilis agenti,

conveniens rationi, aut non. Si primum est bonus, si alterum est malus utpote saltem otiosus. Præterea quando homo deliberate agit, ex fine agit. Hic finis est aut rationi conformis aut non. Ergo necessario actus in concreto erit aut bonus aut malus. S. Thomas, I-II. q. 18, a. 9; S. Alphonsus, V. n. xli.

Ut homo honeste agat nihil aliud requiritur nisi ut apprehendat actionem esse moraliter bonam, seu esse juxta rectam rationem, seu nulla lege esse prohibitam, et servet mensuram immunem ab excessu et defectu. Quod si S. Thomas cum communiori sententia interpretatur 1 Cor. x. 31, de præcepto divino referendi omnes actiones ad Dei gloriam, nihil amplius intendit; nam ex mente Angelici eo ipso quod actio apprehendatur ut bona et honesta, apprehenditur ut conducens ad finem ultimum, seu Deum, ac proinde ad Dei gloriam implicite refertur.

Præterea diserte S. Doctor tradit omnes actiones hominis justi esse aut peccata aut meritorias vitæ æternæ, ex eo quod justus tempore debito se suaque omnia per actum caritatis ad Deum retulerit, vi cujus actus ceteræ justi honestæ actiones omnes caritate informentur et fiant meritoriæ. S. Thomas, I-II. q. 100, a. 10, ad 2; II. dist. xl. q. 1, a. 5; de Carit. q. unic. a. 11, ad 2; Ballerini I. n. 169, seqq.; Billuart, VI. p. 440. Quæ quidem sententia S. Thomæ admodum est probabilis; ut autem securiores sint, et eorum actiones magis meritoriæ, adhortandi sunt fideles ut sæpe intentionem referendi omnia in Deum renovent.

Articulus II.

DE FONTIBUS MORALITATIS.

Moralitas actuum humanorum desumitur ex convenientia vel disconvenientia cum recta ratione, cum lege æterna, cum fine ultimo: bonitas actionis est ex eo quod actio est conformis rectæ rationi, malitia ex eo quod est rectæ rationi difformis; nunc videndum est unde actio sit conformis vel difformis rectæ rationi, quid sit istud in actione quod faciat ut sit vel conformis vel difformis cum recta ratione, seu unde actiones desumant suam moralitatem, seu de fontibus moralitatis.

Fontes moralitatis theologi enumerant finem, objectum, circumstantias. Pauca dicenda sunt de singulis.

Sectio I.

DE FINE.

Finis hic intelligitur finis *operantis*, seu ratio propter quam agens operatur, ut, si quis furetur ut adulterium committat, adulterium est furantis finis.

Distinguendus est a fine *operis*, qui est scopus ad quem opus per se tendit: v.g. largitio eleemosynæ per se tendit ad levandam miseriam alterius, cibus ad sustentandum, medicina ad sanandum, mendacium ad decipiendum; unde allevatio miseriæ est in eleemosynæ largitione finis operis, et sic de ceteris.

Finis operantis potest in idem recidere ac finis operis, sed potest esse alius, ut si quis det eleemosynam propter vanam gloriam, ad satisfaciendum pro peccatis, ad se eximendum ab importunitate mendicantis.

Plures esse possunt fines ad se invicem subordinati, ut si quis cantet in ecclesia ad pecuniam lucrandam, qua familiam sustentet, ad obligationi paternæ satisfaciendum.

I. Ea omnia tribuunt speciem moralitatis actibus humanis quæ faciunt ut sint conformes vel difformes rectæ rationi. Atqui finis hoc facit. Ergo moralitas actionis est a fine. Sic *ambulare* per se indifferens est, sed ambulare propter caritatem ad infirmum visitandum actus est bonus, ad furandum est actus malus. Et finis tribuit speciem moralitatis actui diversam ab ea quam tribuit objectum, nam "qui furatur ut committat adulterium est per se loquendo magis adulter quam fur." S. Thomas, I-II. q. 18, a. 6.

II. Actio ex objecto bona quæ fit ex pluribus finibus quorum unus est graviter malus, tota est corrupta et mala, avertit enim hominem a fine ultimo; item tota actio est mala si finis leviter pravus sit finis actionis primarius, tunc enim agens vult bonum sub ratione mali; partim bona et partim mala est actio si finis leviter sit pravus nec sit primarius.

Resolves: Graviter peccat qui dat eleemosynam puellæ ad eam seducendam; leviter peccat qui prædicat primario ex vana gloria, quamvis alios fines honestos habeat; partialiter bonam actionem ponit

qui primario quidem prædicat ad gloriam divinam promovendam, sed etiam vana gloria movetur.

III. Intentio finis extrinseci dat speciem moralitatis actui, ut constat ex dictis, unde eleemosyna facta ob vanam gloriam est peccatum; determinare etiam potest actum indifferentem ut sit bonus vel malus, unde ablatio rei alienæ cum intentione eam retinendi domino rationabiliter invito est furtum, cum intentione eam pro domino secure custodiendi est actus caritatis; non tamen videtur, ut communius docetur contra non paucos, posse intrinsece mutare naturam actus exterioris, ita ut reddat actum qui præcisa ista intentione injustus non fuit, injustum, et inducat obligationem restitutionis, cum sit actui extrinseca. Et sic si occidisti hominem cum intentione ut crimen innocenti imputetur, peccas quidem contra caritatem, et affective etiam contra justitiam, non vero contra justitiam effective, nec teneris ad restitutionem post imputationem criminis alteri secutam, nisi specialibus mediis hanc causaveris. S. Alphonsus, III. nn. 584, 636.

IV. Deus providentissimus omnium rerum Creator quibusdam actionibus adnexuit delectationem qua homines ad illas utpote ipsis utiles vel necessarias alliciantur. Appetere igitur moderate delectationem quæ actui non prohibito adnexa est, licet. Apprehendit enim agens actum non esse ipsi prohibitum, ac eo ipso virtualiter eum Deo ultimo fini refert; unde quatenus delectatio licito objecto adnexa est bona, quamvis alliciatur quis ad agendum propter delectationem actioni conjunctam, nil contra rectam rationem et normam moralitatis fit. Hinc licet

moderate comedere, ludere, operi conjugii vacare propter delectationem, dummodo non positive excludantur alii altiores fines, quod quidem esset contra rectam rationem. Si vero finis ultimus positive excludatur, ut faciunt ii de quibus scribit Apostolus—*Quorum Deus venter est* (Phil. iii. 19)—mortaliter peccatur; si omnis alius finis subordinatus positive excludatur præter voluptatem, ita ut propter solam voluptatem quis comedat exclusa ratione sanitatis et corporis sustentationis, venialiter peccatur. Quo sensu intelligendæ sunt propositiones 8 et 9 damnatæ ab Inn. XI. S. Alphonsus, V. n. xliv.; Ballerini, X. n. 551.

Sectio II.

DE OBJECTO.

Objectum latiori sensu significat quidquid voluntati objicitur. Hic pressiore sensu sumitur pro eo circa quod voluntas versatur veluti circa materiam, et in quod primario tendit: vel est ipsa actio abstracte considerata, v.g. ambulare, scribere, blasphemare, auferre rem alienam. Loquimur de objecto formali prout substat regulæ morum; prout cognoscitur et intenditur.

I. Porro actus humanus suam moralitatem specificam et essentialem desumit ex objecto formali; nam quilibet actus specificatur ab objecto; et constat ex dictis quasdam actiones ex se, independenter a fine agentis vel ab aliis circumstantiis, esse conformes vel difformes rectæ rationi.

Objectum ita tribuit moralitatem actui ut si objectum sit malum etiamsi finis sit bonus actio erit mala. Nam bonum est ex integra causa, et —Non sunt facienda *mala ut eveniant bona*. Rom. iii. 8. Aliquando tamen finis honestus determinat moralitatem objecti, sic licet auferre gladium furioso vel ei non reddere, et hoc sensu aliquando finis justificat media. Similiter de tactibus impudicis inter conjuges Busembaum, lb. vi. tr. 6, c. 2, dub. ii. a. 1, recte dicit: "Tales actus per se iis licent; quia cui licitus est finis, etiam licent media;" scilicet media non per se mala, et ipsa natura ad finem ordinata; eo enim casu ratione finis honesti cessat ratio, propter quam hujusmodi actus alioquin prohibeantur. Sine fundamento igitur iste textus Busembaum aliquando nostris exprobratur ac si doceret universaliter finem justificare media.

Sectio III.

DE CIRCUMSTANTIIS.

Circumstantiæ sunt rationes illæ omnes quæ quasi circumstant actioni et sunt illi accessoriæ et substantiæ actus accidentales. Circumstantiæ quæ influunt in actus moralitatem enumerantur a theologis:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quæ quidem considerantur hic non quatenus ab ipsis dependet actus substantia, sed quatenus ipsum accidentaliter afficiunt. Sic *quis* non indicat

personam in se, sed aliquam ipsius qualitatem quæ influit in moralitatem actus, v.g. *sacerdos* theatrum frequentans; et *quid* non significat actus substantiam sed similiter accidentalem aliquam qualitatem, ut in ablatione rei *sacræ;* et sic de ceteris.

I. Actus humani sumunt bonitatem vel malitiam a circumstantiis. Nam circumstantiæ possunt facere ut actus sit conformis vel difformis rectæ rationi. Atqui a talibus actus humani desumunt suam moralitatem. Ergo actus humani sumunt moralitatem a circumstantiis.

Et sic celebratio Missæ in statu gratiæ et peccati ponitur in diversa specie moralitatis ob circumstantiam *Quis;* occupare rem nullius et rem alienam ob circumstantiam *Quid;* ludere in campo et in ecclesia ob circumstantiam *Ubi.*

II. Actus igitur humanus potest triplicem moralitatem induere ex objecto, fine, circumstantiis, ut quando quis furatur rem sacram meretrici expendendam.

Circumstantiæ aliæ sunt *aggravantes*, scilicet bonitatem vel malitiam actus, quæ secundum se non habent bonitatem vel malitiam sed solum per ordinem ad aliam conditionem, ut sunt intensio, duratio, quantitas. Circumstantiæ, quæ mutant veniale in mortale vel vice versa, aliquando vocantur circumstantiæ mutantes speciem *theologicam*, scilicet non moralem. Aliæ sunt *mutantes* speciem, quæ naturam operis immutant, et quæ secundum se bonitatem vel malitiam habent: v.g. furtum rei sacræ, fornicatio cum ligata voto castitatis.

III. Si agatur de uno eodemque actu in genere moris actus non potest esse bonus si circumstantia aliqua sit mala. Nam bonum est ex integra causa. At si circumstantia sit tantum leviter peccaminosa totum actum non corrumpit, ut dictum est de fine. Unde quamvis communio in statu peccati mortalis sit graviter sacrilega, cum peccato veniali est tantum minus fructuosa.

Secus dicendum si actio sit virtualiter multiplex in genere morum; unde in Missa consecratio potest esse actus bonus, et in eadem Missa communio sacrilega ob peccatum post consecrationem commissum.

TRACTATUS II.

CAPUT UNICUM.

DE CONSCIENTIA.

Ut sciamus quinam actus sint liciti quinam illiciti necesse est ut regulam seu normam habeamus. Regulam ultimam et fundamentalem vidimus esse finem ultimum attingendum; regulam proximam et objectivam esse legem; subjectivam esse rectam rationem. De hac norma seu regula proxima et subjectiva bonitatis vel malitiæ actuum humanorum nunc est agendum.

Conscientia variis sensibus adhibetur: est enim primo facultas cognoscitiva quæ in proprios actus redire potest, et sic dicimus hominem habere conscientiam sui, bruta animalia non habere. Prout tamen hic in theologia morali adhibetur, conscientia non significat facultatem seu potentiam sed actum; est judicium practicum rationis aliquid esse faciendum, vel non faciendum, vel posse fieri; est "actualis applicatio scientiæ ad ea quæ agimus." S. Thomas, I. q. 79, a. 13.

Sicut in speculativis ratio speculativa judicium

efformat ope syllogismi, ita etiam ratio practica conscientiam efformat. Major syllogismi est aliquod generale principium, minor asserit hunc casum particularem sub isto principio contineri, conclusio est judicium practicum seu conscientia. Hoc modo— Omnes catholici tenentur in Paschate communicare; atqui ego sum catholicus; ergo communicare teneor.

Hæc conscientia quam descripsimus vocatur *antecedens* ut distinguatur a conscientia *consequente*, quæ judicat de actione jam peracta, eam fuisse bonam, malamve, et post peccatum animam remordet.

Conscientia est (a) *recta* vel *erronea*. Recta est quæ dictat verum, erronea falsum pro vero; et erronea est talis *vincibiliter* vel *invincibiliter*, prout error moraliter vitari potuit ac debuit vel non.

(b) *Certa*, *probabilis*, *dubia*, prout nititur motivo certo, probabili, dubio.

(c) *Stricta*, *laxa*, *scrupulosa*, relate ad subjectum, et ponendo habitum pro actu; *stricta* vocatur quæ obligationem quæ non adest vel graviorem quam adest affirmat; *laxa* quæ nimis in favorem libertatis inflectit; *scrupulosa* quæ absque ratione sufficienti peccatum timet ubi peccatum non est.

Articulus I.

DE CONSCIENTIA CERTA.

Certitudo est firmus assensus rei cognitæ sine formidine errandi, seu ex motivis quæ excludunt omnem formidinem errandi.

Si motiva sumuntur ex legibus metaphysicis,

habetur certitudo metaphysica, ut in propositione—Totum est majus sua parte; si ex legibus physicis certitudo physica, ut in hac—Sol cras orietur; si ex legibus moralibus, certitudo moralis, ut in hac propositione—Isti sunt mei parentes, et in hac—Quod plures probi testes asserunt se vidisse est verum.

Certitudo moralis est duplex, perfecta et imperfecta; perfecta excludit omnem formidinem errandi etiam imprudentem; imperfecta excludit prudentem formidinem errandi non vero imprudentem. Lacroix, I. n. 179.

I. Ad honeste agendum requiritur et sufficit conscientia subjective moraliter saltem imperfecte certa.

Requiritur: Nam qui non habet istam certitudinem est incertus utrum actio sit licita necne. Atqui non licet incerto utrum actio sit licita necne agere. Ergo requiritur.

Minor probatur: Qui enim agit incertus utrum actio sit licita necne, exponit se periculo legem transgrediendi, quod evitare tenetur. Nam lex præcipit scientiam sui ut medium necessarium ad sui observationem; hinc qui conscius est se ignorare legem tenetur quantum potest ignorantiam deponere, ac nisi deponit quantum potest, contra legem peccat. Ergo peccat qui agit incertus utrum actio sit licita necne. Ballerini, II. n. 64.

Sufficit: ut constat ex eo quod perfectior certitudo in moralibus sæpe est impossibilis, et nemo ad impossibile tenetur, et præterea qui cum ea agit prudenter agit.

Constat etiam auctoritate Doctorum: audiatur pro omnibus Angelicus: "In actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia; et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat." S. Thomas, II-II. q. 70, a. 2.

II. Conscientia subjective certa est regula actionis, etiamsi sit invincibiliter erronea.

Invincibiliter, scilicet, "quando moraliter vinci nequit, cum nulla cogitatio nec dubium erroris veniat in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur vel cum actionis causam ponit." S. Alphonsus, V. n. 3.

Probatur ratione S. Thomæ, I-II. q. 19, a. 5. Voluntas conformis conscientiæ rectæ est bona quia conformis objecto non in se spectato sed quatenus apprehenso ab intellectu agentis. Atqui quando voluntas sequitur conscientiam invincibiliter erroneam est conformis objecto quatenus apprehenso ab intellectu agentis, et "quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, et Dei præceptum." Ergo conscientia subjective certa est regula actionis, etiamsi sit invincibiliter erronea.

Idem valet de conscientia certa sed culpabiliter erronea, quatenus culpa quidem committebatur antea quando causa erroris voluntarie fuit admissa, sed nunc supponitur conscientia certa de qua procedit ratio facta.

Resolves: Qui putat esse jejunium quando non

est, peccat contra temperantiam si non jejunat; non peccat qui mentitur ad alium salvandum si erronee putat se ad id ex caritate teneri, et peccat contra caritatem si tunc non mentitur; qui tamen erronee putat involuntarias distractiones inter orandum esse peccata non peccat defectu libertatis; nec incarceratus qui erronee putat se peccare quia non audiat Missam die festivo.

Scilicet si quis non sequitur certam conscientiam quamvis erroneam, si eam libere sequi potest, peccat ea specie peccati contra cujus virtutis speciem intellectus peccare judicat. Ballerini, II. n. 20.

Conscientia igitur moraliter certa sive recta sit sive erronea semper est sequenda, nec licet agere sine ea, et plus obligat quam præceptum Prælati: nam "conscientia non ligat, nisi vi præcepti divini vel secundum legem scriptam vel secundum legem naturæ inditam. Comparare igitur ligamen conscientiæ ad ligamen, quod est ex præcepto Prælati, non est aliud quam comparare ligamen præcepti divini ad ligamen præcepti Prælati. Unde cum præceptum divinum obliget contra præceptum Prælati, et magis obliget quam præceptum Prælati, conscientiæ ligamen erit majus, quam ligamen præcepti Prælati, et conscientia ligabit, præcepto Prælati in contrarium exsistente." S. Thomas, De Verit. q. 17, a. 5.

Conscientia vero dicitur obligare seu ligare metaphora sumpta ex vinculo materiali quatenus homini imponit necessitatem non quidem absolutam sed conditionatam ex finis suppositione, sicut alicui imponitur necessitas ut si hoc non fecerit præmium

non consequatur. Et sic conscientia ligat hominem, quatenus eum necessitat ad hoc faciendum vel omittendum si velit finem assequi, rectam rationem sequi, evitare peccatum.

Conscientia vero obligat, non quasi propria auctoritate, sed mediante scientia, manifestans et applicans legem Dei. Conscientia est præco qui singulis hominibus annuntiat legem Dei. Ballerini, II. n. 15.

III. Apud rudes videtur posse dari conscientia invincibiliter erronea de malitia peccatorum internorum, si excipias desideria efficacia.

Vix enim advertunt ista peccata vel in ea reflectunt, et satis difficile est malitiam istorum actuum detegere, imo ut hoc fiat requiritur instructio et cultus quo sæpe carent rudiores. Ballerini, II. n. 46.

IV. Non admittitur ignorantia invincibilis circa primaria vel secundaria præcepta juris naturalis, bene tamen circa conclusiones ulteriores; nec circa certas proprii status obligationes. S. Thomas, I-II. q. 94, aa. 4, et 6; q. 100, a. 1: S. Alphonsus, lb. i. tract. ii. n. 170.

1° Loquimur de hominibus aliquomodo saltem excultis, aut non omnino rudibus. 2° De principiis generalibus non de eorum applicatione ad casus particulares, unde quæ narrantur de silvivagis qui parentes infirmos aliqua pietate ducti interficiunt, vel de latrociniis ab hostibus quæ a barbaris laudantur, nostram thesim non tangunt.

Prob. 1ª pars. Primaria principia morum se habent ad rationem practicam, sicut prima principia

demonstrationum se habent ad rationem speculativam, quæ ab homine usum rationis habente ignorari nequeunt.

2ª pars. Nonnisi vincibiliter ordinarie ignorantur secundaria. Nam quatenus sunt principia generalia—Homicidium non faciendum,—Non esse mentiendum,—per se necessariâ, obviâ, et facili illatione deducuntur ex primariis principiis de quibus non datur ignorantia. Si quandoque de istis secundariis ignorantia datur, hoc contingit "propter malas persuasiones, pravas consuetudines, et habitus corruptos," qui pendent ex voluntatis vitio, ac proinde sunt vincibiles.

Idem valet de obviis obligationibus proprii status. Dari vero ignorantiam invincibilem circa ulteriores conclusiones istorum principiorum patet ex controversiis theologorum moralium. Ballerini, II. n. 43.

Articulus II.

DE CONSCIENTIA PROBABILI.

Vidimus ad licite operandum requiri et sufficere conscientiam moraliter certam de actionis honestate. In plurimis tamen hæc certitudo directe obtineri nequit, sed circa objecti honestatem mens vel opinionem, vel dubium, vel suspicionem concipit. Quamvis autem cum conscientia practice opinante vel dubia et non certa de actionis honestate agi nequeat, ex opinione vel dubio sæpe efformari potest conscientia certa ope principiorum reflexorum. Hinc agendum est primo de modo efformandi con-

scientiam data opinione, et deinde dato dubio de actionis honestate.

Opinio est adhæsio intellectus in unam partem contradictionis cum formidine alterius. Hinc differt a *dubio* quod est suspensio assensus in neutram partem declinans, et a *suspicione* quæ est inclinatio intellectus in alterutram partem quin illi adhæreat. S. Thomas, II-II. q. 2, a. 1.

Opinio *tenuiter probabilis* est quæ aliquo fundamento nititur, sed non tali ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere.

Opinio *probabilis* est quæ gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi, aliquid nempe esse verisimile judicantis. Si opinio probabilis nititur intrinseca ratione adest probabilitas intrinseca, si extrinseca auctoritate probabilitas extrinseca.

Opinio *probabilior* est quæ nititur fundamento graviore, sed etiam cum formidine prudenti oppositi, ita ut contraria etiam probabilis censeatur.

Opinio *probabilissima* est quæ nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur tenuiter vel dubie probabilis.

Opinio *moraliter certa* omnem prudentem formidinem erroris excludit, ita ut opposita sit improbabilis.

Tuta est opinio quæ recedit ab omni peccandi periculo; uti est sententia moraliter certa.

Tutior est quæ favet legi in opinionum conflictu. S. Alphonsus, I. n. 40.

Pro delectu opinionum varia sunt excogitata systemata, scilicet, Rigorismus seu Tutiorismus,

Probabiliorismus, Æquiprobabilismus, Probabilismus, et Laxismus, quorum fautores audiunt Rigoristæ, Probabilioristæ, Æquiprobabilistæ, Probabilistæ, et Laxistæ.

Ad quæ systemata explicanda juvat afferre exemplum. Quæstio est inter Doctores controversa utrum qui mero suo pravo exemplo movet alterum ad damnum inferendum teneatur ad damnum ab altero illatum resarciendum. S. Alphonsus, III. n. 537. In qua controversia tutior opinio est quæ dicit esse restituendum, quæ nempe favet legi restitutionem imponenti, et quæ removet omne periculum peccandi quod adesset si non restitueretur. Si igitur in hoc et similibus casibus quis diceret esse semper legi favendum tutiorem partem eligendo nisi altera sententia esset moraliter certa adhæreret Rigorismo. Negat igitur Rigorismus licere uti probabilitate ad conscientiam efformandam etiam cum principiis reflexis. Hoc systema est damnatum propositione tertia damnata ab Alexandro VIII. :— "Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam." Si quis diceret seligendam esse partem tutiorem nisi altera sententia esset manifeste probabilior, esset Probabiliorista. Si quis diceret esse legi favendum stante dubio de ejusdem cessatione, ac in dubio circa legis existentiam esse etiam legi favendum nisi sententia pro libertate esset æque vel fere æque probabilis esset Æquiprobabilista.

Si quis diceret fas esse sequi opinionem solide probabilem etiam in concursu probabilioris et tutioris, quando agitur de solo licito et illicito, esset Probabilista,

Si quis diceret in ultimo casu licere sequi opinionem etiam tenuiter probabilem, modo a probabilitatis finibus non exeatur, esset Laxista. Quod systema videtur condemnatum esse propositione 3ª damnata ab Inn. XI.:—"Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus." Vide Viva in hanc propositionem.

Tria igitur systemata tantum nunc sunt practici momenti, scilicet Probabiliorismus, Æquiprobabilismus, et Probabilismus, quorum sequimur Probabilismum ut systema theologiæ moralis tutum, quin dicamus cum S. Alphonso, in dissertatione anno 1755 edita, eam esse sententiam "longe probabiliorem, sive probabilissimam, imo moraliter seu lato modo certam." Igitur sit thesis:

I. Licitum est sequi opinionem solide probabilem relicta probabiliore et tutiore quando agitur de solo licito et illicito.

Dicitur *solide probabilem*, quæ scilicet omnibus inspectis est solide probabilis sive absolute sive relative ad oppositam.

Dicitur *quando agitur de solo licito et illicito*, nempe quando non est alia ratio quæ reddit usum opinionis probabilis illicitum, ut esset finis absolute obtinendus, vel periculum injusti damni tertii.

Probatur (1) auctoritate. Citat S. Alphonsus pro hac sententia (Dissert. anno 1755 edita), plures quam centum auctores graves cleri secularis et regularis omnium ordinum qui hanc sententiam defenderunt. Inter quos plures asserunt suo

tempore fuisse communem: audiatur Vasquez pro ceteris: "Veram igitur existimo sententiam, quam sequitur Bartholomæus Medina, jamque in scholis et multo ante communis fuit." In I-II. S. Thomæ, disp. 62, c. 4.

(2). Monstrant Christianus Lupus (Operum, tom. xi), Terillus (De conscientia probabili), aliique viri docti Ecclesiam catholicam semper permisisse usum sententiæ probabilis: unde gravissimum argumentum eruitur pro thesi nostra; nam, ut scribit S. Alphonsus: "Dices: Ecclesia non omnia approbat quæ non damnat, sed sæpe ex prudentia tolerat. Respondetur, hoc concedi quoad aliquas opiniones particulares, sed non quoad alias, quæ doctrinam generalem continent, ut est sententia benigna [probabilismi], quæ importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus; unde si esset falsa, universi populi christiani deceptio invecta fuisset. D. Augustinus in epist. 119 dicit: *Ecclesia Dei multa tolerat et tamen quæ sunt contra fidem sanctam vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.* Item D. Thomas in *Quodlibet.* 9, a. 15, expressius ad casum nostrum docet: *Quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum. Sed Ecclesia sustinet. Ergo non est periculum peccati mortalis.* Clamant adversarii ex benigna sententia ruinam fidelium emanare: ergo si Ecclesia eam sustinet, aut Ecclesia errat aut, si tolerat, non adest peccati periculum." (Dissert. pro usu moderato opin. prob. an. 1755, n. 10.)

(3). Ecclesia virtualiter approbavit Probabilismum declarando—nihil in operibus S. Alphonsi, inter

quæ est laudata Dissertatio pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris, "censura dignum repertum fuisse," (18 Maji 1803); "notatu dignum esse, quod, licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse," (26 Maji 1839); "eum plurimos libros conscripsisse, sacra eruditione et pietate refertos, sive inter implexas theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias ad tutam muniendam viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere posse," (7 Julii 1871). Lehmkuhl, I. n. 84.

(4). Ex ratione. Existente solide probabili opinione contra legem lex est dubia. Atqui lex dubia non obligat. Ergo licet sequi opinionem probabilem relicta probabiliore et tutiore, quando agitur de sola actionis honestate.

Ad majorem. Nam lex non potest esse certa si adsit contra eam opinio solide probabilis, quæ nempe sufficit ad assensum attrahendum viri prudentis: certitudo enim elidit omnem formidinem erroris.

Ad minorem. Lex dubia certam obligationem illi obsequendi imponere non potest: utique adest obligatio inquirendi circa legem dubiam, sed si post diligentem inquisitionem lex certe obligans inveniri nequit, ignorantia legis, si hæc forte existat, erit invincibilis et actus contra legem ex ignorantia positus erit inculpabilis. Sed eo ipso quod adest sententia solide probabilis contra legem, ignorantia legis erit invincibilis stante ista probabilitate; unde

actus, contra legem si forte existat positus, erit inculpabilis, seu aliis verbis lex dubia non obligat.

Ad quæ confirmanda possunt sequentia addi ex S. Alphonso, supra citata Dissertatione, n. 18: "Docet S. Thomas, *de Veritate*, q. 17, a. 3, *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti*. . . . Et ideo habetur ut permissum quidquid a lege vetitum non invenitur, ut docet D. Thomas in IV. d. 15, q. 2, a. 4, ad 2 et 9 ubi: *Illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur*. . . . Ex his omnibus bene deducit Perez, quod qui de legis existentia dubitat, certe non ligatur a lege: certum est enim Deum libertatis dominium homini concessisse, ut agere posset omnia quæ a divina lege non prohibentur."

Ope igitur opinionis probabilis efformari potest conscientia moraliter certa qua agere licet hac vel simili ratione:—Licitum est mihi hoc facere nisi lege aliqua prohibetur. Atqui data probabilitate istius sententiæ, lex est dubia, et lex dubia non obligat. Ergo licet hoc facere. In quo argumento utraque præmissa est certa, unde certa etiam erit conclusio.

Implicite ita vel similiter ratiocinatur qui ope probabilismi conscientiam certam efformat. Ad objectionum solutionem, et ad ea quæ dici possunt de aliis systematibus remittimus lectorem ad alios auctores probabilistas.

Data igitur solida probabilitate pro honestate actionis agere licet, quamvis probabilior sententia stet pro lege prohibente, quod erit verum non tantum quando probabile est legem nunquam

extitisse, sed etiam quando est probabile legem prius existentem nunc cessasse, quia etiam in hoc casu utrum lex hic et nunc existat erit incertum, et lex dubia non obligat. Unde contra logicam et ipsum fundamentum tum probabilismi tum æquiprobabilismi videntur peccare æquiprobabilistæ qui volunt ligare conscientiam quando probabile est legem cessasse; quod pluribus in locis S. Alphonsus confirmat. Cfr. S. Alphonsus, I. tr. 2, n. 99; III. n. 112; III. n. 290; IV. n. 150.

Resolves: 1. Confessarius potest pœnitenti significare opinionem a quibusdam doctis defendi tamquam probabilem quam proinde ipsi sequi liceat, quamvis ipse confessarius eamdem speculative falsam esse judicet, et proinde in praxi ipse sequi non audeat. Ratio est, quia alter habet jus sequendi probabilem sententiam et hoc jus suum illi indicare non prohibetur.

2. Pœnitentem qui secundum probabilem opinionem operari vult, potest, imo debet confessarius absolvere, licet ipse judicet doctrinam illam falsam. Ratio est, quia recte dispositus jus ad absolutionem habet.

3. Superiori præcipienti secundum opinionem probabilem subditus tenetur obedire, quod enim licitum est facere, superiori illud præcipienti est obediendum. Ballerini, II. n. 135, seqq.

II. Notandi tamen sunt limites usus probabilismi in ipsa thesi indicati. Dictum est enim *quando agitur de solo licito et illicito.* Unde quando agitur de fine absolute obtinendo, de valore actus in tuto collocando, de periculo injusti damni tertii, non

licet uti sententia probabili et non tuta, relicta probabiliore et tutiore. Ratio est, quia probabilitas sententiæ non afficit efficaciam actus quam agens respicere in istis casibus certa lege tenetur.

Unde resolves: 1. Non licet ordinarie administrare sacramenta cum probabili materia vel forma, quia certa lex caritatis, justitiæ, et reverentiæ exigit ut minister ea valide administret.

2. Quamvis Anglicanus suam religionem probabiliter veram existimet, ulterius inquirere et veram religionem Catholicam inventam amplecti tenetur, certa enim lex vetat ne salus æterna periculo exponatur. Prop. 4 damn. ab Inn. XI.

3. Judici non licet sententiam ferre contra jus probabilius in favorem juris probabilis: nam ex officio pro meritis causæ judicare tenetur. Prop. 2 damn. ab Inn. XI.

4. Similiter medicus remedia tutiora et probabiliora adhibere ex contractu tenetur.

III. De probabilitate opinionum intrinseca solum judicare possunt versatissimi in re morali, cum sit ad hoc necessarium intime penetrare et librare rationes et leges a quibus opinionis alicujus probabilitas dependet. Quilibet vero mediocriter doctus potest judicare de probabilitate extrinseca cum ad hoc sufficiat statum quæstionis scire et doctores consulere.

IV. Extrinseca autem probabilitas, quæ constituitur auctoritate Doctorum eo quod censentur non loqui sine fundamento, sufficit ad honeste agendum, cum S. Scriptura dicat: "*Inclina aurem*

tuam, et audi verba sapientum." Prov. 22, 17; et: "*Ne innitaris prudentiæ tuæ.*" Prov. 3, 5.

Constat etiam ex responso S. Pœnitentiariæ anno 1831 edito, et a Gregorio XVI. confirmato: "non esse inquietandum confessarium qui in pœnitentiæ tribunali sequatur doctrinam S. Alphonsi de Ligorio, etiamsi non perpendat momenta et rationes, quibus innituntur variæ ipsius opiniones, sed ob solam tanti nominis auctoritatem." Marc, n. 64.

Potest igitur quis tuto sequi opinionem quam asserit S. Alphonsus esse probabilem, nisi constat certa lege posteriori vel declaratione S. Sedis esse antiquatam.

Sententia erit etiam extrinsece probabilis quæ a S. Thoma ejusque schola, vel a quinque vel sex auctoribus gravibus defenditur.

Imo unus doctor omni exceptione major potest sententiam suam reddere probabilem etiam contra communem, si rationes solidas afferat et bene solvat rationes adversantium. Nec, ut patet, obstat prop. 27ª damnata ab Alexandro VII. Ballerini, II. n. 108.

Homo rudis et illiteratus tuto sequi potest consilium parochi vel confessarii, quem reputat probum et doctum, nec scit eum singularia consulere; talis enim vix potest moraliter aliud facere ad conscientiam efformandam. Ballerini, II. n. 109. Talis vocari potest extrinseca probabilitas relativa.

Nil prohibet quominus quis licite sequi possit in diversis actibus contrarias opiniones probabiles. In una tamen eademque actione non licet sequi

opinionem unam qua tibi prodest eamque relinquere qua nocet. Sic enim agendo lex aliqua certo violaretur. Unde si accipis hæreditatem ex testamento informi juxta probabilem sententiam esse tale testamentum validum, non licet solutionem legatorum in isto testamento recusare ex altera probabili sententia tale testamentum esse invalidum. Titulus enim unde accipis hæreditatem deest quoad legata et obligat te ad illa legatariis solvenda. Similiter Fer. VI. die abstinentiæ si duo horologia diversum tempus indicant, et datur probabilis sententia ab hoc et ab illo verum tempus indicari, non licet post mediam noctem juxta unum comedere carnes, et postea adire sacram communionem eo quod juxta alterum comestio mediam noctem anticipabat. Quia complexus jurium circa abstinentiam Fer. VI. et jejunium naturale ante Communionem obligat te ut si utaris libertate et comedas carnes, non mutes sententiam cum præjudicio certo legis unius. Lugo, de Euch. XV. n. 46.

Nemo tenetur uti opinione probabili relicta tutiore; si velit, potest sequi rigidiorem quod sæpe erit perfectius; confessarius tamen non potest imponere obligationem pœnitenti quæ non existit, potest tantum prudenter consulere quod perfectius est, non vero injungere.

Articulus III.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

Dubium est suspensio assensus circa objectum apprehensum; hinc conscientia dubia vocatur quæ hæret suspensa circa actionis honestatem. Dubium est distinguendum a *suspicione* et *opinione;* nam ut ait S. Thomas, II-II. q. 2, a. 1: "Quidam actus intellectus habent cogitationem informem absque firma assensione, sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti, sive in unam partem magis declinent, sed tententur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti." Cfr. id. de Verit. q. 14, a. 1.

Dubium est *positivum*, quando mens suspendit assensum ob apparentem æqualitatem rationum moventium; *negativum* vero, quando mens suspendit assensum ex defectu rationum moventium.

Dubium est *juris* vel *facti* prout versatur circa legis existentiam ejusve obligationem, aut circa factum aliquod particulare.

Speculativum vel *practicum* est prout versatur circa veritatis cognitionem abstractam et in communi, vel circa veritatem quæ hic et nunc ad opus ordinatur. Gury, I. n. 40.

In dubio positivo si rationes ex utraque parte sint probabiles efformari potest conscientia certa ope probabilismi, de quo actum est in articulo præcedenti. Hic agimus de dubio negativo, quo sensu communiter *dubium* apud auctores adhibetur.

Cum conscientia practice dubia non licet operari, quum nonnisi conscientia subjective certa sit regula actionis. Cum conscientia tamen speculative dubia operari licet dummodo efformetur conscientia practice certa sicut variis modis ordinarie fieri potest. Sic potest dubitans perpendere dubium quod si inane invenerit potest illud deponere sine alia reflexione, et ad actionem pergere, vel si rationem aliquam probabilem invenerit hanc sequi poterit; potest praxim inquirere bonorum virorum; potest prudentes et doctos consulere. Sæpe etiam poterit dubium resolvere ope principiorum reflexorum quæ vocantur, et quæ a Doctoribus hic tradi solent tamquam adjumenta probabilismi ad conscientiam in dubiis efformandam. Inter quæ sunt sequentia:

I. *In dubio melior est conditio possidentis.*

Possessio communiter definitur—Rei apprehensio vel detentio corporis, animi et juris adminiculo. Infra tract. vi. sec. vii. pt. i. c. i. § 3. Axioma est proprie fori externi et dicit rem de cujus proprietate litigatur esse adjudicandam ei qui eam ut suam detinet nisi sibi deberi petitor probet. Ratio est, quia possessor præsumitur esse rei dominus nisi constet eum non esse, et præterea qui possidet eo ipso jus potius habet quam alius qui meliori titulo non gaudet. Unde possessio in eodum statu est conservanda nisi constet justitiam exigere ut mutetur. Hinc patet axioma recte transferri ad forum internum, et a theologis applicari ad materiam aliarum virtutum, in quibus dicitur de statu et conditione rei quæ adest vel quæ hucusque adfuit,

et cui dubium supervenit. Sic libertas dicitur esse in possessione si hucusque non fuit restricta et dubium oritur de lege eam cohibente; e contra lex dicitur in possessione esse si hucusque viguit et dubium oritur de ejus cessatione.

In dubio igitur negativo patet ratio regulæ, nam res præsumendæ sunt in eodem statu permanere nisi ratio mutationis adsit. Etiam in dubio positivo si simul cum possessione adsit æquale vel potius jus melior est conditio possidentis.

Si vero in dubio positivo potius jus sit contra possessorem, disputant theologi utrum melior sit conditio possidentis necne; de jure Anglico non est melior. Bucceroni, I. n. 143; Irish Ecclesiastical Record, Sept. 1899.

Ex quo principio plures casus de dubio resolvi possunt: Sic qui dubitat utrum annum vigesimum primum attigerit non tenetur jejunare, e contra qui dubitat utrum annum exemptionis a lege attigerit tenetur; qui dubitat dubio negativo utrum peccatum certo commissum confessus sit illud confiteri tenetur; qui die abstinentiæ dubitat utrum media nox advenerit non potest carnes comedere; qui dubitat utrum obligationi cuidam satisfecerit adhuc satisfacere tenetur; e contra qui habet probabilem opinionem se satisfecisse ad nihil amplius tenetur, uti docent plures probabilissime contra plures. Bucceroni, I. n. 156.

II. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat præsumptio.*

Præsumptio est rei incertæ probabilis conjectura. Est vel hominis vel legis; hic agitur de priore, quæ

in æstimatione boni viri posita est. Desumitur ex ordinarie contingentibus quatenus rationabiliter et saltem probabiliter supponitur in casu dubio esse factum quod in iisdem circumstantiis ordinarie fit. Hinc si soleas tempore fixo breviarium recitare et postea dubites utrum aliquam partem tempore consueto recitaveris, non teneris illam partem recitare vel repetere. In dubio utrum obediendum sit superiori aliquid præcipienti ordinarie præsumptio ei favet.

III. *In dubio factum non præsumitur, sed probari debet.*

Intelligitur factum principale ut in dubio de crimine patrato, unde etiam—*Nemo præsumitur malus donec probetur.* Sic etiam in dubio utrum post mediam noctem cibum sumpseris, sacram communionem recipere potes. E contra si agatur de aliquo accessorio valent potius alia principia,—*In dubio omne factum præsumitur recte factum.—In dubio præsumitur factum quod de jure faciendum erat.—In dubio standum pro valore actus.* Si nempe constet de actu posito agens censendus est illum egisse uti oportebat; et sic in dubio de dolore pœnitentis in confessione præterita, confessarius non debet ei imponere onus illam repetendi.

Articulus IV.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

Scrupulus est inanis apprehensio, et hinc ortus timor alicubi esse peccatum ubi non est.

Conscientia scrupulosa est illa conscientia quæ ex

vana quadam causa formidat de peccato. "Scrupulosus tamen dici non debet qui in uno tantum casu transeunter scrupulo angitur; quia scrupulositas frequentiam importat." Reuter, Neo-confessarius, n.262.

I. Qui est scrupulosus quin hoc sciat, et dubitat de actionis honestate, non potest agere dum ita judicat. Attamen si sciat esse scrupulum ac ut talem contemnit potest agere, quia leve dubium ex scrupulo ortum non tollit judicium aliunde certum de actionis honestate; nec est necessarium hoc judicium in singulis actionibus efformare, sufficit si sit virtuale.

II. Quamvis scrupuli ad tempus possunt animæ prodesse; eam separando ab omni apparentia peccati, ut ait S. Ignatius, Exercit. Spir. Reg. 3ª de Scrup., tamen si per longum tempus protrahantur multum nocent tum animæ tum corpori, unde remedia sunt iis adhibenda.

Ut hoc fiat præcipuum et fere unicum remedium ex parte pœnitentis est obedientia cœca præstita confessario prudenti. Hinc omnes confessarii debent scire quomodo scrupulosi sint tractandi. Ad hoc debet confessarius scire causam, signa, remedia hujus morbi animæ.

Causas scrupulorum scire debet confessarius, ut eas removeat, et ut apta remedia adhibeat. Hæ vero sunt vel intrinsecæ vel extrinsecæ.

Intrinsecæ sunt: indoles melancholica ad timores et anxietates disposita: judicium debile: ignorantia qua quis nescit Dei et Ecclesiæ præcepta: superbia occulta qua quis nimis proprio judicio et directioni fidit: immoderatus et indiscretus fervor.

Extrinsecæ sunt: Deus, qui permittit ut homo scrupulis angatur ut conscientia sit adhuc mundior, vel ut tepiditas excutiatur, vel ut possit sacerdos alios scrupulosos melius dirigere, vel ad majus meritum: deinde diabolus, qui incitat ad scrupulos præsertim ferventes ut eos pessumdet: societas cum scrupulosis: lectio librorum nimis rigidorum. Bucceroni, I. n. 161.

Debet confessarius scire judicare utrum vere quis sit scrupulosus necne, nam aliter tractabit vanas apprehensiones scrupulosi ut peccata, nec omnis qui dicit se esse scrupulosum revera est, et potest quis esse scrupulosus in alia materia non autem in alia.

Sequentia vero signa sunt conscientiæ scrupulosæ: 1° Pertinacia judicii, qua scrupulosus varios consulit, nec tamen ulli acquiescit nisi judicio proprio. 2° Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio, unde inconstantia et perturbatio in agendo. 3° Timere in omnibus peccatum, et contra judicium prudentum esse inquietum et anxium ob nullam causam rationabilem. 4° Si signis ridiculis, gestibus, aliisque modis utatur ad scrupulos deponendos. Bucceroni, I. n. 162.

Remedia autem scrupulorum sunt: 1° Bonum confessarium seligere, nec facile mutare, cui conscientia aperiatur et cœca obedientia præstetur. 2° Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. Dico, *contra illos agere*, ut si scrupulus urgeat ad orationem repetendam ob distractiones, ne repetat; ad aliquid honestum omittendum ne peccet, illud faciat. 3° Non ju-

dicare quidquam esse mortale nisi certo sciat. 4° Nunquam otiari. 5° Tollere causam scrupulorum quantum fieri potest.

Quando confessarius suspicatur pœnitentem esse scrupulosum hoc fere modo procedere poterit: 1° Certioretur de casu, esse nempe vere scrupulosum. 2° Causam quantum fieri potest detegat. 3° "Ubi pœnitentem esse scrupulosum cognoverit, interroget eum; Credisne et confidis quod juvare te possum? Si affirmet; interroget an sibi velit constanter confiteri, promittatque, quod velit in omnibus obedire, seposito etiam proprio judicio, et sincere omnia aperire? Si renuat, ipsum non admittat, sed remittat ut exquirat sibi confessarium quem sequatur in omnibus." Reuter, Neo-conf. n. 262; Ballerini, II. n. 186.

Sit prudens, brevis et dictatorius, regulas generales tantum præscribat. "Non ostendat confessarius scrupulos referenti se sollicite attendere quasi sint res alicujus momenti, non petat circumstantias, non exaggeret, nec clarius sibi exponi petat." ib.

"Quandoque suaviter irrideat, dum proponit dubia non fundata, jubeatque cogitare, quid velles respondere, ab alio ejusmodi interrogatus." ib.

Ut plurimum, quemadmodum advertit S. Alphonsus, scrupuli circa tria versantur: 1° Pravas cogitationes contra fidem, castitatem, aliamve virtutem. 2° Confessiones præteritas. 3° In omni actione esse peccatum.

Quoad primum genus: doceat confessarius pœnitentem cogitationes istas esse spernendas, consensum alicui malo datum esse peccatum non

cogitationem, ne permittat eum ista confiteri nisi jurare possit se consensisse, nec esse multum in conscientiæ examine immorandum; imo aliquando prohibeat ne confiteatur ista quamvis sit certus de mortali; nam scrupuli aliquando eo usque procedunt ut excusent ad tempus ab integritate confessionis. S. Alphonsus, I. n. 16; Bucceroni, I. nn. 163, 164.

Quoad alterum. Post generalem confessionem non permittat ut iterum generaliter scrupulosus confiteatur, et si quando postea concessum sit ipsi ut addat peccata forte in confessione generali omissa, præscribat ne recogitet de peccatis vitæ præteritæ, neque quidquam de istis peccatis vel de confessionibus præteritis iterum dicat nisi jurare possit peccata fuisse mortalia nec unquam confessa.

Quoad tertium. Præscribat ut pœnitens libere agat, scrupulis contemptis; regulam scrupulosus sequatur—Quidquid non est peccatum manifestum agere licet; nec debet facta cum dubio confiteri. Ballerini, II. n. 196, seqq.

TRACTATUS III.

De Legibus.

CAPUT I.

DE NATURA LEGIS.

Lex cum S. Thoma, I-II. q. 90, a. 4, definitur: "Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata."

Ordinatio,—nam legis est ordinare actiones humanas in finem debitum, ita ut sint bonæ si cum lege quadrent.

Rationis,—nam rationis in finem intendere est, et de mediis aptis judicare; præterea debet lex esse conformis rationi rectæ; igitur lex est aliquid rationis quod supponit actum voluntatis obligationem imponentis.

Ad bonum commune,—ecce legis finem in quem tendere eam oportet.

Ab eo qui curam communitatis habet,—legislator enim publicam habet auctoritatem in eos qui lege ligantur.

Promulgata,—nam lex ligat entia rationalia, unde debet iis innotescere, non quomodocumque, sed per

actum publicum quo voluntas legislatoris communitatem ligandi manifestatur. Hinc non sufficit privata notitia legis nondum promulgatæ, sed ad obligationem imponendam omnino requiritur promulgatio; "Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem." S. Thomas, I-II. q. 90, a. 4.

Promulgatio vero est—Publicatio legis, facta a legitima auctoritate, ad obligationem in subditos inducendam. Differt a divulgatione, quæ est notitia legis sparsa per populum nec necessario fit legitima auctoritate.

Lex a præcepto est distinguenda. Præceptum enim datur particularibus personis et dari potest a privatis; lex communitati datur a publica persona; præceptum directe afficit personam (hæret ossibus), lex directe territorium: præceptum ordinarie expirat morte superioris, vel ejus remotione ab officio; lex non ita. Ballerini, III. n. 4.

Nullus modus nec locus ad promulgationem faciendam universaliter determinatur, pendet ex voluntate legislatoris vel ex consuetudine. In Anglia eo ipso quod consensus Regis datur alicui legi censetur promulgata lex municipalis, et statim obligare incipit nisi, ut sæpe fit, terminus in ipsa lege statuatur quo obligare incipiet.

Quoad leges pontificias aliqui antiqui Doctores docebant ea quæ jus civile Romanum statuat de legis civilis promulgatione esse applicanda promulgationi juris pontificii, hoc principio juris canonici innixi, quod quando de aliqua re nihil statuitur in lege canonica standum est civili, ex c. 2, *de novi*

operis nuntiatione,—"Sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur." Juxta legem vero civilem constitutio imperatoris erat promulganda in singulis provinciis nec nisi post duos menses obligare incepit. Tempore tamen S. Alphonsi sententia erat valde communis et probabilior omnes fideles per totum orbem ligari sola promulgatione Romæ facta. S. Alphonsus, I. n. 96.

In qua quæstione notandum est aliquando Summum Pontificem mentem suam declarare de modo legis alicujus promulgandæ in ipsa lege. Ita in Const. Leon. XIII. *Romanos Pontifices*, 8 Maii, 1881, legimus: "Quocumque autem modo earumdem præsentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post hujusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ ac notificatæ fuissent." Specialis quoque modus legis promulgandæ fuit præscriptus Conc. Trid. sess. xxiv. c. i. de Ref. matrim., necnon in Brevi Clem. XIV., *Dominus ac Redemptor*, qua fuit suppressa Societas Jesu. In quibus casibus, ut patet, ad legem promulgandam modus præscriptus est observandus.

Si tamen nihil speciale de modo promulgationis faciendæ in ipsa lege pontificia habetur, distinguendum est inter decreta doctrinalia et leges disciplinares. Decreta doctrinalia de fide et moribus, de libris prohibitis, de cultu Sanctorum, statim obligant ac Romæ modo consueto publicantur, sunt enim nihil aliud quam divinæ legis declarationes.

De legum disciplinarium promulgatione, "communior et receptior et rationibus plane consentanea sententia est, eas Romæ promulgatas *ordinarie* statim obligare omnes fideles, scilicet in *actu primo* . . . in actu secundo non obligant nisi *post certam illarum notitiam*." Ballerini, III. n. 20.

Sane "praxis inducta est ut lex Pontificis Romæ solum vulgaretur in locis quæ erant populo frequentiora, nempe in Acie Campi Floræ, ad valvas Curiæ Innocentianæ et Cancellariæ Apostolicæ, necnon ad valvas Basilicæ SS. Apostolorum; et per hanc promulgationem vim obligandi, quantum in se est, plenam inter omnes fideles nanciscerentur. . . . Hinc stylus Curiæ est, ut Judices in Urbe quæstiones totius Orbis definiant ad normam legis quæ Romæ tantum promulgata est." Santi, Prælect. jur. can. lb. i. tit. 2, n. 23. De Angelis, Prælect. jur. can. lb. i. tit. 2, n. 10. Et de Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, declaravit S.U.I. 15 Jun. 1870: "Non igitur adeo recentis legis, regulariter loquendo, ignorantia obtendi potest, cum fuerit ea Constitutio et pro tota Ecclesia in Urbe promulgata et ubique jam celebretur."

Leges episcopales statim obligant diœcesanos ac modo consueto publicantur, uti per lectionem in synodo vel in ecclesia.

Quædam sunt legis proprietates, quarum explicatione natura legis amplius declarabitur, requiritur enim:—

1° Ut sit possibilis, non tantum physice sed etiam moraliter, ita ut a tota communitate vel saltem a majore ejus parte moraliter observari possit.

Nemo enim ad impossibile tenetur, et quod valde difficile est moraliter impossibile censetur. Laymann, De Legg. c. 14, n. 5.

Hinc *ordinarie* lex positiva sive divina sive humana non obligat cum gravi incommodo, quale est periculum mortis, mutilationis, gravis infamiæ, aut bonorum magnæ jacturæ, si tale incommodum per accidens observationi annectitur.

Quamvis enim Deus absolute posset nos obligare suis legibus cum quovis periculo, eum tamen hoc non intendisse ne in Vetere quidem Testamento et multo minus in novo colligunt Doctores ex variis locis S. Scripturæ. Suarez, De Legg. III. c. 30, n. 6; Laymann, De Legg. c. xiv. n. 5.

Dictum est autem *cum gravi incommodo si tale incommodum per accidens observationi annectitur*, si enim grave incommodum sit ipsi legi intrinsecum tunc censendus est legislator ipsum intendisse legem condendo. Unde quamvis lex divina de integritate confessionis non obliget cum periculo infamiæ ex fractione sigilli, obligat tamen cum pudore etiam gravissimo orto ex mera confessione sacerdoti facta.

Dictum est *ordinarie*, quia ratione scandali vel detrimenti spiritualis vitandi, vel majoris incommodi communis, vel obligationis status electivi lex obligare potest etiam cum gravi incommodo.

Dictum est etiam lex *positiva*, non enim agitur hic de lege naturali nec de lege irritanti.

2° Debet lex esse honesta, nam non datur obligatio ad quid inhonestum faciendum, sed e contra.

3° Debet esse utilis, nam debet tendere ad bonum

commune societatis. Hinc lex humana non potest prohibere omnia mala, sed debet aliqua etiam graviora tolerare ad evitanda majora, unde meretricium sæpe toleratur. Laymann, lb. i. tract. 4, c. 4.

4° Requiritur ut lex sit justa, unde leges injustæ in conscientia non obligant, nisi forte propter scandalum vitandum.

5° Ut sit stabilis, unde a præcepto lex differt. Cessare tamen potest per abrogationem, vel derogationem, per cessationem causæ motivæ adæquatæ, per desuetudinem.

6° Lex immediate afficit territorium, est territorialis, præceptum vero est personale; lex ordinarie non obligat extra territorium, cum—Extra territorium jus dicenti impune non pareatur; e contra præceptum sequitur personam, hæret ossibus.

CAPUT II.

DE AUCTORE LEGIS.

Dominus Deus, Creator et Gubernator omnium, est etiam supremus omnium Legislator. "Deus vero humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpositam. Utraque est in suo genere maxima." Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei.*

I. Ecclesia igitur utpote societas independens et perfecta accepit a Christo fundatore divino potestatem legislativam in suos subditos in materia sibi subjecta. Matt. xvi. 16; xviii. 18.

Quæ vero materia Ecclesiæ subjiciatur et quæ potestati civili breviter ibidem indicat Leo XIII.— "Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ; cetera vero quæ civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit quæ Cæsaris sint, reddi Cæsari, quæ Dei, Deo."

Potestatem suam legislativam exercet Ecclesia per omnes qui in foro externo jurisdictionem habent, nisi eorum potestas sit ab altiori potestate restricta.

1. Summus Pontifex igitur fert leges pro tota Ecclesia vi primatus jurisdictionis quo gaudet in Ecclesiam universalem. Extraordinarie leges feruntur pro universa Ecclesia etiam in Concilio Generali sub Romano Pontifice.

2. Episcopi congregati in synodis Nationalibus seu Plenariis, vel Provincialibus, vel Diœcesanis leges condunt pro natione, vel provincia, vel diœcesi; nihil tamen efficere possunt contra legem communem, nec in materiis Sanctæ Sedi reservatis.

3. Episcopi etiam extra Synodum leges ferre valent, consuetudo tamen invaluit ut præcepta, quæ cessant cum remotione Episcopi ab officio, potius quam leges censeantur, nisi audito consilio Capituli ferantur. Ben. XIV. De Syn. xiii. c. 5.

4. Archiepiscopi non habent jurisdictionem in subditos suffraganeorum, nisi ad ipsos legitime fuerit ab istis subditis appellatum, unde nec leges pro eis ferre possunt.

5. Sede vacante Vicarius Capitularis ferre leges potest pro tota diœcesi, quæ morum reformationem et diœcesis administrationem respiciunt.

6. Prælati regulares, juxta statuta et privilegia uniuscujusque ordinis, leges ferre possunt pro suis subditis, in eos enim jurisdictionem ab Ecclesia acceperunt.

7. Abbatissæ vero, quum mulieres jurisdictionis ecclesiasticæ sint incapaces, leges proprie dictas condere non valent; quod tamen non prohibet quominus vi potestatis dominativæ et ex voto obedientiæ a subditis emisso eis præcepta etiam sub gravi imponere valeant. S. Alphonsus, I. n. 104.

8. Parochi, quum careant jurisdictione in foro externo, leges ferre nequeunt.

II. Leges quibus subditi in finem societatis dirigantur societati etiam civili sunt necessariæ, et nullum dubium est quin gubernium, juxta formam quam in quaque regione obtinet, leges quæ obligent etiam in conscientia ferre valeat in materia sibi subjecta. Rom. xiii. 1—7; Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei.*

Quænam materia sit potestati civili subjecta supra vidimus.

1. Hinc soli Ecclesiæ competit leges ferre de spiritualibus, et quas potestas civilis de eis fert, quatenus ultra vires vel contra jus divinum, nullius sunt roboris.

Leges igitur matrimoniales Anglicæ quæ ipsum vinculum tangunt, leges quæ irritant legata ad Missas pro defunctis tamquam superstitiosa, quæ feruntur contra jus Ecclesiæ ad bona etiam immobilia collegialiter possidenda, vel contra Ordines Religiosos, nullæ sunt in conscientia et irritæ, et respectus earum solummodo est habendus ad majora mala cavenda.

2. Leges civiles contra bonos mores sunt invalidæ utpote inhonestæ.

Sic lex Anglica quæ dat præscriptionem sine bona fide est invalida et ab Ecclesia reprobata. Conc. Lat. IV. c. 41.

3. In materia mixta quæ pertinet ad utrumque forum, ecclesiasticum et civile, in suo foro quæque lex justa est observanda.

Hinc si ageretur de validitate testamenti, de

domicilio, Ecclesia in suo foro suas leges sequeretur, potestas civilis suas in foro proprio. Werntz, S.J. Jus decret. I. n. 195.

III. Summus Pontifex adhibet in regimine Ecclesiæ subsidium Sacrarum Congregationum Romanarum, in quibus Cardinales varia tribunalia suprema constituunt ad negotia ecclesiastica tractanda. Santi, Prælect. jur. can. lb. i. tit. 31, n. 39 seqq.; Lehmkuhl, I. n. 201.

Quæ Congregationes decreta et decisiones edunt, de quorum auctoritate et vi non omnes consentiunt. Sequentia nobis posse tuto teneri videntur:—

1. Congregatio Sacrorum Rituum gaudet potestate legislativa in materia liturgica sibi commissa, ut constat ex Const. Sixti V., *Immensa*, et ex decreto 23 Maii, 1846, a Pio IX. confirmato. Hinc:—

(a) Generalia ejus decreta universam Ecclesiam obligant.

(b) Particularia ejus decreta faciunt jus in casibus pro quibus dantur.

(c) Decreta comprehensiva habent vim eamdem ac rubrica seu lex quam explicant.

(d) Decreta extensiva sunt norma quam omnes laudabiliter sequuntur, non autem videntur legem universalem constituere, præsertim ob defectum promulgationis.

2. (a) Aliquando Summus Pontifex adhibet Sacram aliquam Congregationem ad decretum aliquod edendum quod ipse approbat et promulgari jubet. Tale decretum habet vim legis ut patet, nam potius est decretum ipsius Summi Pontificis quam

Sacræ Congregationis, quale est decretum S.C.C. de matrimonio civili, 13 Mart. 1879 (A.S.S. xiii. p. 126), et S.O. 25 Jun. 1885, de copula incestuosa reticita (A.S.S. xviii. p. 207).

(b) Alia decreta Sacrarum Congregationum faciunt jus inter partes easque obligant, et si plura sint et uniformia inducunt stylum Curiæ, et obligant in similibus casibus.

(c) Si sint comprehensiva, ac præsertim decreta S.C.C., alios obligant sicut lex quam explicant vel applicant.

(d) Si vero sint extensiva alios obligare non videntur, sunt enim sententiæ judiciales non leges.

CAPUT III.

DE OBJECTO LEGIS.

I. Lex humana cujus est dirigere subditos in bonum commune potest præcipere non tantum opera aliqua justitiæ sed et aliarum virtutum, iisque contraria prohibere. S. Thomas, I-II. q. 96, a. 3; Laymann, De Legg. c. 4, n. 1.

Dicitur *aliqua* opera, quia quatenus lex communitati imponitur huic debet esse accommodata, qualis non esset si nimis ardua, uti si actus heroicos, consilia evangelica, præciperet; vel si omnia peccata prohiberet; unde debet aliqua mala etiam gravia tolerare legislator ad graviora vitanda. Laymann, De Legg. c. 4, n. 2.

II. Lege humana præcipi et prohiberi possunt ea quæ jam præcipiuntur vel prohibentur lege divina vel naturali; quia nihil prohibet quominus quis pluribus titulis ad idem obligetur.

III. Ea quæ lege divina vel naturali indeterminate præcipiuntur, determinari quoad tempus, locum, aliasque circumstantias possunt lege humana.

Et sic cultus externus Dei, receptio sacramentorum lege ecclesiastica, et ætas majoritatis qua filii emancipantur, conditiones præscriptionis lege civili determinantur.

IV. Quæ ex objecto indifferentia sunt possunt lege humana præcipi vel prohiberi; quia id ad bonum commune conferre potest.

Et tunc quod ex objecto est indifferens fit bonum vel malum moraliter in ea specie quam intendit legislator si ipse vult. Unde contra temperantiam peccat qui abstinentiam vel jejunium ab Ecclesia præceptum violat; sacrilege contra religionem peccat qui non-jejunus Sacram Eucharistiam recipit. La Croix, I. n. 626.

V. Actus mere interni quatenus ad bonum commune temporale nihil conferunt non possunt præcipi lege civili. Utrum autem Ecclesia actus internos præcipere possit controvertitur. In qua quæstione sequentia nobis statui posse videntur :—

1. Potest præcipere actus *mixtos*, seu Ecclesia potest præcipere vel prohibere actus internos concomitanter quatenus requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum. Hinc ebrius, dormiens, mentis impos, aut omnino coactus non satisfacit præcepto Missæ audiendæ, quia actus humanus sicut ad transgressionem ita ad impletionem legis requiritur. Puer tamen qui ex metu audit Missam satisfacit, peccat vero si contrariam habet voluntatem.

2. Præterea potest Ecclesia actus internos præcipere quando determinat jus divinum de credendis, de actu caritatis, fidei eliciendo, de Missa pro populo a pastoribus celebranda, et de aliis hujusmodi.

3. Etiam potest superior religiosus, qui vi voti voluntarii gaudet potestate dominativa, præcipere Missæ applicationem, vota subditorum irritare, et similia.

4. Pœnitentia a confessario injuncta est in

bonum privatum pœnitentis, ad satisfaciendum Deo non societati humanæ.

5. His suppositis, nulla lex humana extendere se potest ad actus mere internos per se præcipiendos. Communis est sententia juxta Suarez. S. Thomas, I-II. q. 91, a. 4; q. 100, a. 9; II-II. q. 104, a. 5.

Talem enim potestatem esse datam non potest probari ex Sacra Scriptura vel traditione, ac Patres et Pontifices contrarium innuunt. Sic Inn. III. c. 34, *de Simonia* ait: "Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare;" et Trid. Conc. xxiv. c. i. de Ref.: "Ecclesia de occultis non judicat."

Atqui potestas legislativa æqualiter se extendit ac judicialis. Ergo. Santi, Prælect. jur. can. I. p. 14.

(a) Hinc intentio vel finis præcepti non cadit sub præcepto; unde qui jejunat ex vana gloria legem implet, quamvis non exercet actum temperantiæ a legislatore intentum.

(b) Qui opus præceptum secundum substantiam præstat, etsi non habeat voluntatem implendi præceptum, imo contrariam habeat, re vera tamen satisfacit. Sic qui audit Missam die præcepto nesciens esse de præcepto, vel si habeat intentionem aliam audiendi qua satisfaciat, jam satisfecit. Laymann, De Legg. c. 4.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO LEGIS.

Subjectum legis et obligationis est omnis et solus subditus, nam legislator jurisdictionem qua ligat non habet nisi in subditos. Hinc :—

I. Omnis homo subditur legi naturali; quia "materia legis naturalis habet intrinsecam et necessariam convenientiam vel disconvenientiam cum creatura rationali qua tali, cui etiam lex naturalis propterea dicitur intrinsece quasi congenita et insculpta." Elbel, n. 358.

Unde peccat qui provocat amentem vel infantem rationis expertem ad turpia, quamvis ipse amens vel infans excusetur.

II. Omnes et soli homines rationis habitualiter compotes legi humanæ subjiciuntur; ratio est quia lex est rationalis et stabilis regula, qua dirigi tantum possunt rationis habitualiter compotes. Hinc non peccat si quis die abstinentiæ carnes det infantibus et perpetuo amentibus, peccat vero si det ebriis adultis. S. Alphonsus, I. n. 153.

III. Legislator non directe suæ legi subjicitur, quia non est sui superior; deputatus vero parliamenti legi subjicitur quam ipse cum aliis tulit. Indirecte tamen ratione scandali, et quia pars debet se toti conformare, legislator suis legibus tenetur. S. Alphonsus, I. n. 154.

IV. Non-baptizati legibus Ecclesiæ non sub-

jiciuntur. Unde ait Apostolus: "*Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare.*" 1 Cor. v. 12. Scilicet baptismo homines fiunt subditi Ecclesiæ.

V. Baptizati hæretici et schismatici regulariter subjiciuntur legibus ecclesiasticis, at sæpe excusantur ratione ignorantiæ, et juxta plures Ecclesia non vult eos ligare legibus positivis quæ respiciunt bonum spirituale animarum, quales sunt leges jejunii, festorum, abstinentiæ; vult tamen eos ligare iis legibus quæ respiciunt primario bonum publicum qualia sunt impedimenta matrimonii. Marc. n. 198; Bucceroni, I. n. 194; Cavagnis, Instit. jur. can. I. n. 566, qui affirmat "communiter et cum veritate" ita responderi.

VI. Quia ordinarie pueri non censentur ad usum rationis pervenire ante septennium, et leges respiciunt id quod communiter evenit, ante septennium legibus positivis non obligantur.

Hinc septennes tenentur legibus abstinentiæ, sacri diebus festivis, confessionis; non vero lege annuæ communionis nisi in articulo mortis, usque ad fere decimum annum, ob consuetudinem.

Imo ordinariæ pœnæ ecclesiasticæ non ligant impuberes, i.e., pueros ad annum ætatis decimum quartum, puellas ad annum duodecimum.

VII. Multi theologi cum Lacroix (IV. n. 1381) docent clericos esse exemptos a potestate civili jure divino ex Trid. xxv. c. 20, de Ref. Saltem Romanus Pontifex, utpote caput societatis perfectæ et supremæ, est jure divino exemptus, qui etiam ceteros eximere potest. Hodie voluntas Ecclesiæ est ut clerici legibus civilibus pareant, nisi pugnent cum juribus

vigentibus suis. Cf. Lehmkuhl, I. n. 139, et canonistas.

VIII. De peregrinis sequentia statui posse videntur:—

Peregrinus est qui extra locum ubi domicilium vel quasi-domicilium habet versatur.

Domicilium autem habet qui habitat alicubi cum animo ibidem perpetuo manendi. Quasi-domicilium habet qui habitat alicubi cum animo manendi per majorem anni partem. Instruct. 7 Jan. 1867, apud Conc. Westmon. p. 414.

Advena est qui extra territorium proprium posuit domicilium vel quasi-domicilium.

Vagus est qui nullibi fixum domicilium habet.

1. Peregrinus non tenetur legibus sui territorii, quia lex est territorialis, et ipse est extra territorium; præceptis vero tenetur, quia sunt personalia. Et sic extra Angliam non tenetur Anglus jejunare Feriis quartis Adventus, sacerdos tamen a suo Episcopo suspensus nullibi Missam celebrare valet.

Locus exemptus æquiparatur loco sito extra territorium. Laymann, De Legg. c. XI. n. 5; Ballerini, III. n. 178.

2. Nec regulariter peregrinus tenetur legibus propriis territorii ubi degit, non enim ibi est subditus, et leges ligant tantum subditos.

Dicitur *regulariter* quia ratione non tantum domicilii et quasi-domicilii, sed etiam ratione originis, contractus et delicti quis fit subditus, unde legibus loci de contractibus celebrandis peregrinus tenetur, et pro delictis ibi commissis puniri potest.

Unde peregrinus Gallus in Anglia non tenetur

jejunare Feriis quartis Adventus; imo probabilius idem est dicendum etiamsi eadem lex particularis vigeat in proprio territorio. Ballerini, III. n. 204.

3. Tenetur peregrinus lege communi si vigeat in loco ubi est, etiamsi non vigeat in loco domicilii. E contra non tenetur jure communi quod viget in loco domicilii, si non observetur in loco ubi degit.

Unde tenetur Anglus peregrinus in loco ubi lex communis observatur, non tantum diebus Veneris a carnibus abstinere sed et Sabbatis.

CAPUT V.

DE ACCEPTATIONE LEGIS.

I. Legislatores in Ecclesia suam jurisdictionem non a populo sed a Deo accipiunt; unde leges ab ipsis latæ, quantum ad vim obligandi subditos attinet, non pendent ex populi acceptatione, sed substantiam suam et vim obligandi promulgatione accipiunt.

II. Defectus tamen acceptationis populi efficit aliquando ut per accidens lex non obliget; quia si usu non acceptatur in desuetudinem abit, vel consensu expresso vel tacito legislatoris revocatur. Et sic si per decennium lex non fuerit observata, vel si major et sanior pars populi eam non recipit, quamvis primi peccarint transgressores, non præsumitur legislator velle ceteros obligare. S. Alphonsus, I. n. 139.

III. In legum observatione oportet quemlibet conformari cum ea Communitate cujus ipse sit proxima pars. Laymann, De Legg. c. 3, n. 5.

IV. Episcopis et præsertim Metropolitanis ex officio incumbit novas Pontificias Constitutiones in diœcesibus promulgare atque in usum deducere, saltem postquam ex Romana Curia authentice ipsis transmissæ fuerunt cum mandato expresso vel tacito ut eas publicari et observari curent. Laymann, De Legg. c. 3, n. 2; S. Alphonsus, I. n. 96.

V. Si Episcopi arbitrantur novam Constitutionem sui populi moribus non convenire, poterunt allatis rationibus Summo Pontifici supplicare, et interim executionem legis suspendere. Si vero cognitis rationibus Summus Pontifex persistat, obedientia erit præstanda. Ben. XIV. De Syn. IX. c. 8; Laymann, De Legg. c. 3, n. 7.

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

Obligatio hæc est necessitas quædam moralis exorta ex ipsa lege ita vel aliter agendi ut quis evitet culpam et pœnam. Et sic lege necessitatur quodammodo conscientia, scilicet conditionate, debet ita facere si velit recte agere, si velit evitare culpam et pœnam. S. Thomas, De Veritate, q. 17, a. 3.

I. Non tantum Dominus Deus sed et legislatores humani possunt talem obligationem suis legibus conscientiis hominum imponere, quatenus Deus præcipit ut superioribus obedientia præstetur. Rom. xiii.

Quæ obligatio potest esse gravis vel levis pro voluntate legislatoris si materia sit capax. Dicitur *si materia sit capax*, nam quamvis legislator humanus potest præcipere sub levi culpa vel etiam sub pœna tantum in gravi materia, non potest sub gravi in materia undecumque levi præcipere, nam talis materia non est gravi obligationi proportionata.

Quænam sit gravis materia colligi potest ex objecto, fine, et circumstantiis; non tantum ex objecto, quia quamvis ex objecto materia non sit gravis, potest evadere gravis ex fine et ex circumstantiis; sic enim mixtio calicis sub gravi in Missa præscribitur.

Intentio autem legislatoris sub gravi præcipiendi colligi potest: 1° Ex verbis legis: 2° Ex gravitate pœnæ: 3° Ex interpretatione Doctorum et consuetudinis: 4° Si materia sit gravis et non constet de voluntate legislatoris sub levi tantum præcipiendi. S. Alphonsus, I. nn. 141—144.

II. Lex affirmativa obligat semper sed non ad semper; negativa vero obligat semper et ad semper.

Nam nullo momento licet legem negativam transgredi, et sic die jejunii nulla parte diei licet carnes comedere; quamvis autem lex affirmativa semper durat et suo tempore est implenda, non est singulis momentis implenda; unde præceptum orandi semper durat, non tamen est singulis momentis orandum, quod esset impossibile. S. Alphonsus, I. n. 101.

III. Lex imprimis obligat ad sui notitiam, nam aliquid præcipiendo media ad illud necessaria præcipit; scientia vero legis est necessaria ad ejus observantiam. Hinc sicut contra legem peccatur illam non observando, ita etiam peccatur illam vincibiliter ignorando.

IV. Lex obligat ad occasiones proximas vitandas legem transgrediendi, nam hoc etiam est medium ad legem observandam necessarium. Hinc peccat contra legem qui sine justa causa exponit se proximo periculo illam violandi.

V. Legi negativæ satisfit opus prohibitum non ponendo, uti omittendo opera servilia die festivo de præcepto, quamvis de lege nihil quis cogitet; legi positivæ, si *realis*, ut est lex tributorum solvendorum,

satisfit opus præstando; si *personalis*, uti lex audiendi sacrum, ei satisfit actum humano modo, seu actum humanum, ponendo.

Et sic si debitum solvisti, quamvis illud solvere non intenderas, ad nihil amplius teneris; debes autem intendere audire sacrum ut obligationi satisfacias, hinc non satisfacis si ad Ecclesiam durante Missa venis pluviam evitandi causa tantum ductus. Ad legem vero implendam non requiritur ut finem legis intendas, nam finis præcepti non cadit sub præcepto. Pœnitens qui opus præscriptum in pœnitentiam implevit, satisfecit, quamvis satisfacere non intendit, dummodo opus pro alia re non applicavit. S. Alphonsus, I. n. 163.

VI. Potest quis eodem tempore diversis actibus duplici præcepto satisfacere, dummodo unum non impediat alterum. Nequit tamen duo præcepta quæ in materiam diversam cadunt unico actu implere, secus si in eamdem materiam cadunt.

Resolves: Qui tenetur ad breviarium recitandum et ad Missam audiendam, potest illud durante Missa recitare. Pœnitens cui pœnitentia Missam audire fuit imposita, non satisfacit audiendo unam die dominico, nisi id intenderat confessarius; quod si confessarius intenderat, satisfacit duobus præceptis unica Missa audienda. S. Alphonsus, I. n. 166.

VII. Qui ad totum est impotens tenetur ad partem, si res sit dividua, et ratio præcepti salvetur, secus non.

Hinc qui potest aliquas licet non omnes horas recitare, ad recitandas quas potest tenetur; qui vero

totum iter Romam ad limina visitanda peragere non potest, non tenetur ad partem.

VIII. Post tempus determinatum elapsum cessat obligatio, si tempus fuerit appositum ad finiendam obligationem, ut dies dominica pro Missa; secus si ad urgendam, ut tempus Communionis Paschalis.

CAPUT VII.

DE CAUSIS A LEGE DEOBLIGANTIBUS.

Aliquis potest ab obligatione legis subtrahi per causas *eximentes* et *excusantes*. Causæ vero eximentes sunt quæ totaliter subditum dominio legis subtrahunt, ut si exeatur e territorio ubi lex viget; excusantes sunt quæ subditum sub lege remanentem excusant ab ejus impletione. Tum priores tum posteriores apponi possunt vel *directe* vel *indirecte*, prout subditum movet finis sese legi subtrahendi vel alia causa; *proxime* vel *remote* prout lex urget brevi vel post notabile temporis intervallum.

I. Licet apponere causas eximentes, et probabilius etiam *directe* et *proxime;* quia lex non obligat ut quis subditus maneat, sed qui est subditus et manet eum obligat. Hinc qui exit e territorio etiam eo fine ut se legi subtrahat utitur jure suo.

Duo tamen casus sunt positivo jure excepti, scilicet quando quis exit e loco ubi decretum Tridentinum *Tametsi* est publicatum ad matrimonium clandestine contrahendum in loco ubi non est publicatum, et quando irretitus casu reservato petit aliam diœcesim ubi non est reservatus ad absolutionem a reservato obtinendam; tunc enim invalide matrimonium celebratur, invalide casus absolvitur. De priore constat ex responso S.C.C. ad Archiepiscopum Coloniensem approbato ab

Urbano VIII. 14 Aug. 1627; de altero ex Const. Clem. X. *Superna*. Quas dispositiones speciales si quis ad alios casus extendere vult ex eo quod—Fraus sua nemini patrocinari debet; respondetur quod—Nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur. Reg. 55 ff. de Reg. Jur.

Resolves: Qui die jejunii transit ad aliam diœcesim ubi jejunium non observatur ut a jejunio eximatur non peccat. Qui transit ad locum ubi generalis dispensatio ad carnes comedendas die abstinentiæ habetur, utitur jure suo et licite ibi carnes comedit.

Causæ excusantes reducuntur ad ignorantiam, metum, impotentiam. Quoad ignorantiam et metum, et quomodo a peccato excusare possint, jam vidimus.

Quando quis est factus impotens ad legem implendam excusatur ab ejus impletione, quia nemo ad impossibile tenetur; at num licet facere se impotentem? num, exempli causa, licet alicui laborare die jejunii ut a jejunio excusetur?

II. Non licet *directe* apponere causas impedientes seu excusantes sive proximas sive remotas. Nam lex prohibet quominus aliquid fiat data opera eo fine quamdiu quis ei subjicitur.

Nec licet *indirecte* causas proxime impedientes apponere, nisi adsit proportionata necessitas. Quia lex proxime urgens obligat ad media ordinaria adhibenda quibus impleatur; ratio exceptionis est quia lex positiva non obligat cum gravi incommodo. Probabilius tamen licet *indirecte* apponere causas remote impedientes etiam sine ratione. Nam esset

grave incommodum si quis teneretur a longe præparare se ad legis impletionem.

Resolves: Non licet differre panum coctionem ad diem dominicam, sed tenetur quis panes diei dominicæ sufficientes pridie coquere ut a servilibus operibus dominica die vacet. Non peccat qui Sabbato ante horam vespertinam decimam vadit etiam recreationis causa ad locum ubi prævidet se non posse cras audire sacrum, si istud non directe intendat, quamvis non sit laudandus. Hoc tamen non admittit S. Alphonsus, III. n. 301. Intra verò aliquot dies ante tempus quo urget lex Communionis Paschalis non licet ponere causas excusantes sine gravi ratione, quia strictius hæc lex obligat quam eæ quarum obligatio frequentius occurrit, ut sunt leges jejunii, abstinentiæ, sacri audiendi. In praxi et in regulis de hac materia applicandis magna prudentia requiritur. La Croix, I. n. 793; Lehmkuhl, I. n. 158.

CAPUT VIII.

DE INTERPRETATIONE LEGIS.

Interpretatio est genuina legis explicatio juxta mentem legislatoris, mentem scilicet non latentem sed verbis legis expressam.

1° Est vel *authentica* vel *doctrinalis* vel *usualis*.

Interpretatio authentica fit ab eo qui legem condere potest, et vim legis habet, si tamen superior ut superior eam dat. Doctrinalis fit a viris doctis, et facit opinionem plus minus probabilem pro eorum auctoritate et rationibus datis.

Usualis est modus practicus quo judex in foro vel populus sensum legis explicat; hoc sensu dicitur consuetudo optima legum interpres.

2° Est *stricta* vel *lata*, prout fit stricte juxta naturalem verborum proprietatem, aut large juxta sensum benigniorem.

3° *Comprehensiva* vel *extensiva*, prout nil novi inducitur, aut aliquid additur. Et quidem si interpretatio comprehensiva clare fuit in ipsa lege imbibita, nova promulgatione non indiget ut subditos obliget; si tamen non fuit clare in lege imbibita, vel si sit extensiva, indiget nova promulgatione a superiore competente facta ad obligandum, quatenus est quasi nova lex. S. Alphonsus, I. n. 200.

I. Præcipuæ interpretationis regulæ ad scopum nostrum sunt:

1° Verba ut sonant sunt accipienda.

Aliquando tamen verba sunt technica, et habent sensum alium in jure, alium in sermone communi. Sic *mors* sumitur pro naturali vel civili; *filii* comprehendit adoptivos; *legitimi* legitimatos.

2° Mens legislatoris attendenda est et finis legis. Hæc sæpe ex procemio cognosci possunt. Cf. Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis* qua censuræ latæ sententiæ limitantur. In responsis mens apparet præcipue ex quæstione proposita, et notandum "Incivile esse, nisi tota lege perspecta, una ejus particula proposita, judicare, vel respondere; sed textus ipse sermonis a præcedentibus et consequentibus, consulendus est, ut videamus, cuinam sententiæ ex pluribus quæ se ostendant feret suffragium." L. 24, ff. de Legg.; Laymann, I. tr. iv. c. 18.

3° Odiosa, seu quæ onus et gravamen inferunt, in dubio sunt restringenda, favorabilia sunt ampliandа.

Sic *populus* in odiosis non comprehendit clerum, aliter in favorabilibus; *clerus* in odiosis significat inferiorem clerum secularem, nec comprehendit Episcopos, nec dignitates, nec religiosos; aliter in favorabilibus.

II. Leges non sunt extendendæ a casu ad casum; sic quamvis sacerdos qui sollicitat pœnitentem sit denunciandus, hæc obligatio non est extendenda ad denunciandum pœnitentem sollicitantem. Nec etiamsi eadem ratio currit, nam ratio legis non est lex; sic peccata commissa die dominica non sunt contra tertium præceptum decalogi; et quamvis parochi tenentur Missam pro populo applicare

diebus festivis, hæc obligatio non est extendenda ad missionarios curatos in hac regione. S.C. de P.F. 3 Dec. 1866. Nisi exinde sequeretur absurdum vel iniquum, ut in *correlativis*, ut sunt sponsus et sponsa; in *æquiparatis*, ut sunt ova et lacticinia ratione abstinentiæ; in *connexis*, ut sunt diaconus et subdiaconus; in *contentis*, unde qui testari potest etiam legata facere valet. S. Alphonsus, I. n. 200.

III. *Epikeia* est benigna sed æqua legis interpretatio, qua lex judicatur non se extendere ad talem casum particularem; nam ut ait S. Thomas II-II. q. 120, a. 1: "Legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes; quam tamen in aliquibus casibus servare est contra æqualitatem justitiæ et contra commune bonum quod lex intendit." Hinc quamvis generaliter præscribitur restitutio rei alienæ, non tamen debet quis restituere gladium furioso, depositum oppugnaturo civitatem; et quamvis tenetur quivis Catholicus audire Missam diebus festivis de præcepto, lex non urget cum gravi damno, vel amissione boni notabilis.

Epikeia maxime locum habet in legibus obligantibus, non in legibus infirmantibus; nisi de voluntate legislatoris aliquo signo constet; sic lex clandestinitatis (Trid. xxiv. c. 1, de Ref. matr.) non cessat ob necessitatem particularem. Laymann, c. 19, n. 2.

Ut detur locus epikeiæ non sufficit ut lex cesset *negative;* male aliqui dicebant perfectos ad jejunandum non teneri, quia non indigeant mortificatione passionum, et, si nullum sit periculum, esse licitum

legere libros prohibitos; debet cessare lex *contrarie;* unde uti epikeia possum: 1° Ut caveam aliquid iniquum; hinc non debeo linquere infirmum ope indigentem ad Missam audiendam. 2° Ut vitem acerbam et injustam obligationem, qualis esset de re moraliter impossibili; ut si Missa audiri non posset sine gravi damno die dominica. 3° Propter conjectatam legislatoris voluntatem; si res sit dubia est recurrendum ad legislatorem, si clara non erit hoc necessarium. Ballerini, I. nn. 385—386.

CAPUT IX.

DE CESSATIONE LEGIS.

Lex cessare potest in casu particulari per dispensationem, et generaliter et ab extrinseco per abrogationem vel derogationem, et ab intrinseco cessante causa finali pro tota communitate.

Primo cessat lex per dispensationem, quæ est relaxatio legis in casu particulari propter specialem causam.

I. Potestas relaxandi legem sicut et potestas legem ferendi competit tantum iis qui habent jurisdictionem sive ordinariam sive delegatam.

Ordinaria autem jurisdictio est quæ habetur vi officii, et quæ exercetur nomine proprio; delegata est quæ habetur ab habente ordinariam et alieno nomine exercetur.

Jurisdictione ordinaria dispensant ipse legislator, ejus successor, et superior; potestate delegata, qui ab illis dispensandi potestatem receperint. Hinc:—

1° Summus Pontifex dispensare potest in iis quæ sunt legis ecclesiasticæ, non tamen in lege divina, exceptis iis quæ ex voluntate humana oriuntur ut vota, juramenta; et in quibusdam aliis, ut in matrimonio rato, disputatur utrum dispenset an tantum declaret jus divinum in casu cessare. In praxi parum refert utram sententiam quis amplectatur. S. Alphonsus, I. n. 188.

2° Episcopi dispensare valent: (a) In legibus quas tulit Concilium Provinciale nisi fuerint concilio reservatæ. (b) In legibus diœcesanis. (c) Quamvis per se non possint dispensare in legibus communibus, attamen ex præsumpta Summi Pontificis voluntate et ex consuetudine dispensare valent: (*α*) cum materia est levis; (*β*) in casibus dubiis; (*γ*) in iis quæ sæpe recurrunt ut in jejuniis, abstinentia, observantia festorum, officio divino in casibus particularibus; (*δ*) in aliis etiam gravioris momenti in quibus non est facilis recursus ad Summum Pontificem, et est periculum in mora. S. Alphonsus, I. n. 190.

Quid præterea facere possint Episcopi ex potestate delegata cognoscitur ex facultatibus ipsis specialiter concessis.

Episcopi dispensare possunt non tantum incolas, advenas et vagos, sed in legibus jejunii, abstinentiæ, ab operibus servilibus, in votis et juramentis, et in similibus, satis probabiliter etiam peregrinos, eo quod per accessum ad superiorem localem sufficienter fiunt ejus subditi, quamvis communius docetur contrarium; denique se ipsos dispensare valent. S. Alphonsus, I. nn. 158, 183.

3° Prælati regulares ex regula generali pro suis subditis eamdem potestatem habent ac Episcopi pro suis. Præterea ampliores facultates ex privilegiis concessis competunt iis etiam pro extraneis. S. Alphonsus, de privil. n. 106, seqq.

4° Parochi ex consuetudine in casibus particularibus dispensare valent suos parochianos in iis quæ indigent prompta dispensatione et quæ fre-

quenter occurrunt, ut in jejuniis, in abstinentia, in operibus festo die prohibitis, et in similibus. Qua potestate videntur gaudere missionarii in hac regione vel ex commissione implicita Conc. West. I. d. 23, nn. 1, 3, vel ex consuetudine, vel ex facultate quoad aliqua ex prædictis specialiter delegata. Cfr. Sabetti, n. 100.

II. Ad dispensandum licite semper requiritur causa saltem probabiliter justa, aliter enim dispensans non esset dispensator fidelis sed dissipator; in eo qui dispensat potestate delegata requiritur justa causa etiam ad validitatem dispensationis, quia potestas datur sub ista conditione.

Petitio dispensationem petentis debet veritate niti, aliter dispensatio non valebit cum sub ista conditione detur.

III. Superior potest licite vel concedere vel denegare dispensationem petitam si causa sit tantum sufficiens; si autem dispensatio sit necessaria ad evitandum magnum damnum privatum vel commune, valide sed non licite recusatur. "Denegata tamen (etiam injuste) dispensatione, nequit subditus agere contra legem; nisi talis causa urgeat, ut eum extrahat a lege; quare si episcopus injuste neget dispensationem publicationum ante matrimonium, potest, urgente gravi causa, illud contrahi sine eis." S. Alphonsus, I. n. 179.

IV. Potestas dispensandi utpote favorabilis bono communi late est interpretanda; ipsa vero dispensatio, cum sit vulnus legis, stricte est accipienda, ac proinde in dubio utrum se extendat ad aliquem casum, non extendere censenda est.

V. Dispensatione territoriali quæ conceditur pro aliqua diœcesi, regno, quilibet incola vel peregrinus vel vagus uti potest intra limites loci pro quo datur, nemo tamen ea uti potest extra illum locum. E contra dispensatio personalis hæret personæ, qui ubicumque fuerit illa uti potest, nisi fuerit ad certa loca restricta, uti sunt dispensationes quoad cibos concessæ in Bulla Cruciata. La Croix, lb. viii. dub. ii.

VI. Dispensatio cessat: 1° Revocatione legislatoris vel ex justa causa dispensantis delegata potestate, qua posita lex suam vim iterum exseret, votum vero non reviviscit sine voluntate voventis. 2° Renunciatione, quæ facit ut vota statim reviviscant, ad legem vero iterum imponendam requiritur acceptatio superioris. 3° Cessante totaliter causa motiva, nisi effectum jam sortita est dispensatio, vel absolute fuerit data.

Secundo, cessat lex per abrogationem vel derogationem. Abrogatur lex cum legitime omnino tollitur. Tollitur autem vel per ipsum legislatorem, vel per ejus successorem, vel per consuetudinem contrariam. Derogatur legi quando ea ex parte mutatur, ut si aliquis articulus legi auferatur, vel aliquis casus particularis excipiatur.

Tertio, cessat etiam lex cessante fine totali pro tota communitate; ratio est quia in istis circumstantiis lex fit inutilis, nec urgeri a legislatore amplius rationabiliter potest.

Cessat etiam legis obligatio in casu particulari si finis legis cessat *contrarie* ita ut evadat lex in casu nociva. Utrum vero cesset cessante fine in casu

particulari *privative* tantum, controvertitur. Communius negatur; affirmativa tamen sententia est pluribus et gravibus doctoribus probabilis, eo quod etiam in isto casu lex evadat inutilis. Bucceroni, I. n. 172.

CAPUT X.

DE PRÆCIPUIS LEGUM SPECIEBUS.

Articulus I.

DE LEGE NATURALI.

Ratio et voluntas divina qua gubernantur omnia quatenus præcipit ordinem servandum et perturbari vetat vocatur lex æterna.

Participatio quædam legis æternæ quam manifestat ratio humana, et qua cognoscit quid sit bonum et quid malum, vocatur lex naturalis.

1. Objectum igitur legis naturalis constituitur iis quæ intrinsece sunt mala vel bona; ista mala sunt in se et ideo prohibentur, non sunt mala quia prohibentur; et intrinsece bona habent in se rectum ordinem ad finem ultimum, et ideo præscribuntur, aut saltem permittuntur.

2. Quatenus humana natura semper et ubique est eadem, quæ conveniunt vel disconveniunt cum natura humana erunt eadem, unde lex naturalis universalis et immutabilis est in se, quamvis mutata materia mutari possit. Unde quamvis ex lege naturali suum cuique sit tribuendum, si tamen furiosus uteretur gladio suo ad se necandum, in his circumstantiis non erit ei tribuendus. Suarez, De Legg. II. c. 13.

3. Unde lex naturalis obligat omnes qui naturam

humanam habent etiam infantes et amentes, quos non licet ad intrinsece mala provocare, quamvis ob defectum rationis peccare formaliter non possunt.

4. Lex naturalis utpote recta ratio est quidem immutabilis, attamen quamvis præcepta ejus primaria et secundaria sint satis clara, nec regulariter ignorari invincibiliter possint ab hominibus usu rationis gaudentibus, ulteriores conclusiones et applicationes ad casus particulares sæpe sunt obscuræ, quæ ignorari possunt et sæpe ignorantur; unde quamvis lex ipsa sit immutabilis, hujus scientia mutationem et progressum admittit. D'Annibale, I. n. 193.

5. Distinguuntur præcepta absoluta juris naturalis et conditionata. Illa ab omni conditione independentia sunt, ut Deum esse colendum; hæc factum aliquod supponunt, ut fidem datam esse servandam. Etiam distinguitur jus naturæ *strictum* quod natura rationalis omnino exigit, ut ne sit polyandria; et *latum* seu *secundarium* quod demonstrat inclinationem naturæ, ut ne sit polygamia.

Articulus II.

DE LEGE POSITIVA DIVINA.

Lex divina est quæ a Deo per revelationem data est.

Continetur præsertim in Veteri et Novo Testamento.

1. In Lege Veteri continebantur præcepta moralia, judicialia, et cærimonialia. Judicialia et

cærimonialia, Ecclesia Christiana constituta, fuerunt abolita, moralia expresse fuerunt a Christo Domino confirmata. Matt. v. 17.

2. In Nova Lege consilia quidem magnæ perfectionis fuerunt a Christo data, nullum tamen novum immediate morale præceptum fuit istis Veteris Legis additum. Nova quidem circa fidem et sacramenta addita sunt, ex quibus alia consequenter moralia sequuntur, ut obligatio recipiendi S. Eucharistiam, credendi Ecclesiam infallibilem. Et propter majus lumen et auctoritatem Christi spretam graviora sunt peccata Christianorum si violant præcepta moralia quam Judæorum. Suarez, De Legg. X. c. 2.

3. Lex Vetus obligabat tantum Judæos, fuit imperfecta et temporanea; Lex Nova omnes obligat, est longe antiqua perfectior et efficacior, et ad seculi consummationem duratura.

Articulus III.

DE LEGE ECCLESIASTICA.

Ecclesiam catholicam habere divinitus potestatem legiferam supra cap. ii. vidimus. Hic pro scopo nostro tantum fontes juris canonici breviter sunt indicandi, et modi illos citandi, non raro enim in theologia morali allegantur. Sequentia fere excerpsi ex Sanguineti S.J., Jur. eccles. Instit. p. 24.

Corpus Juris Canonici his collectionibus constituitur,—Decreti Gratiani, Decretalium Gregorii IX., Sexti Decretalium, Clementinarum, Extravagantium Joannis XXII., et Communium.

I. Decretum Gratiani in tres partes dividitur quæ ita citantur:

(a) In I: *Can. Miramur dist. 61; Can. 5, dist. 61; Can. Miramur 5, dist. 61; dist. 61, Miramur.*

(b) In II: *Can. Quia juxta 59, can. 16 q. 1; can. 59, ca. 16, q. 1.* Ibid. in tract. de pœnit. *Can. Lacrimæ 2, dist. 1, de pœnit.*

(c) In III: *Can. 12, Missarum, dist. 1, de Consecr.; dist. 1, Missarum de consecr.*

II. Textus ex libris Decretalium ita allegantur:

Cap. Odoardus de Solutionibus; Cap. 1, de Electione; Cap. Sicut Romana 1 de Rescriptis.

Antiquiores spectantes Decretales veluti *extra* Decretum Gratiani, textus ita allegabant: *Cap. Sicut Romana X* (extra) *de Rescriptis.*

III. Textus ex Sexto allegantur eodem modo, addito *in 6°*. Ex. gr. *Cap. Licet de Constit. in 6°.*

IV. Textus ex Clementinis possent eodem modo allegari, addito solum *in Clementinis*, sed communiter allegantur: *Clem. Eos qui, de Cons. et aff.*

V. Similiter Extravagantes: *Cap. Unam Sanctam de Major. et Obed. in Extravagg. Comm.* Sed compendiose: *Extrav. Unam Sanctam de Major. et obed. inter comm.* Et ubi hoc ultimum non habetur significatur esse Joannis XXII.

Jus recentius constituitur decretis Conciliorum maxime Tridentini et Summorum Pontificum, in quibus tamen citandis nulla difficultas occurrit. Constitutiones Pontificum hoc modo allegantur: Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, 12 Oct. 1869.

Per se jus commune ecclesiasticum per totum orbem catholicum viget. Apud nos autem plura

nondum sunt introducta; "Nam," ait Leo XIII. Const. *Romanos Pontifices*, 8 Maii, 1881, "quamvis hierarchiæ instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiæ disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent."

Articulus IV.

DE LEGE PŒNALI.

Lex quæ obligat ad aliquid faciendum vel omittendum sub culpa, ita ut peccet qui non agat juxta legem, vocatur lex *moralis*. Lex quæ obligat aut ad aliquid faciendum vel omittendum, aut aliter ad pœnam subeundam, vocatur lex *pœnalis*. Lex quæ obligat et ad culpam et ad pœnam vocatur lex *mixta*.

Porro dari possunt leges mere pœnales, nam sicut quantitas obligationis pendet a voluntate legislatoris ita ut si materia sit capax possit obligare sub gravi vel sub levi culpa, ita etiam qualitas obligationis a voluntate legislatoris pendet, et potest velle ut subditus vel faciat quod præscribatur, vel secus ut pœnam statutam luat, quin tamen peccet si pœnam solvere sit paratus. Et quidem potest intendere ut ipso facto subditus teneatur solvere pœnam nisi rem præscriptam faciat, vel ut tunc sit obligatio solvendi pœnam quando judex illam infligit. S. Thomas, II-II. q. 186, a. 9, ad 2; Suarez, De Legg. lb. iii. c. 22; v. c. 4. Est igitur quæstio facti utrum lex determinata sit mere pœnalis necne.

I. Leges pœnales dignoscuntur:—

1° Ex legis materia, verbis, adjunctis. Ut si finis legis satis efficaciter obtineri potest sola pœna statuta contra transgressores, vel si legislator expresse declarat se ligare tantum ad pœnam ut factum est quoad regulas ordinis Prædicatorum (S. Thomas, II-II. q. 186, a. 9, ad 1), et Societatis Jesu, vel si nullum periculum ex tali modo legem ferendi sequeretur.

2° Ex communi Doctorum sententia.

3° Ex consuetudine optima legum interprete. Bucceroni, I. n. 228.

II. Ignorantia pœnæ ab ea excusat si ita vult legislator, ut de facto statuitur de censuris nisi ignorantia sit crassa vel supina. *C. 2 de Constit. in 6°.* Etiam excusat ignorantia pœnæ in foro interno si adest ignorantia culpæ, nulla enim pœna sine culpa; non vero excusat a pœna ordinaria si hæc sola et non culpa ignoratur, quia lumen naturale monstrat malum pœnæ sequi malum culpæ; e contra excusat a pœna extraordinaria seu exorbitante, quia hæc prævideri a reo non potuit. S. Alphonsus, I. n. 169; VII. n. 351.

III. Pœna lege statuta alia est *activa* quæ indiget actione delinquentis ut in executionem mandetur, ut solutio pecuniæ; alia est *privativa* quæ privat jure acquisito; alia est *inhabilitans* quæ reddit alicujus juris incapacem; alia est *ferendæ* alia *latæ* sententiæ, prout a judice est infligenda vel ipso facto incurritur.

Si pœna sit ferendæ sententiæ reus non obligatur ad eam subeundam ante judicis sententiam, nec si sit activa, nec si sit activa simul et privativa, nisi

aliud sit expressum in lege; pœna tamen incurritur ante sententiam judicis si sit latæ sententiæ, si sit simpliciter privativa, vel inhabilitans. Attamen sententia declaratoria judicis requiritur pro pœnis privativis et inhabilitantibus casu quo reus exequi sententiam non potest sine propria infamia. Bucceroni, I. n. 230.

Resolves: Reus non tenetur solvere mulctam nisi post sententiam judicis in executionem proceditur; nec ante sententiam tenetur resignare beneficium ob crimen in cujus pœnam privatio beneficii assignatur; censuræ tamen latæ sententiæ, et privatio juris maritalis ob incestum, et irregularitas, ante ullam sententiam incurruntur.

Articulus V.

DE LEGE IRRITANTE.

Lex *irritans* proprie est quæ actum aliquem, naturali jure de se validum ad suum producendum effectum, irritum et nullius roboris esse præcipit.

Dicitur *naturali jure de se validum*, nam ipsa lex naturalis aliquando non tantum prohibet actum sed eum reddit invalidum, ut matrimonium secundum durante primo. Generaliter actus est nullus et irritus jure naturali quando prohibetur jure naturæ ob defectum potestatis, vel ob materiæ incapacitatem, ut donatio alicujus rei huic quæ jam donata est illi, vel ob turpitudinem quæ in ipso effectu perdurat, ut in matrimonio inter patrem et filiam. Suarez, De Legg. lb. ii. c. 12.

I. Legislatorem vero, tum ecclesiasticum tum civilem, habere potestatem leges irritantes condendi constat ex eo quod nihil fit contra jus naturale, cum validitas actuum in his casibus non sit ex jure naturali præcipienti, sed tantum ex jure naturali permittenti, seu non obstante, seu negative ut dicitur; et ratio boni communis potest exigere ut actus isti sint omnino irriti et nullius effectus. Suarez, De Legg. lb. v. c. 19.

II. Aliæ leges faciunt actum rescindibilem tantum, ut lex nostra municipalis facit rescindibilem contractum metu gravi initum; aliæ faciunt ut actus sit omnino irritus ab initio, ut lex ecclesiastica de impedimento matrimonii ob consanguinitatem; aliæ leges tantum denegant actionem quin actum irritent, ut quando unus suam partem præstitit in contractu turpi, non datur alteri actio ad suam partem vindicandam.

III. Leges irritantes vel directe afficiunt actum, nullius roboris eum reddendo, ut impedimentum dirimens matrimonii; vel formam substantialem præscribunt qua non servata actus est nullus et irritus, ut lex Tridentina de matrimonii clandestinitate; vel personas inhabiles ad actum ponendum reddunt, ut lex Tridentina de professione religiosa ante annum ætatis decimum sextum (sess. xxv. c. 15, de Reg.). Hæ ultimæ vocantur etiam leges *inhabilitantes*.

IV. Qui actum irritum et simul lege quæ in conscientia ligat prohibitum facit peccat, sicut et qui tali actu justitiam vel caritatem lædit, ut notarius qui invalidum instrumentum conficit; secus vero si

actus quamvis irritus neque malus neque damnosus neque prohibitus sit.

V. Ignorantia non excusat a lege irritante, cum non suppleat objectivum actus valorem, nisi fortasse irritatio principaliter in criminis pœnam fuerit inducta. Nec metus nec grave incommodum privatum excusant, cum non tribuant vim qua caret actus, qui redditur irritus ob bonum publicum, unde matrimonium inter consanguineos erit irritum etiamsi ineatur ad mortem vitandam. Irritatio tamen cessat ob grave incommodum publicum. Bucceroni, I. n. 225.

VI. Sicut adsunt leges irritantes ita sunt leges juris constitutivæ, quæ aliquod jus constituunt et conferunt, ut lex ecclesiastica quæ dat privilegia quædam clericis et religiosis, et leges quæ jus præscriptionis concedunt.

Articulus VI.

DE LEGE CIVILI.

Vidimus in capite II. auctoritatem civilem habere potestatem leges quæ in conscientia obligent condendi in materia sibi subjecta ad felicitatem civium temporalem promovendam. Vidimus etiam aliquas leges municipales non obligare utpote ultra vires, nisi quatenus essent observandæ ad majora mala vitanda. Hic præcipue quæstio tractatur de cæteris legibus municipalibus utrum in conscientia sub culpa obligent necne, seu quousque conscientiam afficiant.

Ratione fontis unde emanat lex nostra municipalis vocatur vel *Common Law* quæ a tempore immemoriali est nobis tradita, vel *Statute Law* quæ a Parliamento est lata, vel *Case Law* quod jus deficiente regula in casibus novis judices deciderunt.

De quæstione vero utrum et quatenus leges municipales nostræ conscientiam obligent sequentia statuenda esse varias leges distinguendo videntur :—

1° Lex municipalis quæ præscribit ea quæ jure naturali sunt obligatoria, ut sustentationem parenti indigenti dandam, vel quæ prohibet intrinsece mala, ut furtum, homicidium, obligat conscientiam sub culpa. Nam non repugnat nos variis titulis ad idem esse obligatos. Cf. Blackstone, Hall, locis infra citandis.

2° Quædam leges jura civium inter se constituunt, vel determinant ea quæ jure naturali sunt indeterminata, juxta quas cuivis agere licet et contra quas agere, parte cujus interest invita, nefas et illicitum est.[1]

Tales sunt leges quæ versantur circa bona defuncti intestati distribuenda, jura auctorum et inventorum, circa præscriptionem, bona conjugatorum, jura minorum, quæ statuunt contractum acceptatione perfici quin sit necessarium ut accep-

[1] The principle that human laws bind the conscience "holds I apprehend, as to *rights;* and that, when the law has determined the field to belong to Titius, it is matter of conscience no longer to withhold or to invade it. So also in regard to *natural duties*, and such offences as are *mala in se:* here we are bound in conscience, because we are bound by superior laws, before those human laws were in being, to perform the one, and abstain from the other." Blackstone's Commentaries, I. p. 57.

tationis notitia ad offerentem pervenerit, contractus quosdam esse rescindibiles saltem ab una parte; quibus addi potest sententia judicialis in re controversa. Hinc post rem controversam a judice decisam nefas est parti victæ resistere vel sibi occulte compensare. Cf. Vermeersch, Quæstiones de Justitia, n. 337.

3° Quædam sunt leges quæ denegant actionem in foro externo, non tamen afficiunt jura in conscientia, ut constat ex communi consensu peritorum.

Tales sunt leges quæ ad actionem dandam requirunt ut quidam contractus sint in scriptis, ut omnes simplices contractus causam (*valuable consideration*) pretio æstimabilem habeant;[1] ut quædam documenta habeant tesseram (*stamp*), aliter ut non admittantur;[2] denique talia sunt Statuta Limitationis (*Statutes of Limitation*), præter 3 et 4 Will. IV. c. 27.[3]

4° Utrum leges positivæ sive affirmantes sive prohibentes quæ versentur in materia per se indifferenti conscientiam obligent sub peccato controvertitur inter peritos. Sententia quæ tenet omnes tales leges positivas municipales etiam tributorum[4] esse mere pœnales nobis vera esse videtur. Etenim:—

(a) Constat posse ita esse si legislator vult.

(b) Plures docti Angli hanc sententiam semper

[1] Anson, Contracts, p. 74.

[2] Encyclop. of Laws, s.v. *Stamps.*

[3] Encyclop. Brit. s.v. *Limitation, Statutes of.*

[4] Quamvis autem lex tributorum pœnalis esse videatur, constat eum peccare qui mendaciis tributa defraudet, qui collectores corrumpat, qui vi et armis officialibus resistat.

tenuerunt, ut Blackstone[1] et Hall, Episcopus Norvicensis.

(c) A fortiori hodie quando auctoritas civilis ordinem externum tantum et nullo modo conscientiam respicere videtur, et præsertim cum in Anglia communiter sit receptus conceptus legis Austinianus, juxta quem non datur alia legis obligatio præter pœnam a legislatore statutam, hæc sententia videtur tenenda, et revera a pluribus theologis, qui de aliis juribus municipalibus scripserunt, defenditur. Génicot, Theol. mor. I. nn. 141, 454; Sabetti, n. 114; Austin, Lectures on Jurisprudence, I. p. 90; Encyclop. Brit. s.v. *Law*.

5° Leges civiles nostræ, quæ irritant quosdam contractus et actus alios, hoc sensu intelligendæ videntur, ut si actus lege naturali sit validus, lex irritans non efficiat ut sit in conscientia ipso facto nullus, sed ut sit rescindibilis, et post sententiam judicis nullus, si beneficio legis pars uti velit; quod tamen ut licite fiat, sine fraude et injuria aliorum fieri oportet ut patet. Quod congruit cum dictis supra nn. 2 et 4, et cum opinione jurisprudentum et theologorum recentiorum plurium. Génicot, I. n. 584; Anson, Contracts, p. 221; Van Gestel, De Just. et leg. civ. p. 203; Encyclop. of Laws of England, s.v. *Null and Void*; Ballerini, VIII. pt. iii.

[1] "But in relation to those laws which enjoin only *positive duties*, and forbid only such things as are not *mala in se*, but *mala prohibita* merely, without any intermixture of moral guilt, annexing a penalty to non-compliance, here I apprehend conscience is no further concerned, than by directing a submission to the penalty, in case of our breach of those laws." Blackstone, Comment. i. p. 57; Hall, Cases of Conscience, Dec. iii. Case 6, Works, vii. p. 439.

n. 44 nota; Vermeersch, Quæstiones de Justitia, n. 329.

Hinc quamvis quidam contractus minorum lege, *Infants' Relief Act*, 1874, sint irriti (*absolutely void*), iis contractibus dominium rerum valide in conscientia transferri potest, rescindi tamen a minore etiam possunt valide et etiam licite, si fiat sine fraude et damno injusto aliorum.

Articulus VII.

DE CONSUETUDINE.

Consuetudo *materialiter* spectata seu consuetudo *facti* est agendi mos ex frequentibus communitatis totius vel majoris ejusdem partis actibus inductus. Vocatur etiam *usus* qui sedulo a consuetudine proprie dicta distinguendus est; tales consuetudines seu usus varii sunt, ut consuetudo recitandi salutationem angelicam certis horis, sumendi cineres benedictos fer. iv. cinerum, ramos die Palmarum, aquam benedictam quando quis ecclesiam ingreditur. Qui actus non pariunt consuetudinem formaliter sic dictam, præsertim quia deest animus se obligandi in iis qui tales usus sequuntur. Suarez, De Legg. VII. c. 14. n. 5; c. 15, n. 10.

Consuetudo *formaliter* spectata, seu consuetudo *juris*, est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege accipitur, etsi lex deficiat. *C. 5, D. 1.*

Dicitur "*moribus* constitutum," non enim est lex scripta, nec primario voluntate legislatoris facta quamvis hæc requiratur. Moribus scilicet populi,

vel saltem alicujus communitatis quæ sufficiens est ut vera lex non merum præceptum ei imponatur. Suarez, De Legg. VII. c. 9, n. 6. Hinc persona vel familia est incapax consuetudinis introducendæ.

I. Vera causa efficiens consuetudinis ecclesiasticæ, de qua potissimum hic agitur, est unice consensus legislatoris competentis sive expressus, sive tacitus, sive saltem legalis. Nam obligatio et deobligatio derivantur tantum a voluntate superioris, quæ voluntas non necessario est expressa vel tacita, sed sufficit legalis, quæ nempe antecedenter ad consuetudinem in ipsa lege habetur approbans consuetudines debitis conditionibus vestitas. De facto lege canonica approbantur tales consuetudines præsertim *c. 11, de consuet.* et *c. 3, de consuet, in 6°.* Werntz, Jus decret. I. n. 188.

II. Consuetudo est vel *secundum* legem, vel *præter* legem, vel *contra* legem.

Secundum legem, quæ legem jam conditam diuturno usu confirmat et interpretatur, consuetudo enim est optima legum interpres.

Præter legem, quæ novum inducit jus, aliquid præcipiens vel prohibens de quo nulla lex scripta habetur.

Contra legem, quæ nempe legi derogat vel etiam eam abrogat. Ut hujus exemplum sumatur; juxta Const. Pii IV. *In sacrosancta,* 13 Nov. 1564, non tantum Episcopi aliique sed etiam prælati regulares et magistri scholarum quando officium assumunt fidei professionem facere debent. Quoad hos tamen consuetudo obligationem sustulisse videtur. Lehmkuhl, I. n. 296.

Consuetudo contra legem statutam (*Statute law*), non admittitur lege Anglica. Encyclop. of Laws, s.v. *Custom.*

III. Ad consuetudinem introducendam requiruntur variæ conditiones:—

1° Ut sit rationabilis, seu non incentiva peccati nec bono communi perniciosa. Reprobatur *c. 10 de consuet.* usus qui tribuebat viro prodigo post sua bona dissipata potestatem alienandi bona uxoris propria.

Nulla difficultas habetur quoad rationabilitatem consuetudinis juxta legem, nam eo ipso quod lex est rationabilis erit etiam consuetudo rationabilis; nec quoad consuetudinem præter legem, nam easdem qualitates ac lex habere debet. Sed quomodo consuetudo contra legem potest esse rationabilis? Non potest esse rationabilis in fieri, nam est contra id quod est rationabile; sed in facto esse, seu quando prævaluit, seu præscripta est contra legem, non repugnat consuetudinem esse rationabilem.

2° Requiritur ut sit inducta a majore parte communitatis, quod enim a majore parte fit censetur fieri moraliter ab omnibus. Notandum est hæreticos nunquam posse inducere consuetudinem contra legem ecclesiasticam, quia procederet ex pertinaci errore contra ecclesiam, et tenderet in ecclesiæ contemptum; per illam ait Reiffenstuel, *de consuet.* n. 145, "rumpitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, impeditur morum reformatio, debita extinguitur obedientia, peccandi licentia ministratur, aut deformatur status ecclesiæ universalis." Hinc sæpius S.O. declaravit nullum tempus sufficere

ut lex Tridentina de clandestinitate matrimonii vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam hæreticorum. Journal du Droit canon. April, 1893, p. 433.

3° Ut sit inducta per actus repetitos, non interruptos, voluntarios.

Numerus actuum qui requiruntur et sufficiunt est relinquendus judicio prudentum, aliquando pauciores, ut si festum aliquod observetur per decem annos semel in anno, aliquando plures requiruntur. Quoad actus judiciales ait Suarez, "requiri frequentiam cum ea temporis mora, quæ vel ad præscribendam consuetudinem sufficiat, vel ad sufficienter ostendendum communem populi et Principis consensum." De Legg. VII. c. 11, n. 12.

4° Ut perduret per longum tempus, si antea non conniveat princeps. Communius dicitur decennium sufficere.

5° Ut habeatur consensus principis sive expressus, sive tacitus, sive legalis; obligatio enim imponitur subditis a superiore tantum.

IV. De quæstione quomodo nova lex afficiat consuetudines contrarias sequentia statui posse videntur :—

1° Si in lege non apponatur clausula revocatoria, *non obstante quacumque consuetudine*, lex universalis Summi Pontificis non abrogat consuetudines *particulares*, abrogat *universales*. *C. 1, de constit. in 6°*. Quia tamen Episcopus scire censetur consuetudines suæ diœcesis abrogat omnes contrarias consuetudines nova lege edita, quin ullam mentionem earum faciat. S. Alphonsus, I. n. 109.

2° Si apponatur dicta clausula abrogat consuetudines præteritas. Cf. Const. Pii IX. *Universalis Ecclesiæ*, 29 Sept. 1850.

3° Si nova constitutio reprobat contrarias consuetudines futuras, multi negant posse contrarias futuras introduci; non improbabiliter alii affirmant, quia clausula reprobans est lex contra quam consuetudo prævalere potest. Craisson, n. 144.

4° Si reprobatur futura consuetudo ut corruptela, abusus, non potest consuetudo contraria legi introduci nisi ex nova causa qua rationabilis evadere possit. S. Alphonsus, I. n. 109; Cf. Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, et Comment. Pennacchi, II. p. 571.

Articulus VIII.

DE PRIVILEGIIS.

Sectio I.

DE PRIVILEGIIS IN GENERE.

Privilegium est privata lex aliquod speciale alicui concedens beneficium.

Privata, concessa personæ sive physicæ sive morali.

Lex, quia vult privilegiatum privilegio frui, et quia prohibet quominus alii eum impediant in illius fruitione.

Speciale, contra vel præter legem.

Beneficium, est enim gratia principis.

Privilegium est *personale* vel *reale*; primum con-

ceditur personæ, alterum personæ quidem, sed respectu dignitatis, officii, loci, rei.

Est *contra* vel *præter* jus, prout derogat legi, vel gratiam præter legem concedit.

I. Privilegium contra legem concedit legislator cui lex subest, et quidem tantum pro subditis et territorio sibi subjecto, ulterius enim ejus jurisdictio non extendit.

Privilegium præter legem, cum sit quasi donatio, potest etiam non subditis concedi. Peregrini ex consuetudine generali fruuntur privilegiis locorum ubi degunt.

II. Privilegia sunt interpretanda uti sonant.

Unde concessa facultate absolvendi a reservatis Summo Pontifici, non comprehenditur facultas absolvendi a specialiter reservatis; et si verbis generalibus fuerit concessum non comprehendit ea quæ quis verisimiliter non esset concessurus, et quæ specialem mentionem requirunt. Hinc etiamsi concedatur facultas absolvendi a casibus Summo Pontifici specialiter reservatis, non comprehenduntur casus qui habentur in Const. Ben. XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ.* Privilegia tamen præter legem sunt latæ interpretationis utpote beneficia Principis; privilegia contra legem utpote vulnus legis, sunt strictæ interpretationis, nisi concessa communitatibus, vel motu proprio, vel ita uni prosint ut nemini noceant. Bucceroni, I. n. 257.

III. Privilegia cessant:

1° Revocatione concedentis vel ejus successoris. Privilegia autem quæ speciali indigent mentione, velut privilegia regularium, non revocantur simplici

clausula "non obstantibus privilegiis," sed ut revocentur intentio legislatoris clare est exprimenda etiam ea revocandi, ut fit per sequentes vel similes clausulas: "non obstantibus privilegiis quibuscumque;" "etiam speciali vel specialissima mentione dignis;" "ex plenitudine potestatis," "motu proprio," "ex certa scientia." Lehmkuhl, I. n. 217; cf. S.C. EE. et RR. *Auctis admodum*, 4 Nov. 1892.

2° Per renunciationem privilegiati acceptatam; per non usum, nisi speciale contra hoc habeatur privilegium; per contrarium usum, si lædant jus tertii, et hic legitime contra ea præscripserit.

3° Personalia cessant morte personæ, realia interitu rei. Nemo *per se* tenetur uti privilegio v.g. oratorio privato, nisi ratione caritatis vel boni communis; unde clericus nequit renunciare privilegio canonis, nec regularis privilegio exemptionis.

Sectio II.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

Pauca addenda sunt in hac et sequenti sectione de privilegiis clericorum et regularium.

Quando clericus assumitur in statum clericalem, majorem dignitatem et excellentiam acquirit cui respondere oportet major reverentia et honoris testificatio apud alios. Hinc clericis competunt jura quædam honorifica inter quæ est jus *præcedentiæ*. Schmalzgrüber, De maj. et obed. (I. 33.)

Quatenus etiam militant Deo, maxime consentaneum naturæ officiorum clericorum est ut sint immunes ab oneribus quæ impedirent quominus

libere divinis rebus inservirent. Hinc *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta* est immunitas personarum ecclesiasticarum (Trid. xxv. c. 20, de Ref.), cujus aliqua vestigia adhuc remanent. Inter quæ eminent privilegium canonis et privilegium fori, de quibus pauca sunt dicenda. Werntz, S.J. Jus decret. II. n. 160.

I. Privilegium canonis (nempe can. 15, Conc. Lat. II. an. 1139), est pœna excommunicationis latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatæ, quam incurrunt omnes "Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus jure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat. (Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, II. 2.)

Violentas manus significat quamvis injuriosam actionem, factis non verbis, mortale peccatum contra clerici personam commissum, sive lædat ejus corpus eum percutiendo, vulnerando, sive ejus libertatem in carcerem detrudendo, sive ejus dignitatem vim utcumque ei inferendo. S. Alphonsus, VII. n. 272.

Suadente diabolo hic significat injuriam cum peccato mortali. Hinc non incurrit censuram percussor clerici qui non peccat percutiendo, ut si magister scholarum vel pater, ob legitimam correctionem discipulum vel filium clericum percutiat, vel alius ad se defendendum contra clericum.

Clericus est omnis qui prima saltem tonsura sit initiatus.

Monachus est quivis religiosus, laicus conversus,

novitius, Tertiarius si in communitate vivat et habitum gerat. Hoc privilegium est latæ interpretationis quatenus clericis favet, nec ab iis renunciari potest.

II. Privilegium fori est quo clerici eximuntur a laicis magistratibus in causis suis civilibus et criminalibus. Non agnoscitur ab auctoritate civili apud nos, attamen attendendum est decretum S.O. 23 Jan. 1886: "Ceterum in iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint: eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicæ non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem seu judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris ferendæ sententiæ uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint." Collect. S.C. de P.F. n. 240. Apud nos lege etiam civili clerici in sacris nequeunt esse jurati, deputati Parliamenti, Major, Consiliarius, vel *Alderman* in civitatibus (*Boroughs*); aliaque sunt vestigia privilegiorum antiquorum. Stephen, Comment. II. p. 675; III. p. 150; Encyclop. of Laws, s.v. *Benefit of Clergy*.

Exemptio a servitio militari apud nos habetur eo quod ad illud nemo tenetur.

Sectio III.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

Pauca generalia hic traduntur de privilegiis regularium, si alia et particularia quærantur erit recurrendum ad constitutiones proprii ordinis.

I. Omnes ordines regulares communicant in privilegiis aliorum ordinum et congregationum sive mendicantium sive non, etiamsi adsit clausula quod non communicentur, nisi privilegia sint odiosa vel contraria propriis statutis, vel concessa ad tempus determinatum, vel ob specialem causam, vel quando agitur de rebus quæ difficile solent concedi. S. Alphonsus, de priv. nn. 9—11; IV. n. 60.

II. Moniales gaudent iisdem privilegiis quorum sunt capaces ac religiosi ejusdem ordinis. Hinc quamvis mulieres sint jurisdictionis incapaces, abbatissæ ex commissione sui prælati dispensare possunt suos subditos in jejuniis et abstinentiis juxta privilegia sui ordinis prælatis concessa. S. Alphonsus, IV. n. 61.

III. Privilegia religiosorum intelliguntur superioribus concessa qui pro sua prudentia subditis ea communicant. Bucceroni, I. n. 270.

IV. Privilegia regularibus concessa non tantum latæ sed latissimæ sunt interpretationis, quia privilegia communitatibus concessa præsumuntur esse remuneratoria servitiorum præstitorum. S. Alphonsus, de priv. n. 8.

Prohibentur autem Episcopi quominus interpretentur juridice privilegia regularium; juridica enim

et authentica interpretatio eorum spectat exclusive a S. Sedem vel ad prælatos ordinis. S. Alphonsus, de priv. n. 6.

V. Regularium personæ, domus, et bona gaudent privilegio exemptionis ab Episcoporum jurisdictione, qui proinde visitare ea nequeunt si in monasteriis degunt duodecim vel sex religiosi. In Anglia Const. Leon. XIII. *Romanos Pontifices*, declaravit: "Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, præterquam in casibus a jure nominatim expressis, et generatim in iis quæ concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem." Cf. S. Alphonsus, I. n. 156; de priv. n. 72.

Exemptione tamen non obstante regulares in pluribus jurisdictioni Episcoporum subjiciuntur. Ferraris, s.v. *Regulares*, art. 2; Const. Ben. XIV. *Firmandis*, 4 Nov. 1744; Const. Leon. XIII. *Romanos Pontifices*, 8 Maii, 1881.

TRACTATUS IV.

De Peccatis.

Pars I.

De Peccatis in Genere.

CAPUT I.

DE NATURA PECCATI.

Cum peccatum nihil aliud sit quam actus humanus malus, definiri potest cum S. Augustino: Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. S. Thomas, I-II. q. 71, a. 6.

Dicitur *contra legem æternam*, quia transgressio legis ideo est peccatum propterea quod Deus præcipit superioribus legitimis esse obediendum, et transgressio legis naturalis est peccatum quia Deus auctor naturæ jubet ordinem servandum et perturbari vetat, nec aliter facere potest. Adverte non dari peccatum philosophicum quod sit actus humanus contra rectam rationem quin sit offensa Dei. Nam eo ipso quod actus advertitur esse disconveniens rectæ rationi implicite cognoscitur esse contra legem

divinam quam recta ratio manifestat. Prop. 2 damn. ab Alex. VIII. 24 Aug. 1690.

Actuale peccatum est cui convenit definitio supra data; *habituale* est peccatum actuale moraliter perseverans, perseverat autem quamdiu non remittitur.

Mortale peccatum est quod gratiam sanctificantem quæ est vita spiritualis animæ aufert, amicitiam divinam et jus æternæ beatitudinis destruit; *veniale* est quidem offensa Dei, sed venia natura sua dignum est, et dona et jura spiritualia supra dicta substantialiter intacta relinquit.

Formale peccatum est si lex libere et scienter violatur; *materiale* si violatio legis est involuntaria.

Peccata etiam recensentur *malitiæ, infirmitatis, ignorantiæ; malitiæ* quæ patrantur mera electione voluntatis sine qualicumque excusatione ignorantiæ vel passionis; *infirmitatis* quæ ex impulsu passionis; *ignorantiæ* quæ ex culpabili ignorantia committuntur. Lehmkuhl, I. n. 220.

I. Actuale peccatum est actus voluntarius, sed nil volitum quin præcognitum, ergo ut committatur actuale peccatum requiritur cognitio seu advertentia aliqua actualis ad malitiam, vel hic et nunc quando actio ponitur, vel saltem in causa.

Falsum est igitur quod quidam dixerunt sufficere ad peccatum actuale ut quis possit et debeat advertere ad malitiam, quamvis actualiter non advertit; ut si aliquis ab infantia pravum habitum blasphemandi acquisierat, quando pervenit ad usum rationis potest et debet advertere ad habitus malitiam, peccat igitur, juxta hanc theoriam, si

tunc blasphemat, etiamsi ad actus malitiam de facto non advertat.

II. Requiritur etiam *consensus* qui nihil aliud est quam actus voluntatis acceptantis, voluntarie recipientis objectum præsens per intellectum, ac proin, ut theologi dicunt, dicitur *con-sensus*, seu sentire cum intellectu.

Unde ad peccatum requiritur advertentia mentis non tantum ad actum sed ad malitiam actus, et consensus voluntatis, et tanta adest malitia quanta apprehenditur.

Resolves: Nullum adest peccatum si ob vehementissimum passionis motum tollitur usus rationis et libertas; nec si advertantur quidem motus pravi sed nullus datur consensus; nec si adest advertentia et consensus ad actum positum sed non qua prohibitum, ut si inadvertenter quis carnes die abstinentiæ manducet; et tanta est malitia quanta apprehenditur, ut si quis in adulterio malitiam fornicationis tantum apprehendit.

Inadvertentia vero aliquando est culpabilis si aliquomodo voluntaria, vel ob negligentiam, ut si confessarius vel medicus negligit studium cujus defectu postea injuriam patrat; vel ob passionem, ut si quis permittat se passione iræ abripi; vel ob pravum habitum, quem corrigere negligit; vel ob voluntariam inconsiderationem in agendo, ut quando quis lapidem projicit in viam frequentatam.

Unde dictum fuit ad peccandum actualiter requiri advertentiam actualem ad malitiam actus vel hic et nunc, vel *saltem in causa*. S. Alphonsus, V. n. 4.

CAPUT II.

DE SPECIFICA PECCATORUM DISTINCTIONE.

Juxta Trid. sess. xiv. c. 5, peccata sunt confitenda sigillatim in specie et numero ; hic est explicandum quomodo peccata diversis speciebus distinguantur. Doctores varias regulas tradunt unde dignoscamus diversas peccatorum species ; nunc una nunc alia est magis opportuna, unde præcipuæ hic dantur.

I. Specifica distinctio peccatorum desumitur ex objectis specifice diversis et ex diversa ratione ejusdem objecti.

Ratio est quia peccatum est actus humanus et actus ex objectis specificantur. S. Thomas, I-II. q. 72, a. 1.

Et sic furtum et detractio sunt specifice diversa peccata quia ablatio bonorum temporalium et ablatio famæ sunt objecta specifice diversa, et detractio et calumnia specifice differunt quia non solum malum et disconveniens cum recta ratione est injuste lædere famam alterius, sed specialis disconvenientia est si hoc fiat per mendacium.

II. Potest etiam dici peccata specificari virtutibus oppositis, quia peccatum est privatio debiti ordinis, et privatio speciem sumit ex forma cui opponitur, igitur peccata specificantur ex diversis virtutibus oppositis et ex diverso modo quo eidem virtuti opponuntur. Ita Scotus cum suis.

Hæc regula in priorem recidit quia virtutes specificantur ex objectis formalibus.

Hinc adulterium et furtum specifice distinguuntur, quia castitas et justitia specifice differunt, et furtum et detractio specifice distinguuntur quia diverso modo opponuntur justitiæ, sicut præsumptio et desperatio modo diverso spei opponuntur.

Plures ergo sunt species peccatorum quam virtutum.

Ablatio autem et retentio rei alienæ specie non differunt, quia indifferens est utrum justitia, quæ exigat ut suum cuique tribuatur, ablatione rei alienæ an retentione rei alienæ injusta violetur.

III. Cum peccatum sit transgressio legis, peccata etiam specifice distinguuntur per oppositionem ad diversa præcepta, non materialiter diversa ex parte legislatoris, sed formaliter, seu ex parte motivi præceptorum. Ratio est, quia sicut actus humanus ex fine specificatur, unde furtum ad adulterandum commissum est peccatum contra castitatem, ita lex specificatur ex fine legislatoris *si legislator ita velit.* La Croix, I. n. 626.

Resolves: Frangere jejunium ante S. Communionem est sacrilegium, ob violatam legem ecclesiasticam quæ propter reverentiam SS. Sacramenti iis qui communicare volunt imponitur; simili ex ratione clerici percussio est sacrilegium; permutatio beneficiorum absque auctoritate est simonia; peccatum contra castitatem ab ordinato in sacris commissum est sacrilegium.

Dictum fuit *si ita velit* legislator, et addendum est—*si voluntatem manifestet;* seu debet velle impo-

nere obligationem istius virtutis ex cujus fine præcipit, ut patet ex ratione data. Ex defectu hujus conditionis frangere jejunium vel abstinentiam ante festum aliquod non spectat ad sacrilegium sed ad temperantiam, nec legere libros prohibitos est peccatum contra fidem, nec si contra præceptum patris impositum ad tuendam castitatem ne egrediatur, filius egreditur eo ipso contra castitatem peccat.

CAPUT III.

DE NUMERICA PECCATORUM DISTINCTIONE.

Hæc materia juxta S. Alphonsum est tam difficilis ut in ea valde Doctores laborent. Quæstio est de numero peccatorum distinguendo in actibus complexis, ut si quis verba impudica et tactus inhonestos cum muliere admittat et tandem fornicetur num unum vel plura peccata committit, vel si quis homicidium intendens per plures dies varia media præparet et tandem homicidium patret.

I. Tot sunt peccata quot sunt objecta totalia.

Objectum vero totale est hic quod ex intrinseca natura sua vel ex extrinseca intentione agentis completur nec refertur ad aliud tamquam pars ad totum; ut si quis intendens fornicationem, tamquam media ad finem pravum obtinendum colloquia et tactus adhibet impudica, ista colloquia, tactus et ipsa fornicatio constituunt unum objectum totale extrinseca agentis intentione; si vero intenderet tantum tactus impudicos exercere, isti tactus impudici constituerent unum objectum totale, sive fornicatio sequeretur sive non.

Ratio est, quia "sicut res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex objecto." St. Thomas, I-II., q. 18, a. 2. Ergo talis est actus quale est objectum, ac proinde si plura objecta plures sunt actus, si unum, unus actus unumque peccatum.

II. Toties quis peccat quoties actus moraliter interrumpuntur.

Dicitur quoties *moraliter* interrumpuntur non *physice;* et ratio regulæ est quia sicut actus moralis attenditur in confessione ita moralis interruptio attenditur; et si datur moralis interruptio, debent existimari plures actus non unus.

Unde si quis verberat alterum plures ictus infligendo sine morali interruptione, moraliter censetur unus actus et unum est peccatum; si vero ad tempus desistat putans sufficere et dein ad idem revertatur, duplex peccatum habebitur.

Sed præcipua difficultas est in determinanda hac morali interruptione. Potest fieri duplici modo:

1° Per retractationem expressam voluntatis;

2° Per cessationem ab actu, sive voluntariam sive involuntariam.

III. Primo igitur retractatione voluntatis peccata multiplicantur si ad idem revertatur, quia nova adest deliberatio, novus consensus in malum.

Et sic qui proposuit alterum occidere et post mutatam voluntatem in melius idem propositum renovat duplex peccatum committit.

Secundo per cessationem ab actu; attamen non quæcumque cessatio statim multiplicat omnis generis peccata, unde distinguenda sunt peccata mere interna, peccata interna cum relatione ad opus externum seu proposita externe peccandi, et peccata externe consummata; et cessatio potest esse voluntaria vel involuntaria. His suppositis:—

IV. (a) Peccata mere interna, ut delectationes morosæ, judicia temeraria, desideria inefficacia,

multiplicantur toties quoties voluntarie a mala cogitatione cessatur, nisi procedant cogitationes ex eodem impetu passionis vel una ab alia dependeat.

Ratio est, quia actus isti in se sunt completi nec moraliter uniuntur per ordinem ad opus externum; ratio autem exceptionis est, quia si ex eodem impetu passionis procedant vel una ab alia dependeat, in actum proceditur sine nova deliberatione, et moraliter unus idemque est actus. Bucceroni, I. n. 307.

Sæpe tamen peccator numerum talium peccatorum distinguere non valet, et tunc sufficit declarare in confessione tempus quo durante malæ cogitationes quasi continuo fovebantur.

(b) Proposita externe peccandi quin executio sequatur multiplicantur per voluntariam ab opere cessationem sat notabilem, et etiam per involuntariam cessationem diuturnam, non vero per cessationem ab opere brevem. S. Alphonsus, V. n. 39. Quæ vero cessatio sive voluntaria sive involuntaria sit sat diuturna ut multiplicentur peccata, relinquendum videtur judicio prudentum, spectatis circumstantiis actus intensitatis, personæ et hujusmodi. S. Alphonsus putat tempus diuturnum esse duos vel tres dies. Bucceroni, I. n. 307.

(c) Proposita externe peccandi, quæ opere consummantur, non multiplicantur per breves interruptiones, ut per somnum, nec per longas si aliquando partialiter in executionem deducantur; multiplicantur tamen per interruptiones extraordinarias et ita diuturnas ut tollant moralem unitatem actus.

Resolves: Qui intendens necem inimici quærit occasionem, parat media, et tandem eum occidit,

unum peccatum committit, etiamsi aliquot menses opportunitatem expectat; qui intendens magnam summam pecuniæ furari, parvam summam pluries surripit ut detectionem effugiat, unum peccatum committit.

V. Si objecta materialiter et physice totalia sint plura, disputatur utrum plura sint peccata necne si referuntur ad unum actum voluntatis, ut si quis uno actu detrahit pluribus, vel plures uno ictu occidit. In qua quæstione videtur distinguendum, si objecta concipi potuerunt et de facto concipiebantur sub confusa notione multitudinis, et voluntas ita in ea tendebat, unicum peccatum erat; e contra si objecta plura distincte concepta sunt, atque voluntas vel actio mala in singula ut distincta dirigebatur, numerus distinctus in confessione accusari debet. Lehmkuhl, I. n. 243.

In priori etiam casu mentio in confessione est facienda multitudinis, nam non est idem peccatum si unum occidis, et si plures uno actu interficis.

Resolves: Sufficit confiteri detractionem familiæ, communitatis, quin mentio fiat numeri distincti personarum, nec mutat speciem peccati si detractio fiat coram pluribus, quæ est tantum circumstantia aggravans. S. Alphonsus, V. n. 49. Unicum peccatum committit qui furatur pecuniam ad plures pertinentem, vel qui eodem actu negat plures articulos fidei. Unicum peccatum committit sacerdos qui uno actu voluntatis vult omittere breviarium per mensem; si vero postea de facto illud omittit, toties peccat quoties omittit, quia tot sunt objecta totalia distincta.

VI. Media ad peccandum adhibita, si fuerint mala, sunt confitenda, nisi sunt ejusdem speciei ac peccatum consummatum et tamquam ejus partes; secus si non fuerint mala, tunc enim sufficit dicere "Conatus sum hoc vel illud facere," ut intelligatur peccatum fuisse aliquomodo externatum. Unde qui violentiam alicui intulit ut ejus bona furaretur, debet hoc in confessione exprimere; si sine injuria ingressus est domum alienam animo furandi quin furtum sequeretur, sufficit si generalibus verbis conatum furandi exprimat.

CAPUT IV.

DE GRAVITATE PECCATI.

Non omnia peccata habere eamdem malitiam constat ex sacra Scriptura, ex doctrina Ecclesiæ ac ipsa ratione. Major vel minor peccatorum gravitas desumitur:—

1° Ex objecto, fine et circumstantiis; et sic homicidium gravius est peccatum quam furtum, furtum ad adulterandum gravius est quam furtum commissum ad necessitatibus subveniendum, furtum rei sacræ gravius est quam furtum rei profanæ.

2° Ex duratione et intensitate actus: et sic qui per tempus diuturnum et intense odium erga alterum fovet, gravius peccat quam qui actu transeunte malum optat inimico.

3° Ex advertentia majori vel minori, et ex consensu magis vel minus pleno.

Ratione gravitatis seu quantitatis malitiæ peccatum distinguitur in *mortale* et *veniale*.

Mortale peccatum avertit ab ultimo fine, privat gratia sanctificante, dissolvit amicitiam cum Deo, et meretur pœnam æternam.

Veniale est offensio Dei quin avertat ab ultimo fine, vel dissolvat amicitiam cum Deo. "Quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, scilicet Deo, cui unitur per caritatem, tunc est peccatum mortale; quando vero fit deordinatio citra aversionem a Deo,

tunc est peccatum veniale. Sicut enim in corporibus deordinatio mortis, quæ est per remotionem principii vitæ, est irreparabilis secundum naturam, inordinatio autem ægritudinis reparari potest propter id quod salvatur principium vitæ, similiter est in his quæ pertinent ad animam; nam in speculativis, qui errat circa principia, impersuasibilis est; qui autem errat salvatis principiis, per ipsa principia revocari potest. Et similiter in operativis, qui peccando avertitur ab ultimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem, et ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus. Qui vero peccat citra aversionem a Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia salvatur principium; et ideo dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat, ut mereatur interminabilem pœnam." S. Thomas, I-II. q. 72, a. 5.

I. Dari peccata mortalia constat ex sacra Scriptura, ut ex 1 Cor. vi. 9, ubi enumerantur plura peccata quæ a regno Dei excludunt; et etiam venialia ut ex Prov. xxiv. 16; "*Septies enim cadet justus;*" et ex Jac. iii. 2; "*In multis enim offendimus omnes;*" et tamen constat aliquos esse et manere justos.

Constat etiam ex doctrina Ecclesiæ, ut ex Trid. sess. xiv. c. 5.

Ex regula generali ea peccata sunt mortalia quæ

1° Directe Deo opponuntur, ut infidelitas, blasphemia, desperatio.

2° Quæ grave damnum humano generi inferunt, ut luxuria, rebellio.

3° Quæ proximum notabiliter lædunt, ut peccata contra justitiam et caritatem.

Alia vero sunt gravia *ex toto genere* suo quæ non admittunt parvitatem materiæ quia materia etiam minima totam malitiam peccatorum habet, qualia sunt luxuria, blasphemia, hæresis; alia sunt gravia *ex genere suo* non toto, quæ admittunt parvitatem materiæ, ut ea quæ sunt contra justitiam et caritatem.

Venialia *ex genere suo* sunt quæ spectata objecti natura non admittunt gravem reatum, ut gula, mendacium.

II. Ad peccatum mortale tria requiruntur et sufficiunt:—

1° Gravis materia, quia obligatio debet esse proportionata materiæ. Materia autem hic intelligitur omne id in quod voluntas tendit.

2° Advertentia plena ad malitiam gravem.

(a) Plena, quia peccatum mortale est culpa plena et consummata. Atqui hæc non habetur nisi in plene voluntario, ad quod requiritur plena advertentia.

(b) Quid sit advertentia plena melius intelligitur ex opposito; unde signa advertentiæ non plenæ sunt: (α) "Si tenuiter et quasi semidormiens apprehendisti esse malum; (β) Si post, ubi melius consideras, judicas te non fuisse facturum, si ita apprehendisses; (γ) Si vehementissima passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita ut fere nesciveris quid ageres." Bucceroni, I. n. 314.

(c) *Ad malitiam gravem;* sufficit si homo rem ut

absolute sibi illicitam apprehendat, nam rudes qui numquam de peccato mortali audierint certe hoc committere possunt. Nec necessarium est ut quis expresse cogitet de Deo vel de inferno, sufficit si rem apprehendat ut disconvenientem naturæ rationali, nam ut vidimus antea non datur peccatum philosophicum. Non requiritur cogitatio reflexa in gravitatem peccati, sufficit directa. Lehmkuhl, I. n. 237; La Croix, V. n. 223.

3° Consensus plenus, qui nihil aliud est quam actus voluntatis acceptantis, voluntarie recipientis, objectum præsens per intellectum. Signa autem imperfecti consensus sunt: (a) "Si ita dispositus fueris ut licet facile potueris exequi peccatum, non tamen sis executus. (b) Si quis dubitet, num consenserit, præsertim si sit vir timoratus. (c) Si semisomnis fuit, non plene sui compos. Sola autem pravæ cogitationis continuatio indicium non est præstiti consensus, quia diuturna potest esse tentatio, cui pro virili parte resistitur." Bucceroni, I. n. 314.

Si quis deliberet perfecte de gravi peccato committendo hinc inde rationes ponderando, gravem injuriam Deo irrogat, et graviter peccat; secus si solummodo hæsitat, non statim resistit gravi tentationi, hoc enim erit tantum veniale.

III. Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt aliqua mentis advertentia et aliquis consensus voluntatis ad malitiam actus.

IV. Nec *per se* et ratione multiplicationis possunt plura venialia mortale constituere; bene tamen ratione parvitatis materiæ si materia coalescat, ut in furto, Breviarii recitatione, jejunio.

"Non omnia peccata venialia de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale." S. Thomas, I-II. q. 88, a. 4. Ut idem tamen ibidem docet disponunt ad mortalia tum directe tum indirecte. Directe quando versantur circa idem objectum causando habitus peccandi unde gradatim in pejora labitur peccator, ut in materia furti, vel luxuriæ; indirecte "in quantum tollunt fervorem caritatis, minuunt timorem Dei, causant majorem audaciam in peccando, demerentur gratias actuales, per quas resisteretur mortalibus." La Croix, V. n. 277. Ita explicandi sunt Sancti Patres ut S. Augustinus, tract. 13 in Joan. "Minuta plura peccata, si negligantur occidunt."

Per accidens tamen veniale fieri mortale potest, nempe 1° Ob erroneam conscientiam; 2° Ob finem graviter pravum; ut si mentiatur quis ad fornicandum; 3° Ob contemptum formalem quo renuis subjici legi vel legislatori ut sic, quod est peccatum inobedientiæ formalis vel superbiæ consummatæ; 4° Ob periculum proximum lapsus in mortale. S. Alphonsus, V. n. 59, seqq.

Pars II.

De Peccatis in Specie.

CAPUT I.

DE PECCATIS INTERNIS.

Peccata interna quæ interiori tantum voluntate committuntur reducuntur a theologis ad desiderium et delectationem. "Sub desiderio et cupiditate malorum, comprehendimus amorem, voluntatem, intentionem et electionem cujuscumque mali: et proinde odium etiam tamquam amori contrarium; sub delectatione vero complectimur gaudium et lætitiam, quam quidam alii fruitionem appellant, et quamcumque tristitiam sive dolorem qui delectationi adversatur." Azor, I. lb. 4, c. 5, q. 1.

Desiderium est cupiditas perveniendi ad opus, vel est propositum alicujus rei. Est *efficax* vel absolutum si media respicit et proponit exequi; *inefficax* seu conditionatum si sub conditione rem exequeretur.

I. Desiderium rei malæ est malum, et quidem ejusdem speciei ac esset actus externus si quis desiderium exequeretur. Ratio est, quia actus specificatur ab objecto, unde quatenus objectum

est pravum, ipsius desiderium est malum. Cf. Matt. v. 28. Præterea desiderium saltem efficax respicit actionem ponendam, actio vero ponenda est individua suis circumstantiis vestita, unde desiderium efficax induit speciem objecti et circumstantiarum ejusdem.

Resolves: Qui desideravit copulam habere cum conjugata vel voto ligata, istas circumstantias mulieris in confessione declarare tenetur.

II. Idem est dicendum de desideriis inefficacibus seu conditionatis, nisi conditio omnem malitiam actui aufert.

Unde qui dicit: Furarer thesaurum Ecclesiæ si esset apta occasio,—malitiam eamdem contrahit ac si illum furaretur.

Conditio "si liceret," "si non esset prohibitum," tollit malitiam eorum quæ prohibentur sola lege positiva; unde non est peccatum dicere—Comederem carnes si non hodie ab Ecclesia prohiberetur: similiter religiosus non peccat si dicat—Darem eleemosynam si non essem religiosus; vel,—Pugnarem in justo bello nisi essem sacerdos; in statu enim supposito ista licerent.

Non vero tollit malitiam ista conditio "si liceret" eorum quæ sunt jure naturali prohibita, saltem si desiderio indicatur affectus ad rem intrinsece malam, qui affectus est peccaminosus. Unde peccat qui dicit—Fornicarer, vindictam sumerem, si liceret. Excusant tamen Doctores a peccato gravi aliquem qui istis formulis tantum significat suam propensionem et indolem naturalem, quin exprimat præsentem affectum. S. Alphonsus, V. n. 13.

Delectatio morosa dicitur non ob aliquam moram quæ illi inest, sed significat delectationem in objecto voluntariam, post advertentiam ad malitiam objecti.

Loquimur autem de delectatione *rationali* quæ dicitur, et quæ est simplex quædam voluntatis quies et complacentia ex præsentia boni convenientis, aut secundum rem possessi aut secundum cognitionem et apprehensionem.

Distinguitur autem a delectatione *sensibili*, quæ est delectatio appetitus sensitivi, quæ oritur ex imaginatione phantastica per motum sensibilem sanguinis circa pectus; et a delectatione *venerea* quæ est in organis quæ generationi inserviunt. Exemplo res illustratur; si quis cogitans de actu fornicandi delectatur in fornicatione cogitata, habetur delectatio rationalis quæ quatenus est voluntaria vocatur *delectatio morosa;* talis cogitatio apta est ad excitandum sanguinem circa pectus cum voluptate sensibili, ecce delectationem *sensibilem;* etiam ordinarie excitat motus genitalium, ecce delectationem *veneream*.

III. Delectatio morosa rei malæ est peccatum, quia nihil aliud est quam amor, complacentia, consensus rei malæ.

Distinguenda est delectatio morosa rei malæ a delectatione *cogitationis* rei malæ, ubi objectum delectationis est ipsa cogitatio non res mala cogitata, et quæ potest esse vel nullum peccatum, vel veniale, vel mortale juxta circumstantias. Si quis enim delectatur in cogitatione rei pravæ ob scientiam acquirendam, vel ut de re prædicet vel doceat,

nullum erit peccatum; si vero nulla honesta ratio adsit cogitandi de re prava, et præsertim si cogitatio versatur circa venerea quæ naturaliter hominem excitant, delectatio etiam in ipsa cogitatione rei pravæ erit otiosa et periculosa, ac proinde peccatum saltem veniale; quod si periculum consentiendi in rem graviter malam sit proximum, erit peccatum mortale. S. Thomas, I-II. q. 74, a. 8; De Verit. q. 15, a. 4.

Similiter non est malum delectari de *modo* callido, strenuo, inopinato quo res mala fuerit peracta, nam objectum delectationis non est malum. S. Alphonsus, V. n. 18.

IV. Delectatio morosa habet malitiam et speciem objecti apprehensi, non tamen omnium circumstantiarum objecti externi.

Nam "delectatio præsupponit in voluntate affectum illius, de quo est delectatio; ergo qui delectatur de aliquo objecto mortali habet affectum ad illud; sed habere affectum deliberatum ad objectum illicitum mortaliter est peccatum mortale; ergo omnis delectatio morosa objecti mortalis est peccatum mortale." Salmanticenses, tr. xx. c. 13, n. 33.

Non tamen omnium circumstantiarum, quia simplex delectatio in objecto quiescit ut repræsentato per intellectum, qui a circumstantiis abstrahere potest.

1. Delectatio si fertur in actum præteritum sæpe vocatur *gaudium*, et induit species circumstantiarum; nam res sicut accidit cum notis individuantibus est objectum delectationis.

2. Quamvis non sit illicitum sponsis, viduis appetitu tantum rationali delectari de copula futura,

præterita, speculative et per se; attamen practice est illicitum ob periculum delectationis venereæ. Ballerini, IV. n. 141.

3. "Vere probabilem censeo sententiam Busembaum quæ dicit licitum esse conjugibus delectari, etiam carnaliter, de copula habita vel futura, semper ac absit periculum pollutionis. Ratio est, quia (prout dicunt Salm. tr. 9, c. 15, p. 6, n. 84, loquendo de tactibus impudicis) ipse status matrimonii hæc omnia licita reddit; alias status matrimonialis nimiis scrupulis esset obnoxius." S. Alphonsus, V. n. 25.

4. Tristitiam admittere de bono præcepto peracto est peccatum leve vel grave pro objecto; de bono non præcepto, ut de voto emisso, est veniale, quia inordinatum est de bono tristari; ac si afferat periculum proximum votum frangendi erit mortale. Sanchez, in Dec. lb. iv. c. 12.

5. De quæstione utrum liceat delectari de malo citra omnem culpam peracto, videtur distinguendum; si non obstante defectu advertentiæ vel voluntatis res objective mala manet, non licet de ea secundum se delectari, ut de homicidio in ebrietate facto. Si res mala non manet, licet de ea delectari non tamen sub ratione prohibitionis, ut de inculpabili comestione carnium die abstinentiæ.

6. Si quis delectatur de actione mala exclusive prout causativa boni effectus, non videtur illicitum, ut de pollutione in somno quatenus propterea minuuntur carnis tentationes, nisi pervertatur rectus justitiæ vel caritatis ordo. Cfr. Propp. 13, 14, 15, damn. ab Inn. XI.

7. Propter periculum scandali tum pro pœnitente tum pro confessario, et quia aliqui theologi docent posse probabiliter asseri delectationes simplices de objectis in materia venerea specie diversis ut de fornicatione, sodomia, bestialitate, non specie distingui, praxis multorum confessariorum approbari posse videtur, qui pœnitentes pravas cogitationes confessos interrogant utrum consenserint, et affirmantes rogant utrum prava desideria conceperint, quod si negent, petunt numerum delectationum gravium et acquiescunt. Reuter, p. ii. n. 109 ; Génicot, I. n. 175.

Imo videtur concedendum plures rudes non distinguere præterita desideria, delectationes morosas, gaudia ; unde non tenetur confessarius eos de istis distincte interrogare. Génicot, I. n. 175.

CAPUT II.

DE VITIIS CAPITALIBUS.

Vitia sunt habitus mali unde peccata oriuntur. Quædam autem sunt vitia ex quibus alia oriuntur, ac proinde vocantur capitalia, minus proprie mortalia, quia non omnium actus sunt peccata mortalia. Septem enumerantur: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Acedia, Gula.

Articulus I.

DE SUPERBIA.

Superbia quatenus est speciale peccatum est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ sive celsitudinis; quando nimirum homo ex majore quam par est consideratione et æstimatione suarum virium inflatus, majora et altiora se affectat. Laymann, lb. iii. sec. 4, n. 23; Lessius, lb. iv. c. 4, n. 62. Quatuor sunt species juxta S. Thomam, II-II. q. 162, a. 4:

(a) Si bona tua æstimes quasi ex te ipso habeas non a Deo acceperis, contra illud: "*Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis.*" 1 Cor. iv. 7.

(b) Si bona a Deo accepta æstimes tamquam propriis meritis debita, contra illud Eph. ii. 8: "*Gratia estis salvati per fidem: et hoc non ex vobis,*

Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur."

(c) Si æstimes te bona habere, quæ non habeas: vel majora quam habeas, contra illud Apoc. iii. 17: "*Dicis quod dives sum et locupletatus et nullius egeo: et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper, et cæcus et nudus.*"

(d) Si contemptis aliis videri velis singulariter habere quæ habes, contra quod dicitur apud Luc. xviii. 14: "*Omnis qui se exaltat humiliabitur.*"

Ut quis sit superbus non est necessarium ut hæc putet, sed sufficit ut, bonis sine relatione ad Deum consideratis, perinde se gerat et se extollat ac si ista propria industria, propriis meritis acquisiisset.

Superbia est peccatum mortale ex genere suo, si sit consummata et perfecta, hoc est, si quis ita excellere appetat, ut Deo, superioribus eorumque legibus subjici nolit. Imperfecta tamen, qua quis subjici non renuens iis, quibus debet, in suo tantum affectu sese magnificat, est tantum veniale, quia sine Dei et aliorum despectu, plus justo se efferre, non est gravis inordinatio; esset tamen gravis si fieret cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum abjectione. S. Alphonsus, V. n. 65.

Opponitur superbia humilitati quæ respicit subjectionem hominis ad Deum, et in medio posita est, cui, ut ex parte excessus opponitur superbia, ita ex parte defectus opponitur nimia sui abjectio, nempe "cum neglectu vel contemptu proprii muneris, jactura status, in quo quis positus est, aut incommodo eorum quibus præest; ut si Episcopus præponat sibi presbyterum, vel diaconum; si pater a

filio, superior ab inferiore flexis genibus veniam petat, sicuti docet Lessius, c. 4, n. 64." Laymann, lb. iii. sec. 4, n. 23.

Filiæ superbiæ, seu vitia quæ exinde oriuntur, sunt tres, præsumptio, ambitio, vana gloria. S. Alphonsus, V. n. 66.

1. Præsumptio est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Ordinarie est veniale tantum, fit autem mortale si damnum grave Deo vel proximo infert.

2. Ambitio est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti, vel debito majoris, vel illicito modo et medio. Est per se peccatum veniale, fit autem mortale vel ratione materiæ ex qua, vel ratione medii per quod honor quæritur, vel ratione damni quod proximo infertur. "Si autem honor appetatur moderate ex re bona, nullum erit peccatum etiamsi nullus alius finis spectetur; ut colligitur ex D. Thoma, q. 132, a. 1, ad 3, quia per se est objectum indifferens, proxime accedens ad rationem honesti, cum sit testimonium et imago quædam virtutis." Lessius, lb. iii. c. 2, n. 22. Hinc: "Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat." 1 Tim. 3, 1. Quod tamen potest esse illicitum per accidens, ut in Societate Jesu ratione voti quod professi emittunt. Suarez, De rel. S.J. lb. vi. c. 7, n. 6.

3. Vana gloria: dicitur autem vana quando quæritur ex re mala, falsa, aut ficta, aut quæ non est digna gloria vel non tanta, ut ex opibus, nugis, et similibus, aut apud eos, qui non bene de re judicant aut sine debito fine. Peccatum est per se veniale, mortale per accidens, ut dictum est de ambitione.

Articulus II.

DE AVARITIA.

Avaritia est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Est peccatum tantum veniale per se, sed valde periculosum, cum amor divitiarum facile ita crescat ut propter eas homo præcepta divina parvipendat paratus quidvis facere ad eas obtinendas; fit enim mortale si propter divitias acquirendas vel retinendas, paratus quis sit ad aliquod præceptum violandum quod sub gravi obliget.

Opponitur liberalitati quæ est "virtus quæ moderatur amorem pecuniæ, et reddit nos faciles et promptos ad eas expendendas quando ratio dictat." Lessius, lb. ii. c. 47, n. 54. Cui liberalitati ex altera parte opponitur prodigalitas quæ consistit in defectu conservandi et excessu erogandi, et similiter ex genere suo est veniale. Fit autem mortale si familiæ pauperies creetur, si propterea debita solvi nequeant, si bona ecclesiastica causis piis obnoxia profundantur. S. Alphonsus, V. n. 68.

Articulus III.

DE LUXURIA.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venèreæ. Est grave peccatum ex toto genere suo si deliberata et directe volita. De qua materia plenius erit tractandum cum de sexto et de nono præcepto decalogi agitur.

Filiæ autem luxuriæ quæ eam plerumque sequuntur, sunt octo; quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis.

1. Cœcitas mentis, cum quis adeo est addictus turpitudini, ut de cœlestibus non cogitet.

2. Præcipitatio, qua quis ex eadem causa sine consilio operatur.

3. Inconsideratio, quando in modo delinquit, inconsiderate agens, quæ statum vel personam dedecent.

4. Inconstantia, quando quis ex eodem affectu voluptatum a piis propositis mox deficit.

5. Amor sui, talis enim homo ob voluptates seipsum finem suarum actionum facit, non Deum.

6. Odium Dei, lascivus enim solet a rebus divinis abhorrere, imo ab ipso Deo, tamquam peccatorum vindice.

7. Affectus præsentis seculi; amor enim voluptatum carnalium ita animam afficit, ut subinde etiam beatitudini æternæ paratus esset renunciare, si præsentibus frui semper permitteretur.

8. Horror futuri seculi; quando voluptatibus immersus mortem inordinate timet, et de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare studet.

Priores quatuor sunt mortales, quando finis ultimus in creatura ponitur, vel præceptum aliquod Dei graviter obligans prætermittitur; posteriores quatuor, si plenus sit voluntatis consensus, per se sunt mortales; ex indeliberatione, vel alia actuum imperfectione, sæpe veniales. Busembaum ap. S. Alphonsum, V. n. 71.

Articulus IV.

DE INVIDIA.

Invidia est tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ, ita ut hæc sit directe contra caritatem, et ex genere suo mortale peccatum.

1. Si tristitia sit de bono alterius, in quantum ex eo tibi vel aliis times nocumentum, v. gr., inimicus tuus est evectus ad officium, ut tibi facilius possit nocere, non est invidia, sed timor, qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus. Laymann, lb. iii. tr. 3, c. 10.

2. Si tristitia sit ex eo, quod nobis desit bonum, quod alter habet, ita tamen, ut illud alteri non discupiamus, non est invidia sed æmulatio, seu zelus, qui si est circa bonum honestum, est laudabilis; si autem circa temporalia, interdum est venialis, ut si bonum dolenti sit improportionatum, quale esset, si rusticus doleret, se non esse regem. Laymann, lb. iii. tr. 3, c. 10, n. 2.

3. Si tristitia est ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio, quæ non est peccatum; erit tamen et quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat (estque blasphemia), vel si ita afficiat, ut ducat homines ad malum imitandum.

4. Si doleas, quod alter tibi æqualis, vel non multum inæqualis in excellentia crescat, ita ut te fiat superior, et ipsum incrementum excellentiæ appre-

hendas, ut tibi malum, est proprie dicta invidia. Sic peccare solent

(a) Ambitiosi, et qui ex re aliqua quærunt gloriam, quam cum in eo ponant, ut in illa re sint soli et singulares, dolent et tristantur, si alii accedant.

(b) Pusillanimes, quibus cum omnia videantur magna, quovis bono alterius putant minui suum.

(c) Senes respectu juvenum, et quicumque aliquid difficulter obtinuerunt, quod alii facile consequuntur. S. Alphonsus, V. n. 72, ex Busembaum.

Articulus V.

DE GULA.

Gula est inordinatus appetitus cibi et potus, opponiturque abstinentiæ, et committitur quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita. 3. Si plus justo. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisite præparata. S. Alphonsus, V. n. 73, ex Busembaum. Vel ut S. Thomas, II-II. q. 148, a. 4, habet, committitur comedendo :—

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

I. Gula est ex genere suo peccatum tantum veniale, fit autem per accidens mortale ex nimia inordinatione in his casibus : 1. Si quis gulæ causa violet jejunia ecclesiæ. 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis valde graviter valetudini noceat, id advertens. 4. Si continuæ fiant comessationes et compotationes, ita ut venter pro Deo habeatur. 5. Si quis ex mera gula vescatur carnibus aut san-

guine humano. 6. Si quis bibat ad perfectam ebrietatem, de qua plura sunt dicenda. S. Alphonsus, V. n. 73.

II. Malitia ebrietatis plenæ et perfectæ in eo consistit, quod quis sine justa et gravi causa, tantum ob voluptatem aut ingluviem sciens volens privet se usu rationis; non simpliciter, id quod fit in somno modo naturali sed violenter et modo innaturali ac simul insuper privando se proxima potestate utendi ratione, ad omnem subitam necessitatem. Ita docent communiter Doctores. Busembaum, ap. S. Alphonsum, V. n. 75.

Seu brevius, malitia hujus peccati videtur collocanda esse in privatione usus rationis pro notabili tempore facta modo adeo innaturali sine justa causa. Lehmkuhl, I. n. 742. Quod videtur esse juxta mentem S. Thomæ si comparenter duo loci II-II. q. 150, a. 2, et I-II. q. 88, a. 5, ad 1.

Igitur malitia ebrietatis non consistit in sola privatione rationis sed—

1. *Per notabile tempus*, hinc nemo aliquem condemnat mortalis eo quod gyrando se usu rationis ad modicum tempus privavit. La Croix, V. n. 317.

2. *Facta modo innaturali*, non per somnum, nec ita ut remaneat proxima potestas usum rationis recuperandi.

3. *Sine justa causa;* si enim adest justa causa, ut ad morbum depellendum, ad mortem vitandam, ad operationem chirurgicam sine sensu doloris subeundam non est illicita, sicut nec haurire *chloroform* ad sensus sopiendos, quamvis plures negant in istis casibus licere ebrietatem inducere.

III. Ebrietas perfecta est peccatum mortale, imperfecta veniale. Gal. v. 21.

Perfecta scilicet si totaliter quis amittat usum rationis ita ut nequeat distinguere bonum et malum; non vero est necessario signum perfectæ ebrietatis si quis videat duplicia, vel titubet pedibus, nec lineam rectam servet incedendo.

IV. Imperfecta vero ebrietas potest evadere mortale aliunde: ut, 1° Ratione gravis damni proprii in sanitate vel bonis; 2° Ratione gravis damni familiæ vel creditorum; 3° Ob peccata prævisa in ebrietate commissa; 4° Ob scandalum, ut si sacerdos aspicitur ebrius; 5° Habendo crapulam pro summo bono.

V. Probabiliter possum inducere alium ad ebrietatem etiam formalem si hoc unicum medium est ad prohibendum ne gravius malum committat. Ratio est, quia licet ex duobus malis eligere minus; et alteri persuadere minus malum ut a majore impediatur est quid bonum. Hinc ratio adversantium—Non sunt facienda mala ut eveniant bona — non valet, persuadere enim minus malum, ut dictum est, est bonum. Deinde adversarii plures concedunt esse licitum si minus malum in majore includatur, ut verberatio in homicidio; sed omne malum spirituale virtualiter in majori includitur. S. Alphonsus, V. n. 77; II. n. 57; in altero loco vocat hanc sententiam probabiliorem.

VI. Licet alium materialiter inebriare ut secretum quod injuste retinetur detegam, ut e carcere elabar. Non licet reum inebriare ut crimen con-

fiteatur, opus enim est processu judiciali ad reum condemnandum. Lehmkuhl, I. n. 744.

VII. Mala in ebrietate facta nullo modo prævisa non sunt imputabilia ut patet, non enim sunt voluntaria. Si prævidentur etiam in confuso imputantur utpote voluntaria in causa, nisi sint verba tantum contumeliosa in homines, quia dicta ab ebrio non sunt consideratione digna, nec ulli sunt nociva. Quod aliqui putabant dicendum etiam de blasphemiis quatenus non correspondeant mentis conceptui, ac proinde non sint verba humana; in qua ratione videtur conceptum mentis confundi cum dominio facultatum, ac proinde corruit fundamentum sententiæ Salmanticensium quæ non remanet probabilis. Ballerini, IV. n. 394; Sanchez, in Dec. lb. i. c. 16, n. 44.

Attamen probabiliter blasphemiæ, perjuria in ebrietate prolata non subsunt censuræ vel reservationi quæ fortasse in ista peccata latæ sunt, quia in ebrio aliquatenus peccata oris deficiunt a perfecta ratione peccati, quia cum actuali advertentia non committuntur. Secus dicendum de factis, ut de homicidio, in quibus sufficit si causa advertenter ponatur. Sanchez, l. c. n. 47; Ithuriaga, cas. 30, n. 9.

VIII. Non licet moribundos vel morte damnatos inebriare ut ita sine dolore decedant, quia esset virtualiter vitam abbreviare; præterea homo isto tempore specialiter indiget ad merendum, ad se cum Deo reconciliandum. Lehmkuhl, I. n. 743; La Croix, V. n. 341.

IX. Promissio non bibendi liquores inebriantes quæ ab aliquibus adhibetur ad hoc vitium expug-

nandum, non caret difficultatibus; quia aliqui putant esse votum cujus violatio sit gravius peccatum quam ebrietas; e contra si ejus vera indoles explicetur vix ullam vim ad passionem coercendam retinebit. Præferendæ videntur sodalitates quæ cum remediis naturalibus adhibent etiam spiritualia. Sabetti, n. 150.

Articulus VI.

DE IRA.

Ira est inordinatus appetitus vindictæ.

Secundum excessum opponitur mansuetudini, quæ medium tenet inter iram et iræ vacuitatem, quod vitium inest homini qui nunquam monet, increpat, castigat, etiamsi causa detur; hoc vitium proprio nomine caret, sed potest dici vacuitas iræ, indiscreta patientia, stolida indulgentia. S. Thomas, II-II. q. 158, a. 8.

Inordinatio iræ potest fieri dupliciter: 1° Ex parte modi irascendi, ut si interius exardescas, vel exterius per signa nimis patefacias. 2° Ex parte objecti, ut si vindictam appetas plane injustam ob causam, vel si justo majorem, v. gr. optando inimico mortem, quam non est meritus, vel exequendam propria auctoritate, vel denique, licet vindicta justa sit, non tamen eam appetas ut justam, sed ut satiativam animi tui malevoli.

Si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum iræ; ut cum superiores irascuntur culpis subditorum, eosque puniunt, seu vindicant.

I. Ira inordinata primo modo ante dicto, est ex

genere suo peccatum veniale; potest tamen fieri mortale per accidens, ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum.

II. Ira inordinata secundo modo, est ex genere suo mortale; quia est directe contra caritatem. S. Alphonsus, V. n. 79.

III. De filiabus iræ, quæ partim sunt ex corde, ut indignatio et tumor mentis; partim ex ore, ut clamor, blasphemia, contumelia, maledictio; partim ex opere, ut rixa, pugnæ, seditiones, vulnera; diversimode statuendum est, secundum regulam supra datam. Id. ex Busembaum.

Contumelia, qua quis proximo malum aliquod objicit, cum intentione illum inhonorandi, est ex genere suo mortale. Dixi *animo inhonorandi;* quia animo corrigendi, humiliandi, aliave ratione, potest superior verbum aliquod alias contumeliosum objicere; quomodo Christus vocavit apostolos stultos, et Apostolus Galatas insensatos. In quo tamen peccari potest, si modus debitæ correctionis excedatur, vel subditus gravius dehonoretur, quam per delictum meruit.

Item, potest contumelia esse venialis tantum, si sit parva tantum, vel si sit tantum materialis, sine intentione dehonorandi, modo non sequatur læsio notabilis honoris proximi. Et sic excusantur, saltem a mortali, mulieres, pueri, et infimæ sortis homines conviciis se onerantes; quia cum fides iis non habeatur, non læditur graviter honor. Denique, si joci causa, per convenientem recreationem leves defectus objiciantur, urbanitas est, secundum S. Thomam, II-II. q. 72, a. 2, dummodo alter non

contristetur, nec ad iram moveatur. S. Alphonsus ex Busembaum, V. n. 80.

Potest contumelia etiam fieri factis vel signis, de quibus eadem principia sunt tenenda ac sunt tradita de verbis.

Rixæ, si modum non excedant, uti et leviculæ pugnæ, veniales sunt; secus si progrediuntur ad seditiones, vulnera, cædes. Suntque hæc communiter peccata ex parte incipientis rixam, alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. S. Alphonsus ex Busembaum, V. n. 83.

Articulus VII.

DE ACEDIA.

Acedia, sive animi tædium, potest ex S. Thoma, II-II. q. 35, a. 2, dupliciter usurpari. 1. Generaliter, pro omni animi remissione in exercitio virtutum, eo quod labor aliquis sit adjunctus. 2. Particulariter, pro tristitia et tædio de divina amicitia, eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat; et sic amicitiam illam non curet.

Acedia accepta primo modo tum demum est peccatum mortale, cum ideo committitur opus vetitum sub mortali. Acedia accepta secundo modo ex se est mortale, quia repugnat caritati Dei. S. Alphonsus ex Busembaum, V. n. 84.

TRACTATUS V.

De Virtutibus Theologicis.

Inter virtutes Christianas primum locum occupant virtutes theologicæ Fides, Spes, Caritas, quæ Deum immediate attingunt, ipsum ejusque attributa pro objecto formali habent, ac proinde ceteris præstant. De virtutibus vero agitur in theologia dogmatica, hic præcipue tractatur de earum actibus, et de peccatis oppositis.

Sectio I.

DE FIDE.

CAPUT I.

DE NECESSITATE FIDEI.

Fides in genere est assensus qui alterius dictis propter ejus auctoritatem præstatur; si assensus hic præstatur hominis dictis est fides humana, si Dei divina.

Fides igitur divina et supernaturalis est assensus firmissimus rebus a Deo revelatis præstitus propter auctoritatem Dei revelantis.

Objectum igitur materiale Fidei est omnis et sola

veritas a Deo revelata; formale est auctoritas Dei, seu ejus Veracitas et Scientia.

Fides *formalis* habetur quando quis credit veritatem revelatam propter auctoritatem Dei revelantis; *virtualis* quando formalis habita est et perdurat et influit in alium virtutis actum, ut quando quis recipit Pœnitentiæ sacramentum.

Fides *explicita* habetur quando quis articulum aliquem credit sub terminis propriis; *implicita* quando quid in alio contentum creditur.

Duplex distinguitur necessitas quoad salutem, alia necessitas medii, alia præcepti.—Necessarium necessitate medii est illud, sine quo etiam inculpabiliter omisso, salus absolute obtineri nequit, ut pœnitentia pro peccatore; necessarium necessitate præcepti est illud, quod inculpabiliter omissum saluti non officit, ut realis Eucharistiæ susceptio.

I. Fides est omnibus necessaria ad salutem, nam ut ait S. Paulus: "*Sine fide impossibile est placere Deo.*" Heb. xi. 6. Attamen ut singulis hæc doctrina applicetur varia sunt distinguenda.

1° Fides habitualis infusa cum gratia sanctificante in baptismo sufficit ad salutem pro infantibus et adultis perpetuo amentibus; nam certo constat decedentes cum gratia baptismatis fieri salvos.

2° Actus internus fidei omnibus adultis ratione utentibus ad justificationem necessarius est necessitate medii. Constat ex Heb. xi. 6; et ex Trid. sess. vi. c. 7: "Sine fide nulli unquam contigit justificatio." Ratio autem est, quia Deus adultos non justificat nisi "libere moventur in Deum." Trid. sess. vi. c. 6.

II. Tenetur unusquisque saltem implicite credere omnia quæ Ecclesia Catholica credit et proponit credenda.

III. Non autem sufficit omnia implicite credere, duo saltem sunt explicite credenda de necessitate medii, Deum esse et Remuneratorem.

Constat ex Heb. xi. 6; et ex Prop. 22 damn. ab Inn. XI.

IV. Theologi disputant utrum fides explicita in SS. Trinitatem et Incarnationem sit necessaria necessitate medii; esse enim necessariam necessitate præcepti constat apud omnes. Sententia negans est satis probabilis, imo pluribus probabilior quamvis sententia affirmans S. Alphonso sit probabilior. S. Alphonsus, II. n. 2.

Hinc non licet aliquem ea mysteria ignorantem absolvere extra casum necessitatis, nam exponeretur sacramentum periculo nullitatis. Prop. 64 damn. ab Inn. XI.

V. Actus internus fidei est omnibus adultis necessarius necessitate præcepti quandoque in vita.

Constat ex prop. 1 damn. ab Alex. VII. et ex 16 et 17 damn. ab Inn. XI.

Hoc præceptum obligat aliquando *per se*, aliquando *per accidens*.

Per se obligat 1. Post usum rationis perfecte adeptum, ita ut cognoscat quis credenda et suam obligationem ea credendi. 2. Quando infideli vel adulto cuilibet fidei veritates sufficienter sunt propositæ: "sufficienter autem propositæ censentur, quando ex rationibus, ex signis veræ religionis, ex

miraculis aut aliis probationibus, ita res credibiles apparent, ut recta ratio dictet, fidem quæ proponitur esse veram et sectam cui adhæreant prudenter judicandam esse falsam." Ballerini, V. n. 44. 3. Sæpius in vita, ex prop. 17 damn. ab Inn. XI; quoties non constat. In illis vero qui veritates fidei semel didicerunt et crediderunt, sufficiunt ad obligationem implendam actus fidei virtualis et implicitæ, quales habentur in eo qui orat vel sacramenta suscipit. S. Alphonsus, II. n. 7. Unde ordinarie fideles de hac obligatione non sunt inquietandi; imo fideles nunquam se accusant de transgressione præceptorum ad hos actus obligantium nec solent de hoc a confessariis interrogari, teste Ballerini, V. n. 61.

Per accidens obligat, 1. Urgente gravi tentatione quæ aliter vinci nequit. 2. Ratione alterius præcepti implendi. 3. Post lapsum a fide.

VI. Explicite de necessitate præcepti debent sciri et credi, saltem in substantia, ea quæ necessaria sunt ad Christiane vivendum, nempe Oratio dominica, salutatio angelica, Credo, Præcepta decalogi et Ecclesiæ, Sacramenta quæ cuilibet sunt necessaria. Constat ex perpetua praxi Ecclesiæ quæ non admittit ad Baptismum adultos nisi calleant et credant hos articulos: *c. 56, Symbolum; c. 58, Baptizandos; c. 59 Non liceat, D. IV. de consec.*

Quoad modum hæc sciendi excusatur quis a mortali si interrogatus respondere possit; memoriter tenentur fideles scire Pater, Ave, Credo, saltem sub veniali. S. Alphonsus, II. n. 3.

CAPUT II.

DE PECCATIS CONTRA FIDEM.

Pauca sufficiunt de peccatis contra fidem; sunt infidelitas, hæresis, apostasia.

Infidelitas est negativa, privativa et positiva.

Negativa est carentia fidei in eo qui nunquam de vera religione audivit. Non est peccatum sed pœna peccati, nam si ille qui negativa infidelitate laborat lumini quod in se erat fidelis fuisset, Deus necessario credenda ei revelasset, ut docet S. Thomas, de Veritate, q. xiv. a. 11, ad 1: "Non sequitur inconveniens posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in silvis vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei predicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. Act. x."

Privativa est carentia fidei in eo qui data occasione notitiam fidei comparare neglexit.

Positiva est carentia fidei in eo cui sufficienter proposita est et qui eam positive respuit.

Hæc ultima sunt peccata gravissima quia continent formalem vel saltem virtualem contemptum auctoritatis Dei revelantis, et versantur circa rem maxime necessariam ad salutem. Unde *qui non crediderit condemnabitur.* Marc. xvi. 16.

Hæresis est *formalis* vel *materialis.*

Formalis est error voluntarius et pertinax contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui fidem recepit.

Dicitur *voluntarius,* non igitur est hæresis si error admittitur propter ignorantiam vel inadvertentiam.

Pertinax, quia sciens volens errat hæreticus formalis, quamvis fides sufficienter ei sit proposita, vel quamvis sciat contrarium credi ab universali Ecclesia.

Aliquam, debet enim aliquid fidei retinere aliter vocatur Rationalista, Atheus vel simili nomine potius quam hæreticus.

Fidei veritatem a Deo revelatam et ab Ecclesia propositam, non mere conclusionem theologicam, nec revelationem privatam, nec articulum fidei nondum tamen propositum.

Recepit, ut distinguatur ab infideli. Ballerini, V. n. 117.

Hæresis *materialis* est qua quis errori adhæret sed sine pertinacia; quæ quidem non est peccatum utpote non voluntaria; hæresis formalis vero gravissimum peccatum est, quatenus respuit auctoritatem Dei.

Hæresis formalis est *interna* si mente tantum retinetur, *externa* si exterius manifestatur.

Apostasia,—nempe *a fide* de qua tantum hic loquimur, nam est etiam apostasia a religione, a sacro ordine,—est totalis defectio a veritate fidei, ac proinde ab hæresi differt quatenus hæc est error ex parte tantum fidei contrarius; est igitur sicut hæresis gravissimum peccatum.

I. Non tantum hæreticus formalis est qui sciens volens negat veritatem revelatam et ab Ecclesia propositam ut credendam, sed etiam qui positive dubitat de tali articulo, nam talis dubitat utrum aliquid sit verum quod scit esse a Deo revelatum et ab Ecclesia propositum, qui est error voluntarius et pertinax contra veritatem a Deo revelatam; non vero est hæreticus formalis qui mere suspendit assensum circa veritatem a Deo revelatam, nihil enim judicat, non positive errat.

II. Disputatur inter Doctores qualis ignorantia excuset ab hæresi formali. Communior sententia dicit quamlibet ignorantiam etiam crassam et affectatam excusare ab hæresi saltem in foro interno. Lugo, De Fide, XX. n. 171.

Nam quamdiu quis est paratus sese submittere dummodo veritas sibi proponatur non est hæreticus formalis. Evadit tamen hæreticus formalis si ita est dispositus ut non sit paratus se submittere etiamsi veritas sibi esset proposita. Ballerini, V. n. 142; Lehmkuhl, I. n. 301.

Materiales igitur sunt omnes hæretici qui propter aliqualem ignorantiam non agnoscunt Ecclesiam Romanam, quamvis propter negligentiam in inquirendo possunt graviter contra fidem peccare; nec incurrunt excommunicationem saltem in foro interno.

Multos præsertim rudiores in hæresi educatos esse materiales hæreticos agnoscunt Doctores. Ballerini, V. n. 146.

Hæresis formalis et externa sola constituit crimen hæreseos quod pœnis ecclesiasticis plectitur, unde ad hoc necesse est ut hæresis interna manifestetur facto vel verbo aliove signo graviter malo quod ex natura sua, vel ex consuetudine, vel ex circumstantiis distincte hæresim significat. Et quidem qui tale quid proferunt ordinarie in foro externo præsumuntur hæretici formales, hinc qui matrimonium coram ministro hæretico et ritu heterodoxo contrahunt, excommunicationem contra hæreticos eorumque fautores latam incurrere sæpius est declaratum (Collect. de P.F. nn. 1431, 1435, 1438, 2186); et acatholici qui in gremium Ecclesiæ recipiuntur, in foro externo ab eadem censura absolvuntur. Modus tales reconciliandi sic describitur a Ballerini, V. n. 149:

1° Ante absolutionem sacramentalem sive sit hæreticus formalis sive solum materialis, debet sufficienter instrui in articulis necessariis fidei catholicæ; ne in suam hæresim facile relabatur et alia incommoda eveniant.

2° Ante absolutionem papalem (si opus est) ab hæresi et sacramentalem a peccatis, debet abjurare suam hæresim et facere publicam fidei professionem coram Sacerdote et duobus testibus; ut statuitur non solum in jure canonico *cap. Si qui voluerint, 8, Caus. I. q. 7:* "Si qui voluerint venire ad Ecclesiam catholicam et apostolicam . . . ante omnia autem hanc ab eis confessionem per scripturam exigi

oportet, ut fateantur, se communi consensu Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ statuta observaturos" (*ex Nicæn. Concil. Can. 8 de Novatianis*), sed etiam in ritualibus. [Cfr. Ordo administrandi sacramenta.]

3° Post talem professionem absolvendus est ab habente legitimam potestatem ab hæresi (si opus est) et dein tandem absolvendus est sacramentaliter ab omnibus peccatis ac reficiendus sacra communione, etc. Struggl. tract. 4, q. 2, n. 23.

Quod si agatur de recipiendo in Ecclesiam heterodoxo, de cujus baptismo dubitetur, an validus fuerit, adeo ut rebaptizandus sub conditione sit: 1° instruatur oportet, 2° fidem profiteatur catholicam, ejuratis erroribus, ut supra, 3° sub conditione baptizetur, 4° conditionate absolvatur et dein confirmationis et eucharistiæ Sacramenta suscipiat. Cf. Conc. West. I. d. 16, n. 8.

Si vero Baptismus absolute conferatur, nulla sequitur abjuratio, seu absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis. S.O. 20 Jul. 1859. Collect. S.C. de P.F. n. 1689.

CAPUT III.

DE FIDE EXTERIUS PROFITENDA.

I. Nunquam licet fidem negare vel falsam profiteri, quia est ipsum Deum et Christum negare, dicente Christo: *Qui negaverit me coram hominibus negabo et eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Matt. x. 33.

II. Tenemur aliquando fidem externe profiteri etiam cum periculo vitæ, quando nempe honor Dei vel spiritualis utilitas proximi vel propria id exigant. Cfr. S. Thomas, II-II. q. 3, a. 2.

Id autem exigit honor Dei si secus privative vel contrarie subtraheretur. Privative vero subtrahitur honor Dei si magnus honor et gloria Deo accresceret per fidei confessionem, quo privatur per confessionis defectum; contrarie subtrahitur si ex eo quod nolo fidem confiteri notabiliter diminuitur apud infideles existimatio de Deo, vel de fide et religione ejus. Ballerini, V. n. 68.

Utilitas proximi, de qua supra, tanta esse debet ut moralis necessitas censeatur, qualis est si mea confessio necessaria putetur ne alii fideles inconstantes sint, et a fide deficiant, vel fortasse quia exemplo meæ confessionis alii infideles excitabuntur et convertentur ad fidem. Verricelli, De Apost. missionibus, q. viii. sect. 2, n. 6.

Vel *propria*, ut: Si tibi ipsi periculum immineat,

ne Fidem abneges nisi eam oblata occasione palam profitearis. Siquidem hoc commune est omni virtuti, ut ejus actus in præcepto sit cum necessarius esse incipit ad finem caritatis erga Deum, erga seipsum, vel erga proximum. Laymann, lb. ii. tract. i. c. 10, n. 2. Cfr. Collect. S.C. de P.F. nn. 1643, 1647.

III. Quidam jure positivo tenentur ad externam fidei professionem:

1. Præter baptizandos et neo-conversos juxta Rituale, et præter Episcopos in sua consecratione juxta Pontificale, omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi publicam professionem fidei facere tenentur in prima synodo provinciali quæ post eorum promotionem celebratur. Trid. sess. xxv. c. 2, de Ref.

2. Vicarii Generales.

3. Canonici post nominationem, in ipso capitulo, et infra bimestre in manibus episcopi.

4. Rectores Ecclesiarum aliive curam animarum habentes.

5. Professores Sacræ Theologiæ et philosophiæ in seminariis et collegiis. Con. Westmonast. I. d. ix.

IV. Utrum rogatus de fide illam profiteri teneatur pendet ex circumstantiis. "Regula est universalis," ait Lugo, De Fide, xiv. n. 39, "ut quando tergiversatio vel silentium æquivalet negationi vel erubescentiæ aut formidinis indicio in ordine ad inconvenientia ob quæ hæc sunt illicita, illa etiam non liceant sive id fiat in publico, sive in privato, sive apud magistratum, sive apud hominem privatum." Si vero interrogatio fiat a potestate

publica per se et ordinarie taciturnitas cederet in contemptum religionis et scandalum proximi, unde merito damnabatur prop. 18 ab Inn. XI.

Resolves: 1. Qui tempore persecutionis fugit, fidem non prodit sed monstrat; fuga tamem præsertim pastoris potest esse illicita, si præsentia ejus requiritur ad alios in fide confirmandos, vel ad sacramenta administranda.

2. Non est illicitum templa vel hæreticorum vel infidelium visitare ex mera curiositate, secluso scandalo, perversionis periculo aut superioris mandato. Celebris fuit quæstio de hac re in Anglia ineunte seculo decimo septimo; propter circumstantias speciales tunc vigentes erat ingressus in templa acatholica "externa protestatio falsi dogmatis." Ben. XIV. De synodo, vi. 5, 2; Lugo, De Fide, XIV. n. 171; Suarez, Defens. Fidei, VI. c. 9. Similiter specialis erat occasio Instruct. Eminent. Card. Vic. Urbis, 12 Jul. 1878.

3. Non licet uti signis nec vestibus quæ sunt protestativa falsæ religionis vel sectæ, ut sunt incensatio idoli, signa massonica, nisi joci causa vel in scenicis spectaculis; vestibus Turcicis uti licet. Ballerini, V. n. 88. De ritibus Sinicis et Malabaricis vide Collect. S.C. de P.F. nn. 1762, 1785.

4. Non licet catholicis contrahere matrimonium coram ministro acatholico uti sacris addicto; secus ob gravem causam coram eodem uti civili magistratu; sic in Anglia hoc antiquitus erat permissum. Instruct. S.C. de P.F. 17 Feb. 1864.

V. Communicatio et consociatio fidelium cum hæreticis potest esse prohibita jure positivo vel jure

divino et naturali; hinc varii casus sunt distinguendi:—

1. Hæretici sunt excommunicati, seu a communione fidelium præcisi, et sic debebant a fidelibus vitari a primis Ecclesiæ temporibus, Rom. xvi. 17; Tit. iii. 10. Ante Concilium Constantiense communicatio cum ipsis tum in divinis tum in profanis prohibebatur. In isto Concilio *c. Ad evitanda* concessum fuit ut cum eis communicare fidelibus liceret, nisi essent nominatim excommunicati vel notorii percussores clericorum. Hinc orta est distinctio inter excommunicatos vitandos et toleratos.

2. Cum hæreticis vitandis communicatio in divinis est illicita; et per se in profanis, quod tamen hodie saltem quatenus est juris positivi ecclesiastici non videtur practici momenti. Lehmkuhl, ii. 897.

Unde non licet pro vitando publice orare, nec eum ad divina officia, nec ad sacramenta admittere.

3. Cum toleratis communicatio in eorum ritibus sacris prohibetur jure divino et naturali, quatenus communicatio talis esset virtualis adhæsio falsæ religioni vel saltem aliqua ejus approbatio; aliqua vero communicatio cum ipsis in nostris officiis divinis prohiberi hodie non videtur. Lehmkuhl, ii. n. 891. Unde non licet catholico præbere infantem baptizandum ministro hæretico nec esse patrino in baptismo hæretici; licet vero cum toleratis adesse Missæ in ecclesiis nostris.

4. Per se communicatio cum toleratis in communibus, ut in oratione quæ nihil reprobandum continet, vel benedictione mensæ, non est illicita si

adsit causa gravis, et scandalo, perversionis periculo, hæresis favore et approbatione seclusis.

Unde in periculo mortis vel extra positis istis conditionibus petere sacramenta ab hæretico et schismatico sacerdote licet. Verricelli, De apost. missionibus, qq. 41—44, 142; Azor, I. 8, c. 11; Pirhing, V. 7, 24; Ben. XIV. De synodo, vi. 5, 2.

5. Communicatio omnis cum ipsis prohibetur ipso jure naturali semper ac adest periculum scandali vel perversionis.

VI. Publica disputatio de fide cum hæreticis prohibetur; privata cuique viro docto ab hæretico provocato licita est, ac etiam expediens, primo, si prudenter judicetur hæreticum veritatis cognoscendæ vitandique erroris causa ad disputationem provocare: secundo, si prudenter speretur disputatione illa privata ad orthodoxam fidem hæreticum conversum iri; tertio, si silere catholicus non possit, quin audientes in fide vacillent, hæretici magis in errore confirmentur ac fides catholica contemptui exponatur. At, remotis his circumstantiis, disputatio de rebus fidei laicis est prohibita: sacerdotes, nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere excusando se bonis verbis et prætextibus, ex decreto S.C. de P.F. 26 Feb. 1630. Zitelli, Apparatus jur. eccles. p. 541.

Resolves: 1. Toleratur ut catholici intersint civilis officii tantum causa nuptiis et funeribus acatholicorum semoto scandalo, et quovis perversionis periculo, necnon ecclesiasticæ auctoritatis contemptu. Collect. n. 1848.

2. Non licet nutrici catholicæ in nosocomio

advocare ministrum hæreticum ut suum ministerium infirmo exerceat; licet tamen ei indicare adesse qui eum desiderat. Analecta, 1899, p. 98.

3. Illicitum est organum pulsare cantumve dirigere in ritu sacro in ecclesiis heterodoxorum. Collect. n. 1854.

Sectio II.

DE SPE.

Spes actus voluntatis est, quo amore concupiscentiæ Deum et divina nobis concupiscimus, et quo ex auxilio Dei et fidelitate in promissis futuram beatitudinem et media ad illam consequendam certo expectamus.

Spes igitur potius complexum actuum dicit quam unum actum simplicem, objecta enim sunt varia.

Objectum spei primarium materiale est Deus a nobis possidendus et æterna beatitudo; secundarium media ad objectum primarium attingendum.

Formale objectum est bonitas Dei respectiva, ejus omnipotentia et fidelitas.

Peccata contra spem sunt:

1. *Odium Dei* non quo malum quis vult Deo, hoc enim caritati opponitur, sed quo se a Deo avertit, ut si præferat vitam temporalem felicitati æternæ. Est peccatum mortale ut patet.

2. *Desperatio*, quæ est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem et media ad eam assequendam necessaria.

Si proprie sit talis est mortale peccatum ex

toto genere suo et gravissimam injuriam continet erga Deum, quatenus virtualiter reputat eum non bonum, vel non omnipotentem, vel promissis haud fidelem. Ab hac distinguenda est desperatio improprie talis quæ est timor nimius de salute ex consideratione propriæ infirmitatis. Sæpe erit leve tantum peccatum, quatenus potius negligit animum erigere ex spei motivis quam spem abjicit. Lehmkuhl, I. n. 311.

3. *Præsumptio*, ex parte excessus, quæ est inordinata fiducia beatitudinis obtinendæ sine mediis a Deo ordinatis. Est grave ex genere suo sed admittit parvitatem materiæ, ut si quis ex præsumptione bonitatis divinæ venialiter peccet.

Est peccatum præsumptionis si quis ideo peccet quia Deus tam facile veniam det; non si quis peccet *cum* spe veniæ.

Spes est adultis necessaria necessitate medii et præcepti.

Nam est necessaria necessitate medii quatenus justus nequit in gratia perseverare sine oratione, et ut oret actum spei implicite elicere oportet; peccator vero justificari nequit nisi in spem erigatur et libere in Deum moveatur. Trid. sess. vi. c. 6.

Est etiam necessaria necessitate præcepti; aliquoties enim in vita actus spei est eliciendus. Prop. 1 damn. ab Alex. VII.

Circa autem necessitatem actus spei eadem sunt applicanda ac supra sunt de fide jam dicta.

Quoad modum tractandi tentatos contra spem, confessarius distinguat inter tentationes et peccata. Deinde videat originem et causam tentationum sive

peccatorum; si proveniunt ex vitiis inveteratis præsertim carnis, remedia contra hæc sunt danda, si ex Dei diffidentia præscribat devotionem erga Sanctissimum Cor Jesu, Beatissimam Virginem Mariam, meditationes in passionem Domini nostri Jesu Christi, lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim ubi commemoratur divina misericordia, ut in parabolis filii prodigi et ovis perditæ. Lehmkuhl, I. n. 311.

Sectio III.

DE CARITATE.

CAPUT I.

DE CARITATIS NECESSITATE.

Caritas actus est voluntatis quo Deum tamquam summum bonum amore benevolentiæ et amicitiæ diligimus propter seipsum, et proximum propter Deum.

Dicitur *tamquam summum bonum*, proinde amor caritatis debet esse appretiative summus, seu debet quis æstimare Deum et velle Deo adhærere super omnia, ita ut sit paratus omnia mala tolerare et alia omnia bona perdere potius quam a Deo separari. Peccatur graviter si actuali intentione Deus ad aliud tamquam ad finem refertur.

Amore benevolentiæ, qui distinguitur ab amore spei quo quis concupiscit Deum ut sibi beatificantem. Tres sunt præcipui affectus hujus caritatis; *complacentia*, qua amans erga perfectiones amatæ personæ bene afficitur; *benevolentia*, qua amans amato bona desiderat; *beneficentia*, qua amans vult amato bona conferre.

Amicitiæ, ad quam requiritur quædam æqualitas, quæ datur nobis cum Deo per gratiam per quam efficimur "*consortes divinæ naturæ*." II. Petr. i. 4.

Propter seipsum, vel propter aliquam perfectionem divinam, et sic distinguitur ab actibus aliarum virtutum quæ etiam ad Deum referuntur, v.g., religionis.

Proximum; duplex est objectum materiale caritatis, Deus et proximus; unum objectum formale, ac proinde una est virtus caritatis qua Deum et proximum propter Deum diligimus.

Notandum posse nos proximum diligere duplici modo virtute theologica, et morali. "Diligimus ex virtute theologica, quando hujusmodi amor pro motivo formali habet divinam bonitatem, v.g., quia sumus imago Dei summe boni; quia sumus capaces beatitudinis et amicitiæ cum Deo summe bono; quia conducimus ad honorem Dei summe boni; aut quia talis amor Deo placet; aut quia in proximo ipsam Christi Dei personam aspicimus. . . . Diligimus caritate morali nos et proximum, quando pro motivo formali habet amor honestatem illam ac virtutem, quæ ex lumine rationis in tali amore relucet. Hic amor potest esse ex gratia supernaturalis, sicut ceteræ virtutes morales." Ballerini, V. n. 35.

Proximus complectitur omnes qui sunt capaces beatitudinis et amicitiæ cum Deo, ac proin omnes creaturas rationales, exceptis dæmonibus et damnatis, qui in æternum a divina amicitia excluduntur, complectitur totam familiam Dei Patris.

Bruta animalia non sunt objecta caritatis nec justitiæ. Ballerini, V. n. 34; S. Thomas, II-II. q. 23, a. 1; q. 25, a. 3. Attamen peccat si quis crudeliter ea tractat. Lessius, De Just. II. c. 9,

d. 1; Scavini, II. n. 503; Cathrein, Phil. moral. n. 263.

Nemo autem magis proximus quam ipse sibi, unde unusquisque tenetur se ipsum ex caritate amare, quæ obligat ad debitam curam salutis propriæ tum animæ tum corporis. Lehmkuhl, I. n. 569.

I. Datur speciale præceptum caritatis ex Matt. xxii. 37; et constat etiam ex Propp. 1 damn. ab Alex. VII. et Alex. VIII.

II. Actus caritatis est aliquando vi hujus præcepti eliciendus, at quoties urgeat ultra certos limites vix determinari potest. Urgere sæpius quam semel in vita vel singulis quinquenniis constat ex propp. 5, 6, 7, damn. ab Inn. XI.

Nemo tamen qui christiane vivit est inquietandus de hac obligatione, sufficit enim actus implicitus ad illam implendam, qualis habetur ab eo qui devote *Pater* recitat, vel sacramenta pie suscipit. Imo peccatum omissionis actus caritatis sufficienter explicatur in confessione si totalem neglectum Dei et curæ animæ peccator confitetur. Lehmkuhl, I. n. 311; n. 324; Lugo, De Pœnit. VII. n. 243.

Nec adeo difficile est elicere actum caritatis a Deo quidem præscriptum, qui facienti quod in se est non denegat gratiam. Lehmkuhl, II. n. 152.

Unde præstat omnes exhortari ad actus caritatis sicut aliarum virtutum theologicarum sæpissime renovandos utpote maximi meriti, potius quam obligationem exacte determinare conari.

III. Sicut præceptum diligendi Deum respicit actum internum, quo quis vult omnia mala tolerare

potius quam Deum offendere, et actum externum quo quis mortale peccatum evitat, juxta illud Joan. xiv. 21 : "*Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me :*" ita præceptum diligendi proximum respicit tum actum internum tum actum externum. De actu interno præcepto constat ex propp. 10, 11 damn. ab Inn. XI. ; de externo ex I. Joan. iii. 16, sqq.

Cui tamen obligationi ordinarie satisfit per generalem quemdam amorem qui neminem excludit ab orationibus et ab ordinariis signis dilectionis ; ratione autem necessitatis proximi caritas obligat ad ei succurrendum pro cujusque capacitate, ut mox declarabitur.

IV. Præceptum caritatis obligat sub gravi, quatenus est omnium virtutum excellentissima. S. Thomas, II-II. q. 23, a. 6.

Unde peccata contra caritatem ut, Odium, Invidia, Discordia, Contentio, Schisma, Rixa, Bellum, Seditio, Scandalum, sunt ex genere suo peccata mortalia, quamvis ex his pleraque admittunt parvitatem materiæ.

CAPUT II.

DE ORDINE CARITATIS.

Manifestum est præceptum caritatis non æqualiter obligare quoad omnes et in omnibus circumstantiis, sed ordinem quemdam esse servandum. Hic ordo respicit personas amatas, bona quæ illis ex caritate volumus, et varios gradus necessitatis in qua versantur.

Triplex autem gradus necessitatis distinguitur, necessitas extrema, gravis et communis.

In *extrema* necessitate est qui est in periculo damnationis vel mortis vel similis mali, nec potest sese eripere.

In *gravi* est qui in eodem periculo versatur, nec sine magna difficultate sese eripere potest.

In *communi* necessitate sunt qui sine gravi difficultate sese adjuvare possunt. In tali necessitate constituuntur ordinarii peccatores et mendicantes.

I. Ipse Deus qui est infinita bonitas primo et principaliter est diligendus.

II. Post Deum tenemur amare nosmetipsos propter participationem divinæ bonitatis ad quam sumus destinati; et Christus Dominus tamquam regulam caritatis erga proximum statuit caritatem erga nosmetipsos. Matt. xxii. 39. Regula autem est prior regulato.

III. Diversi sunt gradus excellentiæ in bonis

quæ vel nobis vel aliis volumus, et recta ratio dictat præstantiora inferioribus esse præferenda. Hinc bona spiritualia præferenda sunt temporalibus, interna animæ externis corporis.

IV. Tenemur bona spiritualia necessaria prius nobis velle quam proximo: *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Matt. xvi. 26.

Unde ne quidem ad totum mundum salvandum licet peccare mortaliter vel venialiter. Licet vero privare se bonis spiritualibus ad salutem non necessariis citra eorum contemptum propter bonum proximi sive spirituale sive temporale.

Hinc ex ordine caritatis cum respectu ad nosmetipsos et proximos, et ad præstantiam diversorum bonorum diligere tenemur: 1. Nos ipsos secundum bona spiritualia necessaria. 2. Proximum secundum eadem. 3. Nos ipsos quoad bona corporis intrinseca, ut sunt vita et sanitas. 4. Proximum quoad eadem. 5. Nos ipsos secundum bona externa, ut sunt fama, honor, divitiæ. 6. Proximum secundum eadem. S. Alphonsus, II. tract. iii. nn. 25, 26.

Probabiliter autem licet præferre proximum nobis ipsis in necessariis vitæ, nisi aliud exigat bonum commune; nec istud est contra regulam caritatis bene ordinatæ, quia tunc præferimus bonum heroicæ virtutis vitæ temporali. Unde licet alteri cedere tabulam saluti propriæ necessariam in naufragio. S. Alphonsus, III. n. 366.

V. Succurrendum est proximo in extrema necessitate spirituali cum periculo vitæ, si tamen: 1° Æque certa sit spes eum juvandi ac est certum

periculum vitæ; 2° Si nullus alius est qui eum juvet; et sic non teneris ire ad Indos vel Africanos convertendos, quia alii sunt qui hoc facere possunt et spes fructus est incerta; 3° Si constat de necessitate extrema, ita ut nullo modo sese adjuvare possit; 4° Si gravius malum non inde sequatur. Bucceroni, I. n. 385.

VI. Extra casum extremæ necessitatis spiritualis, præceptum caritatis non obligat cum gravi incommodo proprio, velut cum periculo vitæ, amissionis membrorum, vel gravis jacturæ bonorum. Ratio est, quia si agatur de extrema necessitate corporali nec ipse teneor vitam propriam salvare cum magno incommodo, multo ergo minus alienam; si de gravi necessitate sive spirituali sive corporali, ipse proximus potest se eripere cum aliqua difficultate, ergo ego non teneor magnam subire difficultatem ad idem præstandum. Lehmkuhl, I. n. 602.

VII. Obligatio tamen adest cum aliquo incommodo proprio succurrendi proximo in necessitate sive gravi sive communi, et gravior pro graviore necessitate.

VIII. Augetur obligatio si alius titulus justitiæ, pietatis, damni communis accedat, nam bonum commune est præferendum bono privato. Cf. Lehmkuhl, I. n. 606.

IX. Quoad ordinem proximos inter se diligendi: 1. Ceteris paribus amore complacentiæ, quam consequitur honor, cultus, reverentia, præferendi sunt illi qui cum Deo, caritatis fonte, sunt magis conjuncti; unde sanctiores magis sunt diligendi quam improbi.

2. Amore benevolentiæ, quam consequitur beneficentia, ceteris paribus, magis sunt diligendi qui nobis sunt magis conjuncti quoad bona quæ isti conjunctioni sunt debita.

Unde hoc ordine proximis erit succurrendum: 1. Uxori; 2. Filiis; 3. Parentibus; 4. Fratribus, sororibus, et deinde propinquis, domesticis et familiaribus.

Cum vero varii sint gradus necessitatis et conjunctionis et meriti, non potest regula universali determinari cuinam potius sit subveniendum, sed indiget judicio prudentis. Bucceroni, I. n. 388.

X. Non est contra caritatem malum temporale alicui optare sine odio erga eum, vel de malo gaudere, ob bonum et proportionatum finem, nisi pervertatur ordo caritatis. Unde licet optare proximo malum temporale ob bonum spirituale obtinendum; licet etiam optare malum temporale alicui ob bonum commune et proportionatum sive temporale sive spirituale. Cfr. tamen Propp. 13, 14, 15, damn. ab Inn. XI. S. Alphonsus, II. n. 30.

CAPUT III.

DE DILECTIONE INIMICORUM.

I. Etiam inimici sunt diligendi, non quidem quatenus inimici, sed quia etiam ipsi sunt proximi; et constat ex Matt. v. 44: *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos vestros.*

II. Hoc præceptum obligat: 1. Ad odium deponendum; 2. Ad communia signa dilectionis inimicis exhibenda, quæ quidem denegare esset vindictam sumere, quod privato non licet. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 28.

Communia vero signa et beneficia sunt ea quæ ratione generalis caritatis aliis debentur pro ratione conjunctionis quæ intercedit inter partes. Sic variantur, nam diversa sunt signa generalis caritatis inter christianos sibi invicem ignotos, concives, cognatos, religiosos ejusdem domus. Quamvis autem communia dilectionis signa etiam inimicis sint ex caritate exhibenda, ob rationabilem causam ad tempus citra culpam denegari possunt dummodo odium deponatur. Rationabilis autem causa est debita correctio offendentis inimici, timor prudens rixarum ex conspectu et colloquio inimici, timor prudens ne inimicus signis amicitiæ sit abusurus ad novam injuriam inferendam.

Resolves: Peccat qui inimicos excludit a communibus orationibus, a communibus eleemosynis, resalutatione, expositarum mercium venditione, quia hæc sunt signa dilectionis communia.

III. Specialia signa dilectionis erga inimicum sunt tantum de concilio, nisi aliunde ratio specialis obligationis accedat quando eorum denegatio esset odii manifestatio. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 28.

Specialia autem dilectionis signa ordinarie censentur apposite pro aliquo orare, eum salutare, visitare, mœstum consolari, familiariter cum eo agere, nisi ob speciales circumstantias hæc etiam signa dilectionis ordinaria fierent.

Dictum est—*nisi aliunde ratio specialis obligationis accedat*—qualis esset: 1. Timor scandali ex omissione: 2. Spes salutis inimici: 3. Necessitas ejus spiritualis vel temporalis.

IV. Etsi quivis teneatur inimico veniam legitime petenti non tantum interius remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere; non tamen tenetur statim postquam offensio ipsi illata sit. Neque tenetur remittere satisfactionem pro damno, si læsus fuerit. Immo nec eam tenetur acceptare si offeratur, sed etiam juridice pro compensatione petere potest, dummodo deponatur odium. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 28.

Dictum est *tenetur interius remittere*, aliter enim odium foveret, et Christus Dominus ait: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matt. vi. 15.

Externa signa remissionis ostendere, quorum denegatio esset odii manifestatio.

Non statim, quod esset supra fragilitatem humanam nondum sedata perturbatione; unde tempus opportunum expectari potest si interim odium deponatur. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 28.

Nec remittere satisfactionem, quæ est bonum læso debitum ex justitia, quæ caritati non opponitur. *Juridice petere potest*, quia licet publica auctoritate vindictam sumere; cavendum tamen est ne ad vindictam sumendam moveatur ob odium erga offendentem.

V. Odium inimicitiæ sive personæ secundum se, et bonorum quæ in se habet, volendo scilicet illi malum, ut sic, sive quatenus illi malum est, ex genere suo est mortale; odium tamen abominationis, sive qualitatis, quo non hominem sed ejus malitiam aversamur, est licitum. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 30.

Resolves: Privatus, qui aversus ab alio fugit illum, si id faciat ut eum suo colloquio, et solatio privet, atque ita contristet, et male illi sit, est odium inimicitiæ et peccatum; si vero tantum fugias nihil mali optando, quia tuæ naturæ est difformis, vel tibi solet esse molestus, est odium aversionis et peccatum, si sit sine ratione; quale non erit si sit persona valde aspera, modo absit contemptus, scandalum, et vindictæ cupiditas. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 30.

CAPUT IV.

DE ELEEMOSYNA.

Eleemosyna actus misericordiæ est quo proximi necessitati subvenitur. Est spiritualis vel corporalis prout necessitas cui subvenitur est spiritualis vel corporalis. Agimus de præcepto eleemosynæ corporalis.

I. Verum datur eleemosynæ dandæ præceptum, quod constat ex generali præcepto caritatis, quo tenemur proximo in necessitate posito succurrere, et ex verbis expressis Sacræ Scripturæ: *Eleemosynam pauperis ne defraudes.* Eccli. iv. 1. Cfr. Matt. xxv. 42; 1 Joan. iii. 17.

Obligatio eleemosynæ dandæ pendet ex duplici consideratione, ex necessitate pauperis, de qua eosdem tres gradus distinguunt Doctores ac supra fuerunt traditi, et ex capacitate dantis. Nemo tamen in necessitate versatur qui facile potest sese eripere dummodo laborem non detrectet; et potius est abstinendum ab eleemosynis dandis mendicantibus trivialibus qui laborare recusent.

Quoad bona ex quibus eleemosynæ sunt dandæ, alia sunt necessaria ad vitam, alia necessaria ad statum, alia superflua. Necessaria ad vitam sunt sine quibus aliquis iique quorum curam habet, esse vel vivere nequeunt.

Ad statum necessaria sunt quibus quis indiget ad honeste vivendum juxta suum statum. Unde

quædam latitudo in his admittenda est. Cetera sunt superflua.

II. Nemo tenetur eleemosynas dare ex vitæ necessariis, nisi agatur de persona Reipublicæ vel bono communi necessaria. Ratio patet ex regulis supra traditis de ordine caritatis.

III. Nec est obligatio dandi eleemosynas ex necessariis ad statum nisi in extrema necessitate posito, imo ne tali quidem si propterea e statu tuo excidere deberes.

"Nemo certe opitulari aliis de eo jubetur, quod ad usus pertineat cum suos tum suorum necessarios: imo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personæ conveniat, quodque deceat, nullus enim inconvenienter vivere debet. (S. Thomas, II-II. q. 32, a. 6). Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superest gratificari indigentibus." Leo XIII. *De cond. opificum.*

Ratio exceptionis iterum patet ex regulis supra datis.

IV. In gravi necessitate proximo succurrendum est ex superfluis vitæ et status; imo aliquando ex superfluis est iis opitulandum qui in communi necessitate versantur.

Ratio prioris partis satis patet ex præcepto generali caritatis; ratio alterius est quia etiam tales sunt in necessitate, et si nemini incumberet iis opitulari in gravem necessitatem inciderent; dicitur vero *aliquando*, quia si semper urgeret obligatio, grave sane fieret incommodum. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 32. Tantum est dandum ex obliga-

tione quantum sufficit hic et nunc ad levandam necessitatem; unde sufficit aliquando rem commodare restituendam. Debent eleemosynæ dari ex propriis; ex alienis, ut ab uxoribus, tutoribus aliisque qui bona aliena administrant, nonnisi ex præsumpta domini voluntate.

Debentur eleemosynæ religiosis quia eorum paupertas est vera et justa quamvis voluntaria. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 32. Per se eleemosyna debetur indigentibus christianis et infidelibus, incolis et peregrinis; non tamen sunt reprobandi legislatores et magistratus qui repellunt peregrinos mendicantes ob justas causas, ut quia domesticis satisfieri non possit, vel quia populum corrumperent. Ballerini, V. n. 142.

V. Quoad gravitatem obligationis eleemosynæ dandæ, gravior est pro graviore necessitate pauperis.

1. Obligatio succurrendi in extrema necessitate posito est gravis juxta omnes, agitur enim de gravi præcepto et de materia gravi.

2. Juxta communem sententiam adest etiam gravis obligatio proximo in gravi necessitate constituto succurrendi, quia verba Christi apud Matt. xxv. 42, sane insinuant obligationem gravem, et non videntur restringenda ad casum extremæ necessitatis, qui est satis rarus. Attamen in casibus particularibus ubi officio defuerint non facile condemnandi sunt divites mortali culpa, ob difficultatem dijudicandi de pauperis necessitate, de bonorum superfluitate, et ob dissensum Doctorum de hac obligatione, et ob præsumptionem quod alii velint succurrere. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 32.

3. Disputant Doctores utrum obligatio succurrendi pauperibus in communi necessitate sit gravis an levis tantum. Non constat igitur esse gravem, quia eorum miseria est tantum levis et tolerabilis. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 32.

CAPUT V.

DE CORREPTIONE FRATERNA.

Correptio fraterna est admonitio, qua quis ex caritate proximum conatur revocare a peccato, prout hoc est malum spirituale ipsius peccantis. Est eleemosyna spiritualis.

Differt autem a correctione *judiciali* quæ fit a persona auctoritate publica prædita in punitionem rei ad bonum commune; et a correctione *paterna* quæ fit a patre vel superiore in bonum quidem delinquentis, sed simul etiam aliorum.

I. Adest, verificatis quibusdam conditionibus, obligatio correptionis fraternæ, ut probatur: 1° Ex generali præcepto caritatis, quo in proximi necessitate quis tenetur eum juvare.

2° Ex positivo præcepto Christi Domini: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matt. xviii. 15.

II. Hæc obligatio in gravi materia per se est gravis, pertinet enim ad præceptum caritatis; gravis autem materia per se est quodvis peccatum mortale.

III. Ut tamen obligatio adsit: 1° Debet constare de peccato proximi, nec adest obligatio inquirendi nisi superiori. 2° Eum non se emendasse, nec probabile esse se emendaturum. 3° Porro obligatio adest si alius correpturus non adsit. 4° Si sit spes

fructus. 5° Si sit bona occasio et corripere possis sine tuo gravi damno.

Raro igitur tenentur privati saltem sub gravi ad correctionem fraternam, frequentius superiores, Episcopi, parochi, quia etiam ex justitia et ex officio hi tenentur, etiam cum magno suo incommodo.

IV. Ipse Christus Dominus, Matt. xviii. 15, ordinem præscripsit servandum in correptione fraterna, ita ut si occultum sit peccatum, privata prius fiat correptio, postea coram testibus, et quatenus sine fructu, postea res ad superiorem deferatur. Si tamen publicum sit crimen, vel si in damnum publicum vergat, nisi statim superiori innotescat, vel si præstet rem superiori, viro prudenti, quam aliis testibus innotescere, vel si corripiendus sit contentus ut res statim superiori deferatur, ut fit in quibusdam communitatibus religiosis quarum singuli religiosi juri suo in hac re renuntiarunt, ordo iste non erit necessario servandus. Attamen in ultimo casu si reus sit emendatus nec relapsurus videtur, illicitum esset culpam occultam superiori deferre. S. Alphonsus, II, tract. iii. n. 41.

Resolves: 1. Qui facile potest impedire peccatum mortale proximi, nec illud facit ob vanum timorem alicujus mali temporalis, peccat mortaliter.

2. Expedit ordinarie ut convictores in collegiis qui sciant corruptores aliorum, eos superioribus sive per se sive per alios denuncient, ad quod sub gravi tenentur, si necessarium videtur ad grave damnum impediendum.

3. Correctio est adhibenda non semper statim, sed dum major fructus speratur, unde potest aliquando permitti ut reus relabatur quo ferventius resipiscat. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 42.

V. Non videtur esse obligatio monendi alios de peccato materiali, nisi quis ex officio, ut superior, confessarius, alios instruere teneatur, vel ratione damni aut scandali aliorum. Ballerini, V. n. 159; Lehmkuhl, I. n. 615.

CAPUT VI.

DE SCANDALO.

Scandalum est dictum vel factum minus rectum præbens alicui occasionem ruinæ spiritualis.

Dicitur *minus rectum*, quod, scilicet, vel est in se malum, vel mali speciem habet.

Occasionem, quæ hic sumitur etiam pro vera causa in scandalo directo.

Ruinæ spiritualis, nempe peccati sive mortalis sive saltem venialis; non autem rumorum, admirationis populi, multo minus horroris ob peccatum commissum. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 43.

Scandalum est *directum* vel *indirectum;* directum est quo peccatum alterius intenditur, indirectum quo, quamvis non intenditur, prævidetur.

Si peccatum alterius quâ peccatum et ejus spiritualis ruina intenditur est scandalum *diabolicum*, si solum intenditur quod est peccatum ob alium finem, ut voluptatis causa in fornicatione, est scandalum directum *simpliciter tale*.

Iterum scandalum est *activum* cui competit data definitio, *passivum* est ejus correlativum, seu ipsa ruina spiritualis alterius. Hoc vocatur *pusillorum* si ex infirmitate vel ignorantia proximi suscipiatur; *pharisaicum* si ex ejus malitia proveniat.

Resolves: Non omne peccatum commissum coram aliis est peccatum scandali; sed tunc tantum quando ex circumstantiis actus et personarum

peccans saltem probabiliter et in confuso prævidet se dare occasionem aliis peccandi. Hinc qui se inebriat coram aliis qui exinde non sunt peccaturi scandalum non dat.

I. Scandalum sive directum sive indirectum est grave peccatum ex genere suo, et specialem malitiam habet ex eo quod est contra præceptum correctionis fraternæ.

Est grave peccatum ex genere suo quatenus est contra caritatem, et Christus Dominus dixit: *Væ mundo a scandalis.* Matt. xviii. 7. Quæ forma verborum indicat malitiam gravem. Hinc graviter peccat qui sua actione etiam indifferenti, et adhuc magis peccaminosa, præbet alteri occasionem graviter peccandi; et leviter tantum peccat ratione scandali qui mortali suo peccato inducit alterum ad leviter peccandum. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 44.

II. In scandalo directo peccatum datur tum contra caritatem, tum contra virtutem ad quam lædendam proximus inducitur; in indirecto probabiliter solummodo contra caritatem.

Ratio est, quia quamvis quælibet virtus me obligat ad non inducendum alios ad eam violandam, non tamen me obligat ad alios prohibendos quominus eam violent, sed tantum ex caritate et juxta regulas caritatis ad hoc teneor. Unde qui inducit alium ad se inebriandum peccat tum contra caritatem tum contra temperantiam; qui tamen se inebriando occasionem dat alteri similiter faciendi, ratione scandali peccat tantum contra caritatem, et satisfacit in confessione dicendo de hoc peccato se

grave scandalum alteri dedisse. Lugo, De Pœnit. xvi. n. 159.

Quando quis alteram sollicitat ad fornicationem committendam tum sollicitans tum sollicitata peccant contra castitatem et caritatem, unde circumstantia sollicitationis est tantum circumstantia aggravans.

III. Scandalum pusillorum vitandum est, quoties fieri potest, sine gravi incommodo, tum operis indifferentis tum operis boni non præcepti omissione.

Dictum est operis *indifferentis*, ut si sacerdos quandocumque transit per aliquam viam cuidam inibi habitanti præbet occasionem religioni catholicæ maledicendi.

Non præcepti, ut quando mulier audit Missam non præceptam prævidens scandalum alterius ex sua præsentia.

Ratio est, quia caritas obligat cum facile possumus ut prohibeamus proximi peccatum. Non est scandalum tunc mere passivum, quia quamvis actio bona vel indifferens *per se* non influit in peccatum alterius, *de facto* tamen ratione circumstantiarum in illud influit.

Præcepta vero ordinarie omittenda non sunt propter scandalum, præsertim præcepta juris naturalis, unde quando urget præceptum fidei profitendæ, illius professio non est omittenda quamvis prævidentur exinde peccata persecutorum vel fidei hostium secutura; nisi in istis circumstantiis cessant illa præcepta, ut quando correctio delinquentis plus noceret quam prodesset. Utrum præcepta positiva possint ob scandalum aliquando omitti, controver-

titur. Ratio negantium est quia scandalum non est proprie datum, et potest permitti scandalum ut lex observetur; ratio affirmantium est quia lex naturalis scandali vitandi debet prævalere legis positivæ observantiæ.

Utraque sententia est probabilis, hinc practice datur libertas.

Resolves: 1. Mulier quæ prævidet conspectum sui vel ornatum honestum fore alteri occasionem gravis peccati, tenetur occasionem deponere si facile potest, secus non; nec tenetur occasionem deponere si prævidet periculum peccati aliquorum in genere, hoc enim esset nimis onerosum.

2. Mulier quæ scit se esse occasionem cuidam peccandi si ad Missam præceptam eat, potest illam semel vel iterum omittere quamvis non tenetur; nec licet illam omittere ob timorem tantum generalem fortasse adesse qui scandalum accipiat.

IV. Scandalum pharisaicum non est vitandum omissione operis præcepti, nec ordinarie operis boni non præcepti, nec etiam indifferentis, mali speciem non habentis.

Dicitur non esse vitandum omissione operis *præcepti*, quia daretur impiis medium bona impediendi.

Nec ordinarie omissione boni operis *non præcepti* nec etiam *indifferentis*, quia nimis onerosum esset mihi relinquere aliquid mihi utile ob meram malitiam aliorum. Matt. xv. 14.

Et sic licet sacerdoti exigere jura stolæ quamvis prævideat obtrectationes; licet alicui die dominico honesto ludo vacare quamvis sabbatariani scandali-

zentur; rhedario denegare majus justo stipendium quamvis irascatur.

V. Licet probabilius suadere minus malum alicui jam determinato ad majus exequendum. Quia suasio tendit in bonum, quatenus tendit ad impediendum majus malum. Laymann, qui dicit lb. ii. tract. iii. c. 13, n. 7, hanc esse quæstionem celebrem, concedit quidem cum aliis esse licitum quando minus malum sit formaliter vel virtualiter in majore contentum, ut est fornicatio in adulterio. Sed respondetur ita semper minus malum in majore sub ratione *peccati* contineri. S. Alphonsus, II. tract. iii. n. 57; V. n. 77.

VI. Licet occasionem peccandi permittere, vel etiam apponere, ut alius corrigatur vel detegatur.

Occasio enim est quæ ansam præbet causæ effectum producendi; et sic ponitur actio indifferens cum recta intentione boni effectus proportionati malo, ac proinde habetur applicatio principii duplicis effectus. Itaque ut famulus qui fur esse suspicatur detegatur, pecuniam ubi facile famulus illam surripiat ponere licet.

Iisdem principiis solvuntur quæstiones de cooperatione in peccatis alienis.

Cooperatio autem in genere est concursus cum alio principaliter agente; hic sumitur pro participatione quadam ad actionem pravam alterius.

Cooperatio est: 1. *Immediata* vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones cum peccato alterius connexionem aliquam habentes.

2. *Proxima* vel *remota*, prout actio cooperantis

propius vel remotius cum prava alterius actione connectitur.

3. *Positiva* vel *negativa*, prout cooperans ponit actionem in peccatum alterius influentem, vel omittit actionem debitam, ut si non obstet cum obstare debet.

4. Cooperatio *formalis* est qua quis concurrit ad malam voluntatem alterius, hoc est, ad malum actionis, quod vult alter, cui cooperari dicitur; ad cooperationem igitur formalem requiritur ut cooperans malum illud velit et ex sua parte gignat quod alter vult et facit. Cooperatio enim est conjunctio in ipso opere. Ballerini, V. n. 253. Et sic qui cum alio peccat, cum eo formaliter cooperatur, sicut et qui munus dat alteri ut peccet; magis proprie autem hoc est scandalum.

Materialis est quæ præter intentionem et cum mera permissione cooperantis, concurrit ad malam alterius actionem; est actio qua principaliter agens uti potest sine peccato, sed qua abutitur ad peccandum, ut quando sacerdos dat sacram Communionem occulto peccatori. His notionibus traditis:

VII. Cooperatio formalis nunquam licita est; moraliter enim influit in ipsum peccatum alterius; est contra caritatem et virtutem quam alter lædit; intendit cooperans peccatum vel actu signato vel exercito.

VIII. Materialis cooperatio licita est si: 1. Actio tua sit bona vel saltem indifferens. 2. Adsit justa et proportionata causa permittendi peccatum alterius. 3. Non tenearis ex officio ad peccatum impediendum.

Quoad secundam conditionem, ut ait Busembaum, gravitas causæ certâ regulâ definiri nequit, sed prudentis arbitrio est metienda. Quid prudentes judicaverint in variis casibus practicis colligitur ex resolutionibus sequentibus.

1. Licet petere mutuum ab usurario qui fœnus nimium exigit; petere sacramenta a malo sacerdote; locare domum meretricibus, nisi meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam majorem darent peccatis.

2. Licet vendere res indifferentes omnibus emptoribus, nisi constet de malo usu, vel etiam tunc ex gravi et proportionata causa, vel si facillime aliunde obtineri possent. Et sic licet vendere omnibus sclopeta, gladios, nisi constet requiri ad homicidium aliudve crimen committendum. Et judicarunt viri docti me non peccare, si vendam panes hæreticis quibus utuntur in suo falso sacramento cœnæ. Lacroix, II. n. 263.

Non liceret vendere potum inebriantem illi qui jam nimium biberat, nisi ad rixas aliave gravia incommoda vitanda; quod etiam lege nostra municipali prohibetur. Stephen, III. p. 203.

3. Non licet vendere res ex institutione sua vel usu destinatas ad malum, nisi constet abesse periculum abusus, vel ex gravi causa. Et sic non licet libros malos publice venales exponere, quamvis licet aliqua exemplaria retinere quibus emptoribus qui istis non abusuri videntur satisfieri possit. Nec licet venena vendere, nisi cum debitis cautelis, et nisi moraliter constet de bono usu. Stephen, III. p. 212, note.

4. Licet muratoribus ædificare templa hæreticorum, statuas non autem idola licet conficere. Non tamen licet pecuniam tribuere templis ædificandis hæreticis, aliis vero eorum institutis profanis ex causa licet. Lehmkuhl, I. n. 660.

5. Non licet pingere nudas picturas exhibendas, nisi constet de bono usu, ut ad studia anatomica adjuvanda.

TRACTATUS VI.

De Præceptis Decalogi.

Sectio I.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

DE ACTIBUS RELIGIONIS.

Incipit tractatus de Decalogo, seu de decem præceptis quæ humanæ rationi indita Moysi in monte Sinai solemniter fuerunt a Deo tradita. Ex. xx. 1; Deut. iv. 13. Primum præceptum, quod est—*Ego sum Dominus Deus tuus . . . non habebis Deos alienos.* Ex. xx. 2,—jubet debitum cultum Deo præstandum, et quæ contraria sunt prohibet. Hæc vero pertinent ad virtutem *religionis*, quæ est virtus moralis quæ debitum cultum Deo tamquam primo rerum omnium principio exhibet.

Dicitur virtus *moralis*, nam objectum formale est honestas talis cultus; objectum materiale sunt varii actus cultus divini.

De aliquibus tantum actibus religionis hic agitur, nam de aliis aptius alibi tractabitur.

Articulus I.

DE ORATIONE.

Oratio sumitur *communissime, communiter, proprie.* Sumpta *communissime* significat omnem bonam operationem; ita Glossa ad 1 Thess. v. 17: *Sine intermissione orate,* exponit:—"Semper juste vivite: nam justus nunquam desinit orare, nisi desinit justus esse, semper ergo orat qui semper bene agit." Ita etiam illud—Laborare est orare.

Communiter sumpta est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animæ affectus in Deum et in supernaturalia. Si materialiter spectatur, oratio hoc sensu intellecta non habet usum unius virtutis sed omnium, maxime autem fidei, spei, caritatis, obedientiæ, ac reverentiæ ad Deum, pœnitentiæ ac humilitatis, et consequenter etiam aliarum virtutum. Suarez, De rel. tract. iv. lb. iii. c. 2.

Proprie sumpta oratio est—Petitio decentium a Deo.

Est etiam *mentalis* vel *vocalis;* illa mente sola peragitur, hæc ore exprimitur.

Est *publica* vel *privata,* de qua distinctione ait Suarez: "Distinctio ergo ex ministerio et intentione personæ sumenda est: nam ut oratio sit publica, necesse est, ut fiat a persona, quæ sit Ecclesiæ minister deputatus ad orandum nomine suo, et quod ipse hac intentione oret, ut expleat munus suum, et consequenter necesse est, ut oret modo præscripto ab Ecclesia ad orandum Deo nomine ipsius: omnis

autem alia oratio, quæ has conditiones non habet, privata est." De rel. vol. ii. lb. iii. c. 2, n. 2; S. Thomas, II-II. q. 83, a. 12.

Formæ in publica oratione adhibitæ, ab Ecclesia sunt præscriptæ: "Multum quidem inter se conveniunt credendi et orandi oratio. Proinde in celebratissimis epistolæ S. Cœlestini ad Galliæ episcopos additionibus cap. xi. legitur: 'Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus . . . ut legem credendi lex statuat supplicandi.' Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia præscriptas esse adhibendas." Benedictus XIV. *Quemadmodum*, 23 Mart. 1743.

Similiter in genere de *cultu* publico et privato est dicendum. Quoad Litanias statuit Ecclesia nullas esse publice in Ecclesiis vel Oratoriis publicis recitandas præter eas quæ extant in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani ab Apostolica Sede approbatis; nec alias esse imprimendas, etiam ad usum privatum absque approbatione Ordinarii. Const. Leon. XIII. *Officiorum ac munerum*, n. 19; S.R.C. 28 Nov. 1895.

Imo prohibitio quominus publice aliæ præter supra dictas recitentur, complectitur quamlibet earum recitationem a pluribus conjunctim in Ecclesiis vel Oratoriis publicis factam, etiamsi minister Ecclesiæ qua talis non interveniat. S.R.C. 20 Jun. 1896.

I. Oratio est necessaria necessitate præcepti: "*Oportet semper orare, et nunquam deficere.*" Luc. xviii. 1. "*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*" Matt. xxvi. 41.

Et adultis est necessaria necessitate medii, quatenus ordinarie saltem ab eis salus obtineri nequit sine oratione: "Deum alia dare non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam." S. Aug. De bono persev. c. 16.

II. Frequenter est orandum; sed quoties urgeat hoc præceptum sub gravi vel sub levi non constat. Videtur omnino dicendum graviter peccare si quis per totum annum orare neglexerit; *per se* non peccatur si omittantur preces matutinæ et vespertinæ, quia nulla lex obligat ad orandum istis statis temporibus, raro tamen negligentibus aberit omnis negligentiæ vel acediæ culpa.

III. Qualitates orationis debitæ varie enumerantur; S. Thomas quatuor assignat: "Et ideo ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter." S. Thomas, II-II. q. 83, a. 15, ad 2.

Dicitur *pro se*, nempe ut oratio sit infallibilis, quia si pro alio oratur ille impedimentum effectui ponere potest, quod si non accidat satis probabile videtur Suarez, Toleto, Valentiæ, orationem pro aliis fore infallibilem.

Necessaria, imo utilia etiam temporalia quatenus expediunt ad salutem. S. Thomas, II-II. q. 83, a. 15, ad 2.

Sub *pietate* intelliguntur fides, spes, caritas et humilitas.

IV. Quamvis non detur præceptum alios præter Deum orandi, bonum tamen et utile est invocare

Beatissimam Virginem Mariam, Angelos, Sanctos, probabilius animas in purgatorio detentas, et privatim eos qui moraliter certo cum Deo esse censentur, ut sunt infantes baptizati. Imo juxta communem sententiam a veniali non excusaretur qui nunquam Beatissimam Virginem Mariam oraret.

V. Oratio potest, et ex caritate debet, fieri pro omnibus quibus proderit, vel pro quibus orare non est prohibitum. Hinc excluduntur tantum Beati, damnati, et a publicis orationibus excommunicati vitandi, non autem a privatis.

Articulus II.

DE ADORATIONE.

Alius religionis actus est adoratio, quæ est honor externo corporis gestu alteri exhibitus, quo testamur nostram submissionem et alterius excellentiam.

Est *politica* vel *religiosa* prout ob excellentiam civilem vel supernaturalem exhibetur.

Adoratio religiosa tres species complectitur: *Latriam*, *Duliam* et *Hyperduliam*. Latria est quæ Deo soli ob divinam ejus excellentiam exhibetur; dulia quæ exhibetur Angelis et Sanctis ob excellentiam creatam quæ ipsis inest; hyperdulia quæ Beatissimæ Virgini Mariæ exhibetur ob ejus creatam, sed singularem et omnibus aliis eminentem excellentiam.

Adoratio iterum est *absoluta* vel *respectiva* prout excellentia est intrinseca vel extrinseca.

Hic agitur præcipue de cultu præstando hominibus sanctis, reliquiis et imaginibus sacris.

Cultus alicui exhibitus fundatur in judicio speculativo de ejus excellentia, et in judicio practico honestum esse nos illi submittere propter ejus excellentiam et nostram ejus respectu inferioritatem.

I. Ad cultum privatum sufficit certitudo moralis privata de objecti dignitate.

Hinc licet privatim orare virum cum sanctitatis fama defunctum, ejusque reliquias privatim venerari.

II. Quidquid ad cultum publicum pertinet auctoritati Ecclesiæ subest quæ circa cultum Sanctis, imaginibus, reliquiis exhibendum diversa statuit.

III. Homines qui e vita excesserunt publice non sunt tamquam Sancti colendi, nisi post Canonizationem vel Beatificationem a Summo Pontifice. Imo Beatificatis illa tantum signa cultus publici sunt exhibenda quæ a Sancta Sede permittuntur; unde Bulla Beatificationis est consulenda. Ferraris, s.v. Cultus Sanctorum. Hinc Beatos non licet invocare in litaniis publicis, nec iis ecclesias vel altaria ordinarie erigere, eorum imagines sunt cum radiis pingendæ, imagines vero Sanctorum cum aureolis.

IV. Statuæ quidem et imagines eorum qui nec Canonizati nec Beatificati sunt honoris causa possunt collocari in ecclesiis, sine tamen ullo signo cultus religiosi; hinc tales imagines licet in parietibus et vitris sine aureolis vel radiis depingere, non tamen eas super altare ponere. S.R.C. 27 Aug. 1894.

V. Reliquias publico cultui exponere non licet

sine recognitione et approbatione auctoritatis competentis, quæ quoad reliquias nondum saltem Beatificatorum est solus Romanus Pontifex; quoad reliquias Sanctorum est etiam Episcopus loci. Ferraris s.v. Cultus Sanctorum.

VI. Miracula nova et revelationes non sunt narranda sine protestatione qua scriptor declaret se velle tantum fidem humanæ historiæ suis dictis conciliare. Craisson, Man. jur. can. n. 4888.

CAPUT II.

DE PECCATIS RELIGIONI OPPOSITIS.

Articulus I.

DE SUPERSTITIONE.

§ 1. *De modo superstitioso cultus vero Deo exhibendi.*

Superstitio est vitium oppositum religioni secundum excessum quia exhibet cultum divinum vel *cui* non debet, vel eo *modo* quo non debet. S. Thomas, II-II. q. 92, a. 1. Ex parte modi quo cultus vero Deo exhibetur peccari potest per cultum falsum vel per cultum superfluum.

I. Cultus autem falsus Deo exhibetur vel ex parte rei significatæ per cultum exteriorem, ut si Christianus observaret cerimonias Veteris legis quæ significabant Christum adhuc venturum; vel ex parte colentis, ut si quis nomine Ecclesiæ cultum exhiberet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum et in Ecclesia consuetum. S. Thomas, II-II. q. 93, a. 1.

II. Cultus superfluus est qui non est fini religionis proportionatus. Finis autem religionis est ut gloria detur Deo, ut homo Deo se secundum mentem et corpus subjiciat juxta Dei et Ecclesiæ ordinationem, et consuetudinem eorum quibuscum convivit, quæ pro lege est habenda. Cultus igitur qui huic fini non sit proportionatus est superfluus et superstitiosus. S. Thomas, II-II. q. 93, a. 2.

III. Peccata quæ per falsum cultum contra religionem committuntur sunt gravia, quia primæ veritati injuriam irrogant, et religionem in mendaciis fundant; quæ vero per cultum superfluum committuntur ordinarie sunt levia.

Resolves: Peccat graviter laicus qui tamquam publicum ministrum Ecclesiæ, sacrificando, absolvendo, se gerit; peccat etiam graviter qui falsa miracula falsasve reliquias fidelibus proponit. Peccat qui ex certo numero precum, vel ad certum tempus recitatarum se infallibiliter infernum evitaturum expectat; aut qui confidit certo se invulnerabilem redditum iri si numisma aliudve simile gerit; aliter tamen dicendum de eo qui ex precibus recitatis, ex gestione pii numismatis auxilium a Deo sperat, juxta usum Ecclesiæ. S. Alphonsus, III. 3, 4; Ballerini, VI. n. 53.

§ 2. *De Idololatria.*

Superstitio etiam habetur quando cultus divinus exhibetur cui non debetur, cujus tres species a Doctoribus distinguuntur, *Idololatria*, *Divinatio*, et *Vana Observantia*.

Idololatria est actio qua cultus soli Deo debitus creaturæ exhibetur.

Est *perfecta*, *imperfecta*, vel *simulata*.

Perfecta creaturæ defert honorem divinum falso judicans eam esse Deum.

Imperfecta idem facit non ignorans eam divinitate destitui, volens tamen eam colere tamquam deum.

Simulata idem facit ex metu mortis sine interno affectu. Vocatur hæc etiam *materialis*, et sicut aliæ species, est grave peccatum, quia est mendacium malitiosum et contra externam professionem fidei. S. Thomas, II-II. q. 94, a. 2.

§ 3. *De Divinatione.*

Divinatio est expressa vel tacita dæmonis invocatio ad cognoscendas res occultas.

Expressa habetur quando auxilium dæmonis expresse invocatur; *tacita* quando medium adhibetur ad res occultas cognoscendas quod nec naturaliter nec ex Dei ordinatione ad illud est proportionatum. Nam scientia rerum occultarum tantum acquiritur per revelationem Dei, vel per media naturalia, vel per dæmonem; unde eo ipso quod quis adhibet medium ad rem occultam cognoscendam quod nec naturaliter nec ex Dei ordinatione ad scientiam procurandam est aptum, tacite et implicite invocat dæmonis opem, qui istis rebus se immiscere solet. S. Thomas, II-II. q. 95, a. 2.

Variæ species distinguuntur juxta modos varios quibus scientia a dæmone exquiritur, quæ tamen moraliter non differunt nec sunt necessario in confessione explicandæ. 1. *Pythonismus*, cum dæmon alicujus viri vel feminæ corpus occupans et voces illinc emittens occulta patefacit. 2. *Vaticinium*, cum dæmon ad occulta significanda utitur opera pseudoprophetarum. 3. *Necromantia*, quando dæmon per mortuos vel per revocatos ad vitam respondet.

4. *Oraculum*, quum consultus dæmon, in simulacris delitescens, respondet. 5. *Præstigium*, cum dæmon ipse apparitionibus oculos perstringit. 6. *Oniromantia*, cum quis occulta patefacere præsumit ex somniis. 7. *Chiromantia*, quæ est divinatio ex manus inspectione. 8. *Physiognomia* ex lineamentis vultus. 9. *Aruspicium* ex visceribus animalium. 10. *Augurium* ex garritu avium. 11. *Auspicium* ex earum volatu, situ, pastu. 12. *Astrologia* ex astris. 13. *Geomantia*, *hydromantia*, *pyromantia*, *aeromantia* ex signis in terra, in aqua, in igne, in aere. 14. *Sortilegium* ex sortibus. 15. *Omen* ex casu fortuito. S. Alphonsus, III. n. 6; Bucceroni, I. n. 469.

I. Divinatio expressa est grave peccatum, quia vel exquirendo a dæmone quod Deo soli est cognitum quasi divinitatem illi tribuit, vel saltem ratione societatis et commercii quod cum infensissimo hoste Dei et nostro habetur. Expresse etiam prohibetur in Sacra Scriptura. 1. Cor. x. 20; Deut. xviii. 10.

Divinatio tacita aliquando excusari a mortali potest ratione simplicitatis, ignorantiæ, vel ob defectum fidei certæ. Bucceroni, I. n. 471.

Resolves: Mortaliter peccat qui consulit *medium*, ut vocatur, de rebus occultis; vel qui conatur serio res occultas cognoscere inspiciendo crystallum; et per se qui Ægyptios consulit de futuris contingentibus, quod tamen sæpe a mortali excusabitur, quia non serio fit.

II. A mortali non excusatur qui adhibens medium omnino improportionatum ad cognitionem procurandam protestatur se nullum velle dæmonis interventum, quia factis agit contra suam protesta-

tionem, cum non sit medium naturale ad cognitionem acquirendam, et Deus non se in talibus immisceat.

III. Somnia causari possunt causis naturalibus, a dæmone, a Deo. Quæ oriuntur ex causis naturalibus inducunt nos in cognitionem istarum causarum; unde ex talibus somniis possumus colligere dispositionem, occupationes, valetudinem somniantis; non tamen possumus nec licet ex eis futura contingentia colligere. Somniis diabolicis credere est grave peccatum, nisi simplicitas excusat. Somniis certo a Deo immissis credere tenemur, cum aliquando ita suam voluntatem manifestet. Ad discernendum autem utrum somnium sit a dæmone an a Deo, considerare juvat utrum impellat ad malum an ad bonum, utrum relinquat hominem perturbatum et minus ad opera pietatis promptum an secus. S. Alphonsus, III. n. 9.

IV. Sortes *divisoriæ* ad lites componendas, utraque parte consentiente, sunt licitæ; sortes *consultoriæ* de aliqua re agenda vel non plerumque sunt illicitæ ac continent tentationem Dei, periculoque fraudis diabolicæ exponuntur; ductum Ecclesiæ vel rationis in dubiis sequi debemus; sortes *divinatoriæ* quibus rei futuræ et occultæ cognitio quæritur sunt illicitæ et nominantur *sortilegium*. S. Alphonsus, III. 10.

V. Spiritismus hodiernus graviter est illicitus, continet enim pythonismum, necromantiam, præstigium rejuvenata; inquirere occulta ex tabulis rotantibus, *planchette* quod vocatur, virga divinatoria, est divinatio et illicita. Ista enim media ad occulta

detegenda evidenter non sunt apta naturaliter, nec Deus se talibus puerilibus immiscet, unde si quando per ea manifestentur occulta relinquitur ut dæmon per ea operetur.

Probabiliter autem sæpe motus virgæ divinatoriæ et tabulæ rotantis adscribi debet si non fraudi operantium, saltem imperceptis et inconsciis eorum motibus. Et sic aqua non ipsa virga divinatoria, sed experientia et usu investigatoris qui illa utitur detegi videtur. Dr. Surbled, La morale dans ses rapports avec La Médicine et L'Hygiène.

§ 4. *De Vana Observantia.*

Vana Observantia est qua quis media nec natura sua proportionata nec a Deo nec ab Ecclesia instituta adhibet ad certum effectum obtinendum.

Supponitur igitur media esse omnino improportionata et effectum respici tamquam certum; licet enim, ut patet, experimenta facere ut sciatur utrum finis aliquis medio quodam obtineri possit necne.

Vana Observantia in quatuor species distinguitur:—

1. *Ars notoria* est qua mediis ineptis scientiæ infusio quæritur.

2. *Observatio sanitatum* qua similiter mediis improportionatis sanitas quæritur.

3. *Observatio eventuum* qua ex futili eventu quis conjicit futurum et inde vitam dirigit. Ut si quis exiens pedem offendit, ac postea non vult pergere;

vel si quis non vult sedere ad mensam cum aliis duodecim; vel feria sexta proficisci, quia ista putantur infausta.

4. *Magia* quæ versatur circa mira ope dæmonis patranda.

I. Vana Observantia est grave peccatum propter easdem rationes ac divinatio, a qua nonnisi accidentaliter differt. Nam sicut divinatio quærit cognitionem rerum occultarum ope dæmonis tacite vel expresse invocati, ita vana observantia quærit eodem modo miros effectus.

II. Divinatio et vana observantia in omnibus suis speciebus, nisi contra justitiam accedat damnum proximi, non differunt specie morali.

III. Ubi adest tacita invocatio dæmonis vana observantia potest esse tantum veniale ratione ignorantiæ, inconsiderationis, vel dubiæ fidei.

IV. In dubio præsumendus est aliquis effectus provenire potius a causa naturali quam a superstitione; tunc autem consulitur ut præmittatur protestatio nolendi effectum si aliqua superstitio subsit. Si vero certo probabiliter constet rem nullam habere vim naturalem ad effectum producendum, in dubio censetur potius a dæmone quam a Deo provenire; nam si miracula a Deo fiunt sanctitas personæ et bonus effectus satis certo monstrant effectum a Deo productum. S. Alphonsus, III. n. 20.

De mesmerismo, magnetismo animali, seu hypnotismo ut nunc dicitur, nam eadem fere phenomena variis his nominibus appellantur, præcipue quæritur circa causam cui debeantur ista

phenomena omnibus nota, et utrum liceat hypnotismum exercere necne.

V. Quamvis multi theologi universim condemnant hypnotismum utpote diabolicum, melius cum aliis videtur distinguendum inter varia phenomena. Plura exsuperant vires naturales, et quatenus ex circumstantiis Deo attribui non possunt dæmoni sunt attribuenda. Inter talia sunt perspectio abditarum cogitationum aliorum, clara visio qua hypnotisati vident res, personas longe distantes, et narrant quæ ibidem fiunt, morbos etiam ægrorum distantium accurate et verbis technicis aliter medicinæ imperiti describunt, linguis antea ignotis loquuntur, et similia. S.O. 4 Aug. 1856.

Talibus tamquam spectaculis assistere est illicitum utpote cooperatio cum re intrinsece mala.

Alia phenomena sunt quæ potius corpus vel imaginationem afficiunt quam mentem, uti lethargia, catalepsia, hallucinationes, somnambulismus, cœca obedientia præstita magnetisatori. Multi theologi censent hæc et similia posse deberi viribus naturalibus, nam status pathologici certe naturales existunt his similes, et constat vim imaginativam esse valde miram. Saltem non evidenter transcendunt vires naturales et in dubio adscribenda sunt potius naturali causæ quam præternaturali.

VI. Non tamen licet ista phenomena producere nisi peritis, gravi de causa, et debitis cautelis servatis; nam aliter damna vel pericula valetudinis præsertim systemati nervoso sequuntur; nec licet libertatem abdicare et alterius potestati ita absolute se subjicere; nec sine gravi causa se usu rationis ad

tempus notabile privare; denique facile dæmon se talibus immiscet. Unde in aliquibus regionibus lex civilis statutis specialibus hæc regit. Génicot, I. n. 264.

VII. Peritis vero ex justa causa et debitis cautelis servatis non videtur posse confessarius exercitium hypnotismi prohibere. Præcedens doctrina confirmatur responso S.O. 26 Jul. 1899: "Quoad nova experimenta si agatur de factis quæ certo naturæ vires prætergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, præmissa protestatione nullam partem haberi velle in factis præternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali." Analecta, 1899, p. 340. Scilicet quærebat medicus quidam utrum partem habere posset in discussionibus Societatis cujusdam Medicalis circa experimenta vel jam facta vel adhuc facienda, in ordine ad sciendum utrum explicari possint phenomena suggestionis hypnoticæ juxta leges naturales necne.

Articulus II.

DE PECCATIS RELIGIONI OPPOSITIS SECUNDUM DEFECTUM.

§ 1. *De Tentatione Dei.*

Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis explorat num Deus sit potens, sapiens, vel aliam perfectionem habeat. S. Thomas, II-II. q. 97, a. 1.

Est vel *explicita* et *formalis* vel *implicita* et *interpretativa*.

Explicita habetur quando quis directe intendit

explorationem divinarum perfectionum; ut si quis petat miraculum quo monstretur veritas religionis catholicæ, vel se præcipitem det ut sciat utrum Deus sit misericors et ad se salvandum paratus.

Implicita quando quis aliquid dicit vel facit quod suapte natura referri videtur ad explorationem divinarum perfectionum; ut quando quis ægrotus negligit remedia naturalia a Deo sanitatem imprudenter expectans, vel concionaturus voluntarie et sine justa causa præparationem negligit sperans a Deo speciale auxilium.

I. Tentatio Dei est peccatum mortale ex genere suo, quia gravem irreverentiam continet erga Deum. Si explicita sit plerumque continet peccatum contra fidem, nec admittit parvitatem materiæ. Implicita admittit parvitatem materiæ, imo juxta Busembaum plerumque est tantum peccatum veniale ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem, vel parvitatem materiæ. S. Alphonsus, III. n. 29.

II. Ordalia ferri candentis, aquæ ferventis et similia quæ medio ævo in aliquibus locis vigebant sunt illicita, quatenus iis tentatur Deus. Aliqui Episcopi et concilia particularia antiquitus ea approbarunt, rejecta tamen fuerunt a Stephano V. et Nicolao I. tamquam "superstitiosa adinventio." *C. ii. q. 5, cc. 20, 21,* circ. an. 886.

§ 2. *De Sacrilegio.*

Sacrilegium tum lato tum stricto sensu sumitur. Lato sensu significat quodlibet peccatum contra virtutem religionis, ut blasphemiam, perjurium, violationem voti. Stricto sensu est violatio rei sacræ. Res vero sacra ea tantum proprie censetur "quæ publico ritu aut institutione ad Dei cultum deputata est, sicut docet jurisconsultus L. *In tantum*, et L. *Sacra*, Dig. de divisione rerum. . . . Suarez, de sacrilegio, c. 2, n. 1, ubi recte monet, non quolibet privato proposito aut voto rem aut personam sacram effici, sed necesse esse ut publicam ex jure consecrationem vel deputationem ad Dei cultum habeat." Laymann, lb. iv. tr. 10. c. 7, n. 2.

Ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum et sic ei quædam reverentia debetur, ait S. Thomas, II-II. q. 99, a. 1.

Non autem quæcumque res benedictæ sunt sacræ. Nam distinguitur benedictio *invocativa*, qua specialis Dei assistentia invocatur circa usum rerum benedictarum, a benedictione *constitutiva* seu *consecrativa*, qua res sacra efficitur.

Quæ benedicuntur invocative tantum possunt adhiberi ad omnes usus quibus adhiberi potuerunt ante benedictionem, et sic licet uti aqua et candelis benedictis ad honestos usus profanos. La Croix, VI. n. 227.

Sacrilegium est personale, locale, reale, prout persona, locus, res sacra violatur; quæ specie distinguuntur, non enim eadem est sanctitas personæ, loci, rei. S. Thomas, II-II. q. 99, a. 3.

Sacrilegium personale committitur tribus modis: 1. Agendo contra privilegium canonis; 2. Agendo contra privilegium fori; 3. Luxuriose violando personas Deo voto castitatis dicatas.

Personæ ab Ecclesia dedicatæ ad castitatem servandam in sacro ordine vel in congregatione religiosa, quæ habet vota perpetua, certo sunt sacræ, ac proinde earum peccata vel peccata cum ipsis patrata contra castitatem certo sunt sacrilegia. Peccata contra castitatem personæ voto simplici et privato castitatis ligatæ sunt sacrilegia lato sensu, quatenus contra virtutem religionis; utrum sint sacrilegia sensu stricto disputant Doctores; sententia negativa magis congruit cum supra dictis, affirmativa tamen est probabilis, ac proinde in confessione sufficit votum castitatis violatum declarare quin explicetur utrum sit sollemne an simplex, emissum in ordine religioso an privatum. Ballerini, VI. n. 134; S. Alphonsus, III. n. 47.

Sacrilegium locale committitur: 1. Actionibus profanis exercendis quæ natura sua vel ex juris præscripto loci sanctitati vel immunitati adversantur; tales actiones sunt publici mercatus, publica convivia, stabulationes animalium in ecclesia; 2. Peccatis quibus ecclesia polluitur; scilicet injuriosa et notoria sanguinis humani effusione, illicita et notoria seminis humani effusione, culpabili et notorio homicidio, sepultura excommunicati non tolerati aut infidelis non baptizati in ecclesia; 3. Peccatis omnibus quæ fiunt contra immunitatem asyli, quæ tamen vix est practici momenti in hac regione, quia immunitas asyli non agnoscitur a civili potestate ac

proin officiales *coguntur* agere contra immunitatem, et excusantur. Génicot, II. n. 598.

Sacrilegium reale committitur: 1. Indigne tractando res sacras, sacramenta, imagines, S. Scripturam ut si quis eam citet ad hæreses stabiliendas vel ad facetias turpes; 2. Res sacras injuste usurpando; 3. Per simoniam, de qua in sequenti paragrapho.

I. Sacrilegium sive personale, sive locale, sive reale est peccatum grave ex genere suo, admittit vero parvitatem materiæ. S. Alphonsus, III. n. 33.

II. Utrum tres ipsius species sint infimæ an subalternæ disputant Doctores; S. Thomas affirmat esse infimas dicendo: "Possibile est aliqua duo peccata differre specie secundum materiales actus, convenire autem in specie secundum unam rationem formalem sacrilegii; puta si quis sanctimonialem violaverit verberando vel concumbendo." S. Thomas, II-II. q. 99, a. 3, ad 2.

Quidquid sit, ordinarie actus in specie quo sacrilegium committitur est in confessione declarandus ratione alterius virtutis violatæ, ut percussio clerici ratione justitiæ, et luxuria commissa cum clericis in sacris ratione castitatis violatæ. S. Alphonsus, III. n. 48.

III. Non videtur dubium quin votum castitatis actus etiam internos comprehendat, hinc peccata mere interna ab eo qui per ordinem sacrum vel qui per professionem religiosam Deo consecratur ad castitatem servandam commissa contra castitatem sunt sacrilegia. Lehmkuhl, I. n. 385.

IV. Locale sacrilegium committitur peccatis

quæ specialiter repugnent reverentiæ loco sacro debitæ, qualia ex communi sententia non sunt peccata mere interna. Peccata luxuriæ externa et consummata et in ecclesia commissa sacrilega certe sunt si notoria, et ex rationibus intrinsecis omnia peccata luxuriæ externa et gravia quamvis occulta, quatenus graviter contra reverentiam loco sacro debitam debent censeri sacrilegia, quod tamen aliqui negant, nec fortasse improbabiliter saltem extrinsece. S. Alphonsus, III. nn. 458—462.

Resolves: Desiderium habitum in ecclesia fornicandi extra illam non est sacrilegium, secus tamen dicendum de desiderio ubicumque habito fornicandi in ecclesia. Certitudo de gravitate sacrilegii peccatorum luxuriæ in loco sacro commissorum adest tantum quoad peccata luxuriæ consummata et notoria.

V. "Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro." *C. Quisquis 21, Caus. 17, q. 4.*

Juxta Lugo aliosque illa verba—Non sacrum de sacro—sunt intelligenda sensu formali ita ut significent non quamcumque ablationem non sacri de sacro esse sacrilegium, sed ad sacrilegium constituendum oportere ut non sacrum pertineat aliquomodo ad locum sacrum, vel saltem loci sacri custodiæ sit commissum; furari enim non sacrum mere materialiter in loco sacro dicunt non esse sacrilegium. Quæ sententia, juxta S. Alphonsum, recte probabilis dicitur. S. Alphonsus, III. n. 39.

Resolves: Duplex sacrilegium committit qui furatur calicem consecratum ex ecclesia; sacrilegium

reale non vero locale committit qui furatur eumdem ex cubiculo sacerdotis vel ex sacristia; non committit sacrilegium probabiliter qui alicujus crumenam in ecclesia furatur.

VI. Læsio bonorum ecclesiasticorum est sacrilegium. S. Thomas, II-II. q. 99, a. 3. Bona vero ecclesiastica sunt quæ pertinent ad aliquam ecclesiam, monasterium vel locum pium ecclesiastica auctoritate erectum, non ea quæ clerici possident nomine suo. Legata ecclesiæ nondum tradita detinere non est sacrilegium, nam ante traditionem non sunt bona ecclesiastica. S. Alphonsus, III. n. 42.

VII. Vasa sacra omnino mutata ita ut ad communem materiam redeant adhiberi possunt ad usus profanos; melius videtur dicendum vestes sacras etiam detritas non esse ad usus profanos adhibendas, sed ex iis alias minores esse faciendas vel esse comburendas. S. Alphonsus, III. n. 41.

VIII. Vasa sacra et alia quæ tangunt Sanctissimam Eucharistiam tangere non licet nisi clericis et privilegiatis, quales sunt sacristæ laici religiosi. Id tamen facere sine contemptu non videtur excedere veniale, et cum causa adest nec est veniale. Prima lotio corporalium, pallarum, et purificatoriorum fieri debet a persona sacra sub veniali. Quæ si valde immunda ad usum altaris adhibeantur sacrilegium committitur. S. Alphonsus, III. n. 48; Ballerini, X. n. 341.

§ 3. *De Simonia.*

Simonia est species sacrilegii quæ utpote majoris momenti separatim tractatur. Nomen desumit ex Simone Mago qui voluit potestatem Spiritum Sanctum dandi emere pecunia. Act. viii. 18.

Simonia definitur studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.

Studiosa significat animum alterum obligandi etiamsi nullum pactum interveniat, ut si quis munera dat Episcopo mente simoniaca obligandi eum ad quid spirituale donatori reddendum, non enim esset simonia expectare aliquid ex gratitudine reddendum.

Emendi et vendendi significat quemlibet contractum onerosum, sive voluntatem obligandi alterum ad spirituale dandum pro temporali et vicissim; malitia enim simoniæ est in æquiparatione formali vel virtuali spiritualis cum temporali.

Pretio temporali—quod est triplex *munus a manu*, hoc est, pecunia vel aliquid æquivalens; *munus a lingua*, seu laus, patrocinium; *munus ab obsequio*, seu famulatus.

Spirituale quod nempe pertinet ad salutem animæ, ut gratia, sacramenta, sacramentalia, dispensatio a voto vel impedimento vel lege, absolutio a censuris.

Spirituali adnexum. Potest temporale esse adnexum spirituali tripliciter: 1. *Antecedenter*, ut ipsum argentum vel aurum calicis consecrati, ipsum materiale ædificium ecclesiæ consecratæ, fundus cui

adnectitur jus patronatus, vestes quæ consecrantur; temporale ita antecedenter spirituali adnexum potest vendi dummodo pretium majus non exigatur ratione consecrationis, et dummodo lex positiva non obstet.

2. *Consequenter* cui spirituale supponitur, et a quo dependet, ut redditus beneficii, decimæ, jus vivendi ex bonis monasterii. Hoc vendere est simonia nam accessorium sequitur naturam principalis.

3. *Concomitanter*, quod iterum est vel intrinsece vel extrinsece; illud non potest separari a spirituali, ut labor in Missa celebranda, nec potest vendi, nam res spiritualis venderetur; hoc potest separari, ut labor extraordinarius in Missa cantata, nec illicitum est pro hoc pretium vel stipendium accipere.

Variæ sunt divisiones simoniæ: 1. Ratione pacti in *mentalem*, *conventionalem*, *realem*.

Mentalis est quando nullum pactum externum intervenit. Conventionalis quando pactum intercedit absque executione; et quidem *pure* conventionalis dicitur quando hoc pactum ex neutra parte sit impletum, *mixta* si ex una parte sit impletum.

Realis quando ex utraque parte factum impletur.

2. Ratione materiæ in *confidentialem* et *communem*. Confidentialis est circa beneficia ecclesiastica et consistit in eo quod qui utcumque alteri beneficium dat, circa ejus fructus vel circa ipsum beneficium aliquid sibi reservat; ex lege enim ecclesiastica sunt danda sine ullo tali pacto.

Beneficium vero est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter officium spirituale auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum.

Apud nos pauca sunt beneficia, nam missio non videtur esse beneficium, deest enim perpetuitas requisita, desunt plerumque bona fundata, deest præsertim erectio in beneficium auctoritate Ecclesiæ facta. v. Collectionem Conc. West. p. 203; Pützer, Comment. in Fac. Apost. n. 113.

Hinc apud nos rari erunt casus simoniæ confidentialis; circa autem missiones potest dari simonia *communis* quæ versatur circa aliam materiam præter beneficiariam.

3. Ratione juris prohibentis est simonia juris *divini* et juris *ecclesiastici*. Hæc committitur quando contra præceptum ecclesiæ res spiritualis pro re spirituali datur, ut in permutatione beneficiorum propria auctoritate facta, vel quando cum specie simoniæ res temporalis pro temporali datur, ut si oleum benedictum, chrisma, cruces, rosaria benedicta vendantur; cruces vero, statuæ, rosaria cum applicatione indulgentiarum benedicta illas amittunt si vendantur. S.C. Ind. 12 Jul. 1847.

I. Simonia est gravissimum peccatum, quæ si juris sit divini non admittit parvitatem materiæ, secus si sit juris tantum ecclesiastici.

Ratio vero gravitatis hujus peccati est, quia per simoniam æquiparatur res spiritualis cum temporali, magna cum injuria prioris, quæ injuria in ipsum Deum redundat.

Simonia tamen juris ecclesiastici est mala quia prohibita, transgressio autem legis positivæ admittit parvitatem materiæ.

II. Licet accipere stipendium sustentationis ob functiones sacras et sacramentorum administra-

tionem juxta consuetudines ecclesiæ et taxam diœcesanam; " ita tamen quod desit intentio emptionis vel venditionis, et quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda; hoc enim haberet quamdam venditionis speciem.

Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ et consuetæ oblationes et quicumque alii proventus exigi a nolentibus et valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente." S. Thomas, II-II. q. 100, a. 3; Conc. West. II. d. viii. n. 16; Conc. Scotiæ Plen. I. d. 26.

III. Qui plus æquo exigit pro stipendio Missæ vel juribus stolæ peccat contra obedientiam et justitiam, non vero simoniam committit, nisi mente simoniaca agat.

IV. Pœna excommunicationis latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ infligitur in *Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices;* nulla quoque est electio, præsentatio, canonica institutio, ita ut simoniace promotus nequeat fructus beneficii facere suos; perpetuo etiam est inhabilis ad idem beneficium, et post sententiam saltem declaratoriam etiam ad alia beneficia obtinenda. Marc. I. n. 591.

Eadem pœna excommunicationis statuitur contra *Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet cujuscumque sint dignitatis;* et contra *Reos simoniæ realis ob ingressum in Religionem.* Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis.*

V. Beneficium ecclesiasticum simoniace acceptum, etiam ante sententiam judicis est dimittendum, et fructus injuste accepti sunt restituendi ecclesiæ,

vel pauperibus, vel successori; alia vero spiritualia vel non possunt restitui ut sacramenta, vel si possunt, ut sacræ reliquiæ, ea restituendi nulla est obligatio, cum nulla lege id caveatur. Pretium temporale simoniace acceptum est restituendum si læsa fuerit justitia commutativa, secus non. Génicot, I. n. 280.

Sectio II.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

DE VANA NOMINIS DEI USURPATIONE.

Secundum decalogi præceptum est—*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Exod. xx. 7.

Quatenus est negativum prohibet vanam nominis Dei usurpationem, blasphemiam, juramentum sine debitis qualitatibus, voti violationem; quatenus est positivum præscribit reverentem nominis Dei usurpationem; idem cum proportione dic de Sanctissimo Nomine Jesu, et Sanctorum.

Vana usurpatio intelligitur usurpatio sine justa causa, vel sine debita reverentia, ut ex impatientia, per modum exclamationis, superflue; *Good God! By God! God damn!*

Est peccatum per se veniale, quia usurpatio divini nominis vana, si sine contemptu, non lædit graviter reverentiam Deo debitam, imo sæpe ob inadvertentiam omni culpa caret. Sabetti, n. 220.

CAPUT II.

DE BLASPHEMIA.

Blasphemia est locutio maledictionis seu contumeliosa in Deum.

Locutio autem hic comprehendit quidquid verbo, facto, vel etiam cogitatione exprimit contumeliam, opprobrium, irrisionem, imprecationem in Deum.

Blasphemia est *directa* vel *indirecta*, prout intenditur Dei inhonoratio, vel hæc tantum prævidetur, ut in joco probroso.

Immediata vel *mediata* prout immediate afficit Deum, vel mediate, quando immediate afficit creaturam aliquam in qua relucet aliqua divina perfectio.

Hæreticalis, *imprecativa*, mere *probrosa*, prout hæresim, imprecationem, vel mere contemptum Dei continet.

I. Omnis blasphemia est peccatum mortale ex toto genere suo, nam contra caritatem Dei et ipsi maxime injuriosa est. S. Thomas, II-II. q. 13, aa. 2, 3.

Resolves: Graviter peccat qui deliberate queritur Deum esse injustum cum impios in hoc mundo fortunatos esse permittat; qui deliberate dicit—Deus te damnet; Hoc faciam velit nolit Deus; Beatissimam Matrem Dei non esse Virginem. Blasphemia tamen, sicut alia peccata, potest esse venialis ob actus imperfectionem.

II. Utrum blasphemia in Deum et in Sanctos specie differat, inter Doctores controvertitur, et utraque sententia est probabilis; hinc in confessione non est necessarium explicare utrum contra Deum an contra Sanctos blasphemia proferretur. S. Alphonsus, III. n. 132.

III. Blasphemia est maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v.g., Dei tempestati, animæ nostræ; si creatura non spectatur cum relatione ad Deum erit veniale, nec est blasphemia.

Resolves: Maledicere creaturis irrationalibus, ut jumentis, ex ira, ordinarie levis est culpa; rudes cum blasphemia sæpe confundunt tales maledictiones animalium, et alias locutiones, minus quidem decentes, at non graviter peccaminosas.

CAPUT III.

DE JURAMENTO.

Juramentum est invocatio expressa vel tacita Nominis Divini in testem veritatis.

Expressa invocatio habetur si Deus nominatur, ut si quis dicat—Per Deum juro; *tacita* si aliqua creatura appellatur in qua elucet aliquod divinum attributum, vel quæ specialem relationem cum Deo habet, ut si dicatur,—Juro per Evangelium, per fidem catholicam, per cœlum, per terram.

Juramentum est *assertorium* vel *promissorium* prout invocatur Deus in testem veritatis præteritæ aut præsentis; vel inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum.

Solemne vel *simplex* prout fit forma jure requisita, vel aliter.

In curiis nostris civilibus testes jurant tangendo et osculando Bibliam, possunt tamen omnes jurare forma scotica manum dextram elevando. Stephen, Commentaries, III. p. 574.

Invocatorium vel *imprecatorium* prout Deus tantum in testem veritatis invocatur, vel etiam in vindicem perjurii.

I. Ut validum sit juramentum in foro interno et externo requiritur intentio jurandi et apta formula; in foro interno sufficit intentio etiamsi formula non sit apta; in foro externo censetur juramentum validum si forma sit apta.

Resolves: *I swear it is so*, non est juramentum nisi ex circumstantiis sensus determinatur, ut si quis juramentum petierat; *I swear by God it is so*, est juramentum. Nec est juramentum dicere, Per conscientiam, Per fidem, Deus novit, Deus est Veritas, Tam verum est quam hic sedeo. S. Alphonsus, III. n. 134.

II. Juramentum cum debitis conditionibus est licitum. Etenim; 1. Est actus religionis, quatenus ex causa et reverenter invocatur Deus tamquam infallibilis veritas, et habens universalem omnium cognitionem et provisionem. S. Thomas, II-II. q. 89, a. 2.

2. Ex doctrina Ecclesiæ, ut patet ex Prop. 43 damnata in Concilio Constantiensi; ex Prop. 101 Quesnelli, damnata a Clemente XI.; ex Prop. 75 Synodi Pistoriensis, damnata a Pio VI. Verba Christi Domini, Matt. v. 34; "*Ego autem dico vobis, non jurare omnino: sit autem sermo vester est, est, non, non*," intelligenda videntur ita ut non sit jurandum sine necessitate et debitis conditionibus. Dominus Noster quidem optavit ut nulla necessitas jurandi adesset, ut Christiani ita essent veraces ut omnes eis sine juramento crederent. Constat autem ex aliis S. Scripturæ locis juramentum debitis conditionibus vestitum esse licitum, et S. Paulus in suis epistolis sæpe jurat: Rom. i. 9; 2 Cor. i. 23; Phil. i. 8; 1 Thes. ii. 5, 10.

III. Conditiones requisitæ ad licite jurandum exprimuntur in textu Jer. iv. 2: "*Jurabis: vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*"

Veritas igitur requiritur, seu moralis certitudo de

veritate seu conformitate assertionis vel promissionis cum re. Jurare sine veritate semper est mortale ex toto genere suo, est peccatum perjurii.

Judicium significat justam causam et debitam reverentiam. Justa causa est quæcumque causa honesta alicujus ponderis. Defectus judicii est veniale per se, quia per se tantum est vana usurpatio divini nominis.

Justitia significat quamlibet honestatem; scilicet, est injuria erga Deum invocare Eum in testem alicujus peccati committendi vel commissi, ut si quis aliquem calumniatur, et deinde jurat se verum asserere, vel se cum juramento jactat de adulterio commisso.

In juramento assertorio injusto si juramentum promovet finem graviter malum, v.g., detractionem, ipsum juramentum est graviter malum, secus probabiliter veniale tantum, quia per se cadit in veritatem assertionis, v.g., fornicationis commissæ. In juramento promissorio si peccatum promissum sit grave, iterum ipsum juramentum est grave, quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare; secus est veniale saltem probabiliter. Ballerini, VI. sect. 2, n. 37, seqq.

IV. Non licet jurare cum restrictione pure mentali; esset enim perjurium, cum restrictio pure mentalis sit mendacium. Licet tamen ex justa causa jurare cum restrictione late mentali, quia omnes conditiones quæ ad jurandum requiruntur adsunt, nisi hoc fiat in judicio et in contractibus quando nuda veritas est dicenda ex obedientia et ex justitia. Si justa causa desit, erit juramentum

cum restrictione late mentali probabilius tantum veniale, sicut dictum est de juramento sine judicio. S. Alphonsus, III. n. 151; Prop. 26, 27, 28, damn. ab Inn. XI.

Restrictio autem mentalis est actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis. Est *pure mentalis* si sensus loquentis percipi nullo modo possit; *late mentalis* si sensus propositionis ex adjunctis possit colligi.

V. Juramentum promissorium, præter obligationem justitiæ vel fidelitatis quæ ex nuda promissione oritur, inducit etiam obligationem ex religione faciendi ut eventus cum promissione concordet. Si quis non servet promissorium juramentum peccabit graviter in gravi materia ut omnes fatentur; utrum sit grave peccatum in levi materia disputant Doctores, et probabilis est utriusque partis sententia. Ratio autem sententiæ affirmantis quam amplectimur, dari nempe parvitatem materiæ, est quia in violatione juramenti promissorii non videtur esse mendacium et perjurium, sed infidelitas et irreverentia erga Deum testem, quæ admittunt parvitatem materiæ.

* Resolves: Venialiter peccat qui juramentum de secreto servando, de vino non bibendo, de statutis servandis violat in materia levi. S. Alphonsus, III. n. 173.

VI. Obligatio juramenti promissorii stricte est interpretanda, et juxta naturam actus vel contractus cui adjicitur, ita ut omnes ejus conditiones sequatur, accessorium enim sequitur principale.

Unde qui promisit cum juramento nuptias puellæ diviti, sanæ, virgini, integræ famæ, non tenetur stare juramento si puella incidat in paupertatem, infirmitatem, fornicationem, vel infamiam, quia promissio ipsa tunc non obligat. Præterea obligatio juramenti interpretanda est juxta conditiones in eo inclusas seu subintellectas, ut, si res non fuerit notabiliter mutata, si voluntas superioris non obstet, si alter fidem reciprocam servet, nisi alter jure suo cedat. S. Alphonsus, III. n. 180.

VII. Juramentum in favorem tertii semper ac impleri potest sine peccato implendum est, juxta sententiam probabiliorem, cui favent plura capita juris canonici.

Juxta hanc sententiam si quis metu coactus jurasset dare summam pecuniæ tamquam lutrum latroni, teneretur postea solvere nisi dispensationem obtineret, posset tamen solutam pecuniam repetere, vel sibi occulte compensare.

Attamen alia sententia haud improbabilis restringit hanc obligationem casui quo tertius aliquis jus acquisitum habet, ut si quis juraverit servire alicui ecclesiæ nec religionem ingredi; quoad alios casus hæc sententia explicat capita juris ut œconomica, positiva, ac lata ne reverentia juramenti periret. Ballerini, VI. sect. 2, n. 79; S. Alphonsus, III. n. 177.

VIII. Non obligat juramentum ad aliquid malum, vanum, aut inutile faciendum; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum, ac otiosarum, ad quas non vult Deus nos obligare. S. Alphonsus, III. n. 176.

IX. Obligatio juramenti cessare potest vel ab intrinseco vel ab extrinseco, eisdem fere modis ac votum cessat, quocum juramentum in pluribus congruit.

Ab intrinseco cessat: 1. Per mutationem materiæ qua res jurata fit illicita, vana, inutilis, impeditiva majoris boni. 2. Per cessationem causæ finalis. 3. Si ita ferant conditiones subintellectæ in quovis juramento promissorio, ut, si potero, si superiores permittant.

Ab extrinseco cessat per irritationem, dispensationem, commutationem, remissionem. Amplior hujus materiæ explicatio dabitur ubi de voti cessatione. S. Alphonsus, III. n. 189, seqq.

CAPUT IV.

DE VOTO.

Articulus I.

DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS.

Votum est promissio deliberata Deo facta de bono possibili et meliori.

Dicitur *promissio*, quæ obligationem strictam inducit ex fidelitate et religione ; unde differt a proposito, quod est voluntas deliberata aliquid agendi, quin tamen obligatio suscipiatur.

Deliberata, voluntas et deliberatio perfecta requiritur et directa, unde votum emissum in ebrietate quamvis voluntarium in causa esset irritum ; sufficit tamen voluntas virtualis et implicita qualis habetur ab eo qui sacrum ordinem suscipit, sciens votum castitatis illi esse adnexum, quamvis vovere non intendit actualiter.

Deo facta, quia vovere est actus latriæ, unde nequit quis creaturæ ulli vovere.

Possibili, quia ad impossibile non datur obligatio.

Meliori, hoc est, opus debet esse melius quam oppositum, ejus positio melius quam ejusdem omissio, saltem in circumstantiis datis ; unde ordinarie votum matrimonium ineundi non esset validum, nisi in circumstantiis particularibus esset melius inire matrimonium quam non.

Votum est *absolutum* vel *conditionatum:* prout sine conditione vel cum aliqua conditione emittitur.

Personale vel *reale,* prout actio personalis vel res promittitur.

Temporaneum vel *perpetuum,* prout ad tempus, vel ad vitam est duraturum.

Solemne vel *simplex,* prout ab Ecclesia ut solemne accipitur vel non.

I. Error circa substantiam rei votæ, vel circa circumstantias quales rem notabiliter mutant, ac eam faciunt aliam ac intendebatur a vovente, votum irritat: ratio est, quia deest liber consensus qui non fertur in incognitum.

Unde qui vovit calicem quem putabat argenteum cum sit aureus, voto non obligatur, nec qui vovit ingredi quoddam monasterium quod putabat Benedictinum cum sit Carthusianum.

II. Error circa causam impulsivam, vel circa causas accidentales, non irritat votum, quia actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam.

Attamen juxta S. Alphonsum probabilis est sententia quam enuntiat S. Thomas, in IV. dist. 38, q. 1, a. 3, q. 1, ad 1: "Id liberare a voti vel juramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret." S. Alphonsus, III. n. 226.

Sed certe excipiuntur vota religionis quæ se accommodant statui permanenti, ac proinde magis sunt firma, nec invalidantur nisi per errorem substantialem. Lugo, De Just. et Jure, XXII. n. 88.

III. Votum emissum ex metu intrinseco, vel juste ab extrinseco incusso est validum, quia est voluntarium et nulli injuria fit.

Votum emissum ex metu gravi et injuste incusso in ordine ad votum extorquendum valde probabiliter irritum est ex jure naturali, quia Deus non censetur acceptare quod per injuriam fuit extortum.

Certe votum solemne religionis ita ex metu gravi et injuste incusso est invalidum ex jure ecclesiastico; quod valde probabiliter valet etiam de aliis votis.

Imo probabiliter juxta plures et graves doctores votum emissum ex levi metu injuste incusso in ordine ad votum extorquendum est de jure naturæ invalidum, quia per injuriam est extortum, nec proinde a Deo acceptatur. S. Alphonsus, III. n. 197.

Resolves: Votum factum *in* metu, nisi aufertur usus rationis, est validum, utpote voluntarium et deliberatum; unde votum factum in periculo naufragii est validum.

IV. Votum de re impossibili facienda est irritum, quia ad impossibile non datur obligatio. Si vero res sit divisibilis et dividi solet, et ita pars fiat possibilis, vovens ad partem tenetur, nisi ista pars spectabatur ut dependens et accessoria alterius partis quæ est impossibilis.

Resolves: Non valet votum ad omnia prorsus peccata evitanda, cum hoc sine speciali privilegio sit impossibile. Qui vovit jejunium per hebdomadam, quod tamen invenit impossibile, debet facere quod potest. Qui vovit Romam peregrinari, et oblationem ibi facere, si istud fiat impossibile ad nihil tenetur. S. Alphonsus, III. nn. 202, 225.

Articulus II.

DE OBLIGATIONE VOTI.

I. Votum obligationem in conscientia inducit, ut patet ex eo quod sit promissio, id est, contractus; et ex variis locis S. Scripturæ: "*Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris redde.*" Eccle. v. 3; S. Thomas, II-II. q. 88, a. 3.

II. Gravitas obligationis pendet ex intentione voventis, et ex materia voti, quia est quasi lex privata quam sibi vovens imponit. Hinc si expresse velit, potest se sub levi tantum obligare etiam in gravi materia, exceptis votis emissis in ordine sacro suscipiendo et in religione, quæ ex voluntate Ecclesiæ sub gravi obligant, et aliter facta essent irrita. Si nihil expresse determinat vovens, censetur se materiæ accommodare.

Illa autem materia censetur gravis quæ sub gravi ab Ecclesia præcepta obligat, ut jejunium, Missa; vel quæ notabiliter ad cultum Dei confert. Bucceroni, I. n. 587.

III. Nemo obligari potest alieno voto *vi voti:* quia promissio utpote contractus non obligat nisi promittentes. Vota tamen realia quatenus rem afficiunt, sunt ab hærede solvenda; et vota communitatis sunt solvenda a posteris ex obedientia et ex virtute religionis cujus intuitu obligatio imponebatur. Ballerini, VI. sect. 2, n. 51.

Ita Romani jejunant vigilia Purificationis B.V.M. vi voti facti anno 1703 in gratiarum actionem ob

salutem a terræmotu. Civiltà Cattolica, 18 Feb. 1899, p. 487.

Resolves: Vota parentum qui filios devovent obligationi alicui non obligant filios, sed ipsi parentes obligantur, quantum in ipsis est, ad filios movendos, salva eorum libertate, ad id amplectendum quod pro illis voverunt.

IV. Vota sunt opportune implenda, dicitur enim —"*Cum votum voveris . . . non tardaberis reddere.*" Deut. 23, 21. Unde si tempus impletionis fuerit determinatum ad obligationem finiendam, lapsus istius temporis erit dilatio gravis, lethaliter peccaminosa, nec votum amplius obligat. Si tempus non fuit determinatum, impleri debet votum quando commode potest; attamen, ut reatus dilationis dimetiatur, est considerandum utrum dilatio minuat materiam promissam necne; in priori casu dilatio notabilis est gravis, in posteriori probabiliter juxta aliquos nulla dilatio quæ non adducit votum in periculum videtur gravis; leve peccatum esse potest; verius tamen putat S. Alphonsus dilationem notabilem, nempe ultra duos vel tres annos, esse grave peccatum. S. Alphonsus, III. n. 221.

Resolves: Qui vovit tali vigilia jejunare, post diem elapsum voto non tenetur, sed peccavit graviter, si culpabiliter illud implere omisit. Qui vovit ingredi religionem et est aptus et nulla causa differendi adest, graviter peccat si intra tres quatuorve annos illud non implet. Qui vovit summam pecuniæ pauperibus in genere dandam probabiliter non peccat graviter etiamsi per legatum in testamento illam solvit.

V. Qui vovit eleemosynam aliudve sine determinata quantitate, satisfacit si dat quidquid voluerit, dummodo non sit ita parva quantitas ut votum illudere videatur; quia non censetur se obligasse ad plus quam commode potest et est decens. S. Alphonsus, III. n. 222.

VI. Qui votum violat peccat contra religionem, est enim violatio fidelitatis Deo debitæ; et si materia sit aliunde præcepta, v.g., castitas, peccat etiam, ut patet, contra istam virtutem.

Articulus III.

DE VOTI CESSATIONE.

Votum cessare potest tum ab intrinseco tum ab extrinseco. Ab intrinseco cessat si materia ita mutetur ut non amplius sit objectum quod intendebatur, ut si materia antea honesta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva majoris boni, vel si fiat impossibilis, vel si conditio a qua pendebat desiit, vel si cessat causa finalis, vel tandem, quoad vota privata, si talis mutatio accidat quam si prævidisset, homo non vovisset. S. Alphonsus, III. nn. 225, 226.

Ab extrinseco autem cessat votum per irritationem, per dispensationem, et per commutationem. Pauca sunt de singulis dicenda.

§ 1. *De Irritatione Voti.*

Irritatio voti est vel *directa* vel *indirecta*. Directa est annullatio voti facta ab eo cui subest voluntas

voventis; indirecta est suspensio voti facta ab eo cui subest materia voti.

I. Potestas directe irritandi provenit ex eo quod voluntas voventis sit sub potestate dominativa alterius, ita ut nihil firmiter velle possit altero contradicente. "Quicumque autem est subjectus alicui, quantum ad id in quo est subjectus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non potest se per votum firmiter obligare in his in quibus alteri subjicitur sine consensu sui superioris." S. Thomas, II-II. q. 88, a. 8.

II. Quando materia voti subest juri alterius, cum votum non debeat juri alterius præjudicare, hic votum suspendere potest.

III. Superior valide irritat vota subditi sine causa, licite cum causa etiam levi. Non tamen sub hac regula veniunt vota essentialia religionis: "Nam nulla lex aut res præbet facultatem ad sui destructionem, nec professio religiosa, e qua surgit capacitas irritationis, ipsa potest esse materia irritationis." Ballerini, VI. sect. 2, n. 102.

Resolves: 1. Papa juxta communem sententiam est supremus Prælatus omnium ordinum religiosorum, ac proinde potestate dominativa gaudet in omnes religiosos, eorumque vota directe irritare potest. Habet etiam potestatem jurisdictionis vi cujus dispensat nomine Dei in votis omnibus etiam tribus essentialibus religionis. Videtur Summum Pontificem posse irritare votum transeundi ad ordinem arctiorem, quamvis hoc votum eximatur a potestate aliorum superiorum. Ballerini, VI. sect. 2, n. 110.

2. Pater, et probabiliter mater, non contradicente patre, possunt directe irritare omnia vota filiorum impuberum, quia naturaliter voluntas filiorum parentibus subjicitur; ad quam ætatem talis potestas se extendat lex naturalis non definit, definivit tamen lex ecclesiastica ad quam hæc materia pertinet. *C. 14, C. 32, q. 2;* Ballerini, VI. sect. 2, n. 98. Vota puberum adhuc sub potestate patris irritare valent parentes indirecte, quatenus præjudicant administrationi domesticæ.

3. Maritus probabilius potest omnia vota emissa ab uxore durante conjugio directe irritare; emissa ante conjugium tantum indirecte; uxor indirecte tantum irritat mariti vota: proinde possunt conjuges sibi invicem vota irritare.

§ 2. *De Voti Dispensatione.*

Dispensatio voti est ejus remissio facta Dei ipsius nomine ob justam causam ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo.

Dicitur *remissio*, nam is cui facta est promissio potest eam condonare, remittere, sicut etiam potest qui eum repræsentat.

Dei nomine, hinc qui dispensat in votis auctoritate a Deo data utitur.

Adesse in Ecclesia talem potestatem agendi nomine Dei colligitur ex Matt. xviii. 18: "*Quodcumque solveritis;*" et ex eo quod Summus Pontifex sæpissime est usus ista potestate, quod vergeret in ruinam animarum contra prærogativum Petri nisi potestas in votis dispensandi vere ipsi competeret.

Justam causam, hinc sine hac invalide agitur.

Foro externo; distinguitur jurisdictio fori interni et fori externi; illa est quæ primario et directe refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem. Exercetur per sacramenta, per sacramentalia, per reprehensiones, privatas instructiones et similia. Jurisdictio fori externi primario et directe publicam corporis fidelium utilitatem respicit; per hanc finis imponitur controversiis de fide et moribus, leges edictaque conduntur, pœnis rei criminum coercentur. Bouix, De Principiis, p. 524.

Jurisdictio autem est vel *ordinaria*, quæ vi officii ex juris dispositione nomine proprio alicui competit; vel *delegata*, quæ vi commissionis specialis, sive a jure sive ab homine factæ, nomine alieno exercetur. Werntz, Jus Decret. II. n. 3.

I. Omnes qui habent jurisdictionem in foro externo possunt ex justa causa dispensare in votis subditorum, nisi eorum potestas a superiore sit limitata. Ceteri dispensant tantum ex potestate delegata et juxta ejus limites. Hinc:—

1. Papa dispensare potest in omnibus votis omnium baptizatorum.

2. Episcopus dispensare potest cum subditis et peregrinis, qui per voluntariam accessionem ad Episcopum fiunt ejus subditi pro hoc scopo, in votis non reservatis.

3. Prælati regulares in non reservatis cum suis subditis potestate ordinaria dispensant. Potestate delegata aliquid amplius valent tum pro suis, tum in foro interno pro fidelibus externis.

4. Parochi et confessarii dispensant tantum ex

potestate delegata, cujus limites cognoscuntur ex facultatibus datis.

II. Causæ justæ ad dispensandum in votis censentur sequentes: 1. Bonum publicum sive Ecclesiæ sive status. 2. Periculum transgressionis ob fragilitatem voventis. 3. Magna difficultas in voti observatione. 4. Si votum immature, cum imperfecta deliberatione fuerit emissum. Si autem cum matura deliberatione emissum sit votum præsertim castitatis, non consuevit Ecclesia simpliciter dispensare, sed potius illud commutare. Lehmkuhl, I. n. 480.

III. Votum in alicujus favorem ante hujus acceptationem potest dispensari, quia nullum jus ante acceptationem acquiritur; post ejus acceptationem nequit dispensari sine ejus consensu. Excipiunt plures si votum principaliter fuit factum in honorem Dei, et secundario tantum in utilitatem alterius, tunc enim dicunt posse dispensari. Vota igitur emissa in ordine religioso sunt natura sua reservata. S. Alphonsus, III. n. 255.

IV. Vota quinque sunt reservata Summo Pontifici: 1. Votum religionem ingrediendi. 2. Votum perpetuæ castitatis. 3. Votum peregrinationis ad sepulchrum Domini, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellæ.

Quæ reservatio stricte est interpretanda, ac proinde votum religionem ingrediendi tantum comprehendit religiones votorum solemnium approbatas; votum castitatis intelligitur de castitate perpetua, perfecta, ratione materiæ et modi, nec comprehendit votum castitatis conjugis, quod impedit debitum conjugale.

Ita tamen sunt ista quinque vota reservata ut non comprehendantur in generali concessione dispensandi, sed requirunt specialem mentionem. Lehmkuhl, I. n. 477.

§ 3. *De Voti Commutatione.*

Commutatio est substitutio unius materiæ in locum illius quæ fuit voto promissa, facta sub eadem voti obligatione. Commutatio autem fieri nequit cum læsione juris tertii. Quicumque potest dispensare, potest etiam commutare, quia cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, sed non vice versa.

Potest commutatio fieri in opus melius, in æquale, in minus.

I. Ipse vovens potest votum commutare in opus evidenter melius, nisi specialiter prohibeatur; non enim propositum aut promissum infringit qui in melius illud commutat, ut dicitur, *c. 3, De jurejurando.*

Imo probabiliter vovens potest ipse votum commutare in opus æquale: quia præsumitur Deus æque acceptare opus quoad substantiam æquale ob benignitatem divinam, saltem ut hilarius ei oblatio præstetur. Altera tamen sententia est S. Alphonso probabilior, qui putat ab ea non esse recedendum, quia, ut ait S. Thomas, commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet, prælati. S. Alphonsus, III. n. 244.

Ex *c. 4, De Voto*, vota Papæ reservata com-

mutari nequeunt, nisi commutatio fiat in statum religiosum.

II. Aliqua causa requiritur ad commutandum votum in æquale vel minus, certo ad liceitatem, probabiliter etiam ad validitatem, minor tamen quam quæ requiritur ad dispensandum.

Probabiliter ad validitatem requiritur justa causa, quia commutatio est quædam dispensatio a delegato facta, qui nequit valide agere sine causa. Probabilis tamen est alia sententia valere commutationem in minus sine causa cum sola obligatione supplendi id quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa; quia id valet pro contractibus inter homines, et Deus nobiscum mitius agit. Sanchez, In Dec. lb. iv. c. 51, n. 8.

Sufficit major propensio personæ ad aliud opus, si commutatio fit in opus æquale.

Cautus sit confessarius in votis pœnitentium, præsertim castitatis, admittendis. Lehmkuhl, I. n. 480.

APPENDIX.

DE ADJURATIONE.

Adjuratio est contestatio per Deum, Sanctos vel rem sacram, facta ad inducendam naturam intellectualem ad aliquid agendum, aut omittendum.

Est *solemnis* quæ fit a ministro Ecclesiæ, forma ab ea præscripta; alias est *privata*.

I. Ut adjuratio licite fiat requiruntur conditiones, quæ ad jurandum requiruntur, scilicet, Veritas, Justitia, Judicium.

Veritas requirit ut adjuratio fiat per verum Deum, et ut adjurans verum dicat quando alterum ad aliquid inducit; cujus defectus erit mortale peccatum.

Justitia exigit ut adjurans ad rem honestam inducere tentet.

Judicium, ut sit res alicujus momenti.

II. Adjuratio dæmonis, seu exorcismus, fieri debet *imperative*, non *deprecative*. Publice autem et solemniter exorcismum exercere ob periculum scandali hodie non licet sine Episcopi licentia. Non tamen est illicitum privatim illum exercere. Lehmkuhl, I. n. 427; Marc. n. 622.

Sectio III.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

Tertium Decalogi præceptum est: *Memento ut diem sabbati sanctifices. . . . Non facies omne opus in eo.* Exod. xx. 8—10.

Hoc præceptum partim est naturale, partim positivum. Est naturale quatenus præcipit aliquando cultum externum et publicum esse Deo præstandum. Non tantum igitur Deus est colendus cultu interno, sed et externo, quia est Creator et Dominus non tantum animæ sed et corporis, nec tantum cultu privato sed et publico, quia non tantum homo singularis, sed et tota societas humana est a Deo. Præterea sensus interni non durant nisi aliquando externe manifestantur. Unde ut cultus internus perduret, necessarius est cultus externus. Franzelin, De Euch. De sacrificio, c. 1, th. 1.

Quoad determinationem temporis et modi est præceptum positivum, scilicet, in Nova Lege, ecclesiasticum.

Quod spectat ad diem dominicam est institutionis apostolicæ (Act. xx. 7), alii festi dies sunt institutionis ecclesiasticæ.

Quoad modum festos observandi Ecclesia præscripsit ut a fidelibus Missa audiatur, et ut abstineatur ab operibus servilibus.

CAPUT I.

DE IIS QUÆ DIEBUS FESTIVIS PRÆCIPIUNTUR.

Articulus I.

DE MISSA AUDIENDA.

I. Ex antiquissimis legibus ecclesiasticis et ex catechismis constat adesse obligationem diebus festivis Missam audiendi, quæ obligat omnes fideles qui usum rationis sunt adepti. Ita *c. Missas 64, D. 1, De Consec.; c. Omnes, 62, D. 1.*

II. Hæc obligatio est gravis, ut constat ex prop. 52 damnata ab Inn. XI.

Nihil aliud præscribitur *per se* nec sub gravi nec sub levi.

Resolves: Per accidens ratione scandali vitandi, instructionis necessariæ audiendæ, vel similium causarum, potest esse obligatio aliis temporibus ecclesiam frequentandi. Dies festus ex usu hodierno extendit a media nocte ad mediam noctem. Qui nequit Missam audire, non tenetur vi hujus præcepti ad orationes privatim recitandas supplendi causa.

III. Ut obligationi Missæ audiendæ satisfiat requiritur:

1. Ut tota Missa audiatur.
2. Ut audiatur in loco debito.
3. Corpore præsente.
4. Mente attenta.

§ 1. *De tota Missa audienda.*

Tota Missa est audienda ita ut si notabilis pars omittatur graviter peccetur. Quænam autem est pars notabilis? Non omnes partes Missæ sunt æqualis dignitatis. Esset mortale peccatum omittere partes in quibus essentia Missæ consistit, nempe consecrationem et communionem, imo quatenus, juxta communiorem sententiam, essentia Missæ consistit in sola consecratione, hanc omittere esset mortale. Esset mortale omittere tertiam partem non principalem, ut ab initio ad offertorium inclusive, probabiliter non peccaret graviter qui saltem ante offertorium veniret. S. Alphonsus, III. n. 310.

"Quod si quis [casu vel ex justa causa] notabilem partem neglexisset, sub mortali teneretur aliam Missam audire, vel saltem partem neglectam supplere, uti omnes fatentur." La Croix, III. pt. 1, n. 670. Utrum quis teneretur levem partem supplere necne controvertitur. S. Alphonsus, III. n. 310.

Resolves: Leve peccatum est omittere omnia post communionem, imo omnia ante epistolam et post communionem. Sine causa omittere partem post consecrationem usque ad *Pater noster* censetur grave. Satisfacit præcepto qui duas dimidias Missas a duobus sacerdotibus celebratas audit, dummodo consecratio et communio sint in eadem Missa, non vero simul celebratas. S. Alphonsus, III. nn. 310, 311.

§ 2. *De Loco Debito.*

Jure antiquo erat præceptum ut Missa audiretur in ecclesia parochiali, nunc vero ab illa lege derogatum est contraria consuetudine universali, ut testatur Ben. XIV. De Syn. xi. c. 14. Ideo sufficit Missam audire in qualibet ecclesia vel oratorio publico vel semipublico, non vero in oratorio privato, nisi qui audit sit inter privilegiatos.

Decretum S.R.C., 23 Jan. 1899, quænam sint ista Oratoria definit: "A Sacra Rituum Congregatione sæpe postulatum est, quænam Oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro Oratoria publica ea esse, quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata januam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quæ in privatis ædibus, in commodum alicujus personæ vel familiæ, ex indulto Sanctæ Sedis erecta sunt. Quæ medium inter hæc duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur. Ut autem quælibet ambiguitas circa hæc Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non fidelium omnium nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his, sicut auctoritate

Ordinarii sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, præcepto audiendi sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt, quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis, saltem ab Ordinario, adprobatis; ad domos spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Capellæ in Cœmeterio erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum, ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta jura et privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur Emi. S.R.E. Cardinales, Rmi. Sacrorum Antistites, atque Ordines Congregationesque regulares. Ac præterea confirmare dignata est Decretum in una Nivernen. diei 8 martii 1879. Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Die 23 januarii 1899.*" Ojetti, S.J., Synopsis, s.v. Semipublica. Oratoria quæ eriguntur a nostris vi privilegii concessi a Greg. XIII. *Br. Decet Romanum,* sunt semipublica ac in iis Missam audientes præcepto satisfaciunt. Gatticus, De Oratorio privato, c. 18, n. 3, seqq.; Giraldi, I. § 596. Qui Missam extra parochiam audire solet, non eximitur ab obligatione proprium clerum sustentandi. Conc. West. I. d. 23, n. 5.

§ 3. *De Præsentia Requisita.*

Requiritur moralis præsentia ita ut quis censeatur unus e numero assistentium et offerentium Missam. Si quis sit intra ecclesiam vix potest esse difficultas de ejus præsentia sufficienti, dummodo ad partes Missæ principales attendere valeat et revera attendat. Etiam extra ecclesiam quis Missam intus celebratam audire potest, si unus est multitudinis quæ assistit, vel si non tam longe distat—non ultra circiter triginta passus, ut putat Lugo—et ad partes Missæ attendere valet.

Resolves: Non censetur moraliter præsens qui post parietem nihil audit, nec attendit ad partes saltem præcipuas Missæ, nec conjungitur cum aliis audientibus. Satisfacit vero quicumque ita est præsens, ut ex signis externis possit colligere quid a celebrante agatur, estque pars multitudinis, quæ dicitur præsens, etsi per accidens nihil audiat, videat, aut intelligat. In domo vicina ecclesiæ, dummodo non ultra circiter triginta passus distet, potest Missa audiri ab eo qui interjecta via altare respicit. S. Alphonsus, III. n. 312.

§ 4. *De Attentione Mentis.*

Attentio est actus intellectus, et est distinguenda ab intentione quæ est voluntas audiendæ Missæ, et quæ requiritur ut auditio Missæ sit actus humanus.

Attentio est vel *interna* vel *externa*. Interna est actus mentis non distractæ quo quis advertit ad id

quod fit, vel ad Deum et divina. Externa est qua quis abstinet ab opere externo ponendo incompossibili cum Missa audienda.

Attentio externa saltem requiritur, quia requiritur ut adsit actus cultus divini, qui non adesset si quis pingeret, dormiret, fabularetur, dum Missa celebraretur. At quæstio est num sufficiat. Certum est peccari saltem venialiter si quis voluntarie sit distractus, sicut peccat qui orat cum distractionibus voluntariis; attamen ut legi ecclesiasticæ præcipienti Missæ auditionem satisfiat probabile est sufficere attentionem externam. Nam præter externam non potest probari requiri etiam internam. Præcipitur quidem actus externus cultus divini, sed sicut oratio vel adoratio possunt fieri sine interna attentione, ita hic actus audiendi Missam. Unde ex natura rei non potest probari attentionem internam requiri. Ecclesia utique posset attentionem internam concomitanter præcipere, et revera præcipit *devotam* Missæ assistentiam, sed probandum est significari per illud attentionem internam.

Denique multi gravesque Doctores hanc sententiam defendunt, pluresque alii concedunt esse probabilem. S. Alphonsus, III. n. 313; Lugo, De Euch. XXII. n. 23, seqq.

Resolves: Satisfaciunt præcepto qui Missæ inserviunt, organum pulsant, in choro cantant, quia exhibent suum ministerium quo celebrationi Missæ cooperantur. Collectio eleemosynarum non videtur opus incompossibile cum Missa audienda. Satisfacit præcepto qui intra Missam recitat Breviarium, legit librum spiritualem, non vero qui legit librum

profanum. Satisfacit præcepto qui intra Missam examinat conscientiam, imo saltem probabiliter et qui confitetur, nisi confessionem prolixam in cubiculo ab ecclesia separato ut aliquando fit instituat; nam brevis confessio etiam in cubiculo ab ecclesia secluso, dummodo non intra consecrationem impletionem præcepti impedire non videtur. La Croix, III. n. 655.

Articulus II.

DE CAUSIS AB AUDIENDA MISSA EXCUSANTIBUS.

Excusat ab auditione Missæ quævis causa mediocriter gravis, scilicet quæ involvit notabile aliquod incommodum, aut damnum in bonis animæ vel corporis proprii, vel proximi. Ita communiter Doctores, ait S. Alphonsus, III. n. 324.

Resolves: 1. Excusantur mulieres quæ non habent vestes statui convenientes; item puellæ quæ ob sua banna proclamanda magno rubore suffunderentur; imo si ob magnum luctum domi maneant.

2. Excusantur liberi, uxores, famuli qui sine gravi indignatione parentum, maritorum, dominorum ecclesiam frequentare nequeunt. Famuli vero si sine incommodo gravi alium dominum invenire possent ad id tenerentur, si frequenter et sine justa causa a Missa impedirentur. Excusantur qui debent curam gerere parvulorum, ægrotorum, vel qui debent coquere cibos vel similia necessaria peragere.

3. Excusantur ægroti vel convalescentes quibus

noceret foras egredi. Iter faciendum ad Ecclesiam trium milliarium excusat, vel etiam minus si viæ et tempestas sint difficiles; si tamen sine expensis currus haberi posset, major distantia ad excusandum requireretur. Sicut notabile damnum ita notabile lucrum amittendum excusat.

CAPUT II.

DE IIS QUÆ FESTO DIE PROHIBENTUR.

Articulus I.

DE OPERIBUS PROHIBITIS.

I. Die festo prohibentur omnia opera servilia, *cc. 1, 3, de Feriis* [ii. 9].

Opera *servilia* sunt quæ a servis vel operariis regulariter fieri solent, et præsertim viribus corporis exercentur, v.g., arare, fodere, suere, ædificare, quæ illicita sunt etiamsi recreationis causa peraguntur. Distinguuntur ab operibus *liberalibus* et *communibus*.

Liberalia sunt quæ a viribus animæ maxime pendent et præsertim a dominis fieri solent, v.g., scribere, pingere, studere, cantare, delineare.

Communia sunt media, quæ commoditati tum animæ tum corporis inserviunt, et a dominis et famulis fiunt, v.g., venari, piscari, iter facere.

Inter hæc, opera servilia sola prohibentur, in quibus determinandis communis etiam æstimatio et consuetudo præter ipsam operis naturam sunt considerandæ; et sic videtur licere artem photographicam exercere, nisi fiat in publica officina et vili labore; sic etiam typos collocare licet sub eadem limitatione. Piscari autem cum magno labore et apparatu censetur servile, sicut et sculpere nisi fiat in materia modica et opere subtili.

II. Obligatio abstinendi ab operibus servilibus

est gravis ex genere suo; admittit tamen parvitatem materiæ.

Ut materia sit gravis debet notabiliter excedere duas horas ex communi sententia. Imo quoad opera leviora ut flores artificiales, scapularia, rosaria conficere majus temporis spatium ad grave peccatum committendum requireretur, et si gratis et pietatis causa conficerentur adhuc longius tempus ad gravem materiam esset necessarium. Bucceroni, I. n. 655.

III. Præter opera servilia prohibentur mercatus publicus et tria forensia, sententia judicialis in causa civili vel criminali, et juramentum coram judice. *C. 1, de Feriis.*

De forensibus vix occurrit difficultas practica. Mercatus publicus cum strepitu prohibetur, non contractus privatus, nec emptio et venditio præsertim esculentorum cum januis clausis. In aliquibus regionibus plus in hac materia ratione consuetudinis vel dispensationis conceditur quam in Anglia, ubi lex municipalis in hac materia adhuc satis stricta est. *Encyclop. of Laws*, s.v. Sunday.

Articulus II.

DE CAUSIS AB HAC LEGE EXCUSANTIBUS.

Causæ variæ opera prohibita licite exercendi a theologis admittuntur, præsertim sequentes:

1. *Dispensatio* dari potest a Summo Pontifice pro tota Ecclesia et in omnibus festivitatibus. In casibus particularibus dispensari potest ab Episcopis

in suis diœcesibus; a prælatis regularibus cum suis subditis, a parochis cum suis parochianis, et in hac regione a missionariis. Conc. West. I. d. 23, n. 1.

2. *Consuetudo* excusat tonsores qui artem die festivo exercent; et ex eadem ratione quædam servilia permittuntur, ut verrere domum, vasa lavare, cubilia sternere, parare cibos etiam lautiores.

3. *Pietas* in Deum excusat opera quæ proxime ad divinum cultum referuntur, ut verrere et ornare templum et altare; non autem ecclesiam ædificare.

4. *Caritas* excusat opera necessaria ad infirmos sublevandos, ad mortuos sepeliendos, imo laborem assumptum pro paupere determinato in gravi necessitate constituto, non vero pro pauperibus in genere.

5. *Necessitas* tum animæ tum corporis, tum propria tum aliena excusat. Hinc excusantur pauperes qui aliter se suosque sustentare nequeunt. Excusantur famuli et operarii compulsi a dominis ut laborent, et qui nequeunt alium dominum sine gravi incommodo invenire. Excusantur agricolæ qui nisi laborent grave damnum subirent. Excusantur sartores qui aliter vestes cito præparandas conficere nequeunt.

6. *Utilitas* sive publica, ut si victoria cum pompa sit celebranda; sive probabiliter privata, ut si aliter magno lucro quis privaretur.

Sectio IV.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Quartum Decalogi præceptum est, — Honora patrem tuum et matrem tuam. Ex. xx. 12. Primario et directe respicit obligationes filiorum erga parentes; secundario et implicite obligationes parentum erga filios, et mutuas obligationes aliorum superiorum et inferiorum. "Nam etsi de iis præcipue patribus lex loquitur, ex quibus generati sumus, tamen ad alios quoque pertinet hoc nomen, quos etiam complecti lex videtur; quemadmodum ex pluribus divinæ Scripturæ locis facile colligimus. Præter illos igitur, qui nos procrearunt, patrum genera item alia sunt in sacris literis (quod antea attigimus), quibus singulis suus honor debetur. Ac primum ecclesiæ præsides et pastores et sacerdotes 'patres' dicuntur; quemadmodum ex Apostolo constat, qui ad Corinthios scribens (1 Cor. iv. 14): 'Non,' inquit, 'ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.' Et in Ecclesiastico (xliv. 1) scriptum est: 'Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.' Deinde ii, quibus aut imperium, aut magistratus, aut potestas commissa est, qui rempublicam gubernant, 'patres' appellantur. Sic Naaman (iv. Reg. v. 13) a famulis 'pater' vocabatur. Præterea 'patres' eos dicimus, quorum procurationi,

fidei, probitati, sapientiæque alii commendantur; cujusmodi sunt tutores et curatores, pædagogi et magistri. Quare Eliam et Elisæum filii Prophetarum (iv. Reg. ii. 12) 'patrem' vocabant. Postremo 'patres' dicimus senes et ætate confectos, quos etiam vereri debemus." Catech. ad parochos, p. iii. c. v.

Articulus I.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM.

Jure canonico approbatum est principium juris civilis,—"Filius est quem justæ nuptiæ demonstrant:" hinc filius *legitimus* est qui his constantibus nuptiis nascitur, sive iisdem constantibus conceptus fuerit sive non.

Filii qui non nascuntur ex matrimonio valido vel saltem putativo vocantur *illegitimi:* quorum qui nati sunt ex parentibus inter quos vel tempore conceptionis vel saltem tempore nativitatis matrimonium consistere potuisset *naturales* audiunt: ceteri *spurii*.

Legitimari possunt filii naturales per subsequens matrimonium, et illegitimi per rescriptum principis, per dispensationem, et per professionem religiosam.

Adoptivi sunt qui legitime in locum filiorum adsciscuntur quamvis natura tales non sunt.

Impuberes sunt infantes masculi ad annum decimum quartum, feminæ ad duodecimum: *puberes* supra ætatem prædictam.

Jure Anglico filii sunt vel legitimi vel illegitimi, nec agnoscuntur legitimati nisi statuto Parliamenti

quod raro admodum datur, nec adoptivi. Eversley, p. 539.[1]

Legitimi sunt qui nascuntur ex parentibus legitimo matrimonio junctis, vel tempore rationabili post matrimonium dissolutum; ceteri sunt illegitimi. Stephen, II. p. 299; Eversley, p. 514.

Qui nondum attigerunt annos viginti et unum vocantur *Infants* seu *Minors*.

I. Quatenus parentes sunt filiis principium essendi iis debetur specialis amor, reverentia, obsequium et per accidens ratione necessitatis sustentatio. S. Thomas, II-II. q. 101, a. 2; Ballerini, VI. sec. 4, n. 1.

Reverentia lædi potest etiam graviter verbis et factis; eos passim aspere alloquendo, irridendo, percutiendo.

Obsequium etiam graviter læditur non obediendo in re gravi quæ pertinet ad domesticam gubernationem vel ad bonos mores, si serio parentes præcipiunt. Hoc officium filiorum cessat cum emancipatione, cetera perdurant.

Opem egentibus parentibus debent filii, ac proinde tenentur iis sacramenta ægrotis procurare, mortuis sepulturam, et vivis sustentationem; imo in gravi necessitate parentum filii nequeunt religionem ingredi. (S. Thomas, II-II. q. 101, a. 4.) Quæ obligatio sustentationis urgetur lege nostra nonnisi

[1] "Legitimation, in its various forms, is unknown; adoption; recognition; the custom of *pallio cooperire;* the *legitimatio per subsequens matrimonium* itself, all but universal in Christendom, as it is; have no place in our municipal law." Encyclop. of Laws, s.v. Legitimacy.

quando publicis expensis aliter sustentari parentem oportet. Eversley, p. 598; Encyclop. of LL. s.v. "Parent and Child."

Resolves: Graviter peccat filius contra amorem si signa odii parentibus ostendat, si grave malum illis exoptet; contra reverentiam si eos graviter contristet, verbis contumeliosis offendat, eos pauperes despiciat; contra obedientiam si inconsultis parentibus matrimonium ineat. Busembaum.

II. Filii non tenentur ad parentes sustentandos nisi causa necessitatis. (S. Thomas, II-II. q. 101, a. 4, ad 4.) Imo quatenus etiam minores dominii bonorum temporalium sunt capaces, et quando rationis usu gaudent, propriis actibus, proprio labore bona temporalia acquirere possunt, hæc omnia independenter a suis parentibus per se possident. Attamen si filii bona possident vel labore acquirere ea possunt, parentes non tenentur gratis eos sustentare; ac præterea si parentes vel fratres et sorores indigeant, ex pietate saltem hos sustentare debent; hinc practice sæpe tenetur filius alicujus pauperis sive intra sive extra domum paternam laboret, quamdiu non sit emancipatus, pretium laboris tribuere parentibus. Si vero familia non indiget ejus ope potest talis filius contractum inire cum parentibus ut solvat iis pretium sustentationis, et cetera bona sua sibi retineat. Cui doctrinæ satis congruit lex nostra.[1]

[1] "It is a doubtful point whether or not the father is entitled to the earnings of his child. He certainly cannot claim them legally after the child has reached the age of sixteen. The parents among the artizan classes do, it is well known, take their children's earnings and throw them into the common stock for the support of the family. If the father once reduces the wages of the child into

Articulus II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM.

I. Parentes sunt principium existendi filiis, et filii sunt aliquid patris. Hinc tenentur parentes filios amare, alere, instruere et educare.

Amare—ex speciali virtute pietatis, contra quam delinquere possunt parentes etiam graviter odio habendo filios, eis mala gravia serio imprecando, excessu amoris omnia permittendo, unum præ ceteris cum gravi eorum displicentia fovendo.

Alere—procurando filiorum corporalem salutem et sustentationem. Unde peccat mater prægnans si temere se periculo abortus exponat; et saltem venialiter si sine justa causa prolem natam lacte proprio non nutriat.

Obligatio filios legitimos alendi qui se ipsos alere nondum valent spectat lege nostra ad patrem, vel

his possession, there cannot be any doubt that the child will be unable to recover them. Blackstone says, 'He (the father) may indeed have the benefit of his children's labour while they live with him, and are maintained by him; but this is no more than he is entitled to from his apprentices or servants.' This proposition must be limited to children who are living with, and being reared and nurtured by the parent, and not to those who are emancipated and are supporting themselves; and must mean that if a child work for its parent, it cannot afterwards recover on an implied contract to pay wages. But if the child enters, as he can do, into a valid contract of service with his parent for the payment of wages, the parent will not be entitled to retain such wages, but the child will be able to maintain an action for them against his parent. If the father emancipate the child from his control, any right to its earnings would at once cease to exist." Eversley, p. 573.

ad maritum quoad filios uxoris ex altero viro, et in ejus defectu ad matrem, avum et avam. (Stephen, II. p. 305.) Filios illegitimos alere tenentur primario matres, sed ante nativitatem vel intra annum a filii nativitate recurrere possunt ad magistratus qui post paternitatem filii probatam præcipere possunt patri putativo ut summam pecuniæ solvat ad prolem sustentandam et educandam. Stephen, II. p. 312.

Instruere—quoad ea quæ ad salutem sunt necessaria, eos imbuere bonis moribus verbo et exemplo, delinquentes corrigere, a pravis sociis, libris, occasionibus periculosis avertere.

Educare—ita ut vivere possint convenienter suo statui, ejusque obligationes implere. Hinc curare debent parentes ut filii artem addiscant, litteris imbuantur sive domi, sive foris, juxta vitæ conditionem et patriæ consuetudinem.

II. The Elementary Education Act, 1876, declaravit parentes esse obligatos ad curandum ut liberi intra annum ætatis quintum et decimum quartum sufficientem instructionem elementarem reciperent: quæ lex variis sanctionibus urgetur. Stephen, III. p. 101; Encyclop. of Laws, s.v. Parent and Child.

Parentes qui ad scholas mittunt filios erudiendos tenentur eligere scholas catholicas si sit possibile, cum si eos mitterent ad scholas acatholicas ordinarie exponerent eos proximo periculo amittendi fidem et mores catholicos. Quod esse verum de scholis secundariis in Anglia declaravit S. C. de P. F. 23 Jan. 1899. De qua re, maximi quidem momenti nostris diebus, juvat sequentia ex P. Lehmkuhl (I. nn. 786, 787) excerpta tradere:

"(*a*) Si filii grave periculum contra bonos mores aut contra fidem subeunt, quod remediis adhibitis auferri nequit, sed proximum periculum manet, neque parentibus filios in ejusmodi scholam mittere, neque filiis ire licet; sed potius quævis pœna injuste imposita debet tolerari.

(*b*) Si possibile est, periculum grave ita mitigare, ut proximum esse desinat, fieri potest, ut propter causam omnino gravem ejusmodi scholam frequentari liceat, modo efficacia remedia *re ipsa* adhibeantur. Talis causa gravis est: valde molesta vexatio ob injustam legem; impossibilitas aliter filiis providendi, ut postea decenter secundum statum suum vivere possint, &c.

(*c*) Nihilominus etiam tum, quando fortasse causa objective excusans tanta non est, ut periculum, quod vix non semper notabile manet, subire liceat, confessarii vel parochi est videre, utrum severiorem admonitionem atque pleniorem institutionem prævideat profuturam esse, annon. Si eam profuturam non esse merito putet, nihil relinquitur, nisi ut abstinendo a severiore agendi modo summopere et sancte inculcet parentibus obligationem, qua teneantur saltem filios præmonere et præmunire sufficienti instructione religiosa et admonitione seria, ne aures præbeant unquam iis, quæ sive a discipulis sive a magistris contra catholicam fidem dicantur, vel quæ alias ad peccata possint allicere, utque sibi fideliter referant, quæ forte hac in re acciderint, quo melius pro futuro possint prospicere. Nimirum necesse est, ut id saltem parentes sibi persuadere possint, filios re ipsa satis præmunitos esse atque

animi satis firmi, ne succumbant periculis: alias in bona fide neque relinqui, neque esse possunt. (*In nota addit:* Aliquando autem lege particulari recursus ad Episcopum præscribitur, ut parentibus liceat scholam non catholicam eligere: quæ lex in suis locis certe obligat. Cf. Ballerini, VI. sec. 4, n. 35.)

(*d*) Pericula quidem graviora esse solent in scholis superioribus, academiis, etc., quam in inferioribus et elementaribus scholis: verum facilius etiam quam in his, in illis remedia adhiberi possunt efficacia, si filii ipsi volunt; quoniam adolescentes firmioris animi et prudentioris judicii sunt, quam tenellæ ætatis pueri.

(*e*) Pro scholis superioribus alias periculosis frequentandis remedium optimum et summopere inculcandum est, (1) ut parentes filium commendent viro pio et amico, qui in eum invigilet; (2) ut filius ipse studeat, at cum magna circumspectione, amicum pium et fidelem sibi deligere, quæ conjunctio animum firmiorem reddat contra respectus humanos atque retrahat ab illicitis consortiis; (3) ut filius *sæpe* accedat ad sacramenta, atque stabilem habeat confessarium doctum et pium, quocum non in confessione tantum, sed etiam privata visitatione difficultates libere communicare possit atque communicet.

(*f*) Mittere ad scholam acatholicam, si præsto est catholica, etsi aditu nonnihil difficilior, facile grave peccatum evadere potest (1) ex eo, quod sine causa justa fides atque boni mores periculo objiciantur; (2) quod positiva educatio religiosa negligatur; (3) quod pravum exemplum detur, quo alii

pertrahantur ad imitandum, atque eo magis id attendi debet, quo magis forte a frequenti numero discipulorum facultas pendet catholicam scholam sustinendi; (4) accedere potest conniventia quædam cum secta acatholica vel indifferentismo, sive ista agendi ratio ex tali affectu oritur, sive externam speciem ejusmodi pravi affectus præfert.

(*g*) Quæ prava conniventia si neque adest neque apparet—quod sæpe ex conditionibus loci pendet, —aliæ rationes supra recensitæ adeo diminui possunt ex variis circumstantiis, ut de reatu gravi non jam constet, si modo magister acatholicus contra catholicam religionem nihil proferre audeat. Quare si non leve incommodum accedat, quod catholicam scholam frequentando incurratur, mitius judicandum est de parentibus, qui acatholicam scholam eligant; atque sola suasione insistendum, quo suavius inducantur potius, quam severe urgeantur ad mutandum consilium.

(*h*) Tandem convenit, imo necessarium est, ut in qualibet regione, collatis consiliis, confessarii et parochi eandam methodum in monendis parentibus sequantur. Atque rationem gravis peccati etiam ex ipsius loci circumstantiis multum pendere, discas, si recolligas, quæ dicta sunt supra de scandalo et cooperatione."

De hoc quod ultimo loco P. Lehmkuhl tradit provisum est apud nos ab Episcopis Provinciæ Westmonasteriensis. Nam in conventu habito infra hebdomadam post Dominicam in Albis anno 1882 statuerunt, sacerdotes esse instruendos de gravi obligatione non urgendi nec permittendi ut Catholici

scholas quæ *Board Schools* nominantur frequentent, nec ut educationis causa apud Universitates nationales resideant.

Die 2 Aprilis 1895 Sancta Sedes mutatis rerum circumstantiis respondit petitioni Episcoporum posse tolerari ut juvenes Catholici resideant apud Universitates Oxoniensem et Cantabrigiensem cautelis adhibitis ad periculum perversionis removendum. Unam cautelam ipsa Sancta Sedes præscripsit, nempe esse dandas lectiones de Philosophia, Historia et Religione a Catholicis Professoribus in Universitatibus, ad quas lectiones frequentandas juvenes Catholicos ibi educandos sub gravi esse obligatos, quamvis una alterave omissio gravis non esset. Postea 1 Aug. 1896 Instructionem dederunt Episcopi in qua inter alia edixerunt parentibus non licere ad Universitates acatholicas mittere filios qui non sint bene instructi in religione catholica, stabiles indole, et contra pericula occurrentia præmuniti. Monuerunt etiam ex hac toleratione nullo modo esse inferendum licere mittere liberos ad scholas elementares acatholicas cum circumstantiæ sint omnino diversæ. Tablet, 12 Sept. 1896, p. 429.

Aliquando quæstio oritur utrum magistris catholicis liceat in *Board Schools* docere annon. De qua quæstione sequentia statuerunt Episcopi in conventu habito anno 1875:—

"1. That no Catholic Master, Mistress, or Pupil Teacher, ought to accept employment in Board Schools.

2. That the Clergy be instructed to make this direction known to all Catholic teachers, and to

ensure conformity to it to the utmost of their power.

3. That the President and Superiors of Catholic Training Schools especially be instructed to impress this obligation upon all who are educated and trained on the funds of the Catholic Church.

4. The Bishops further judge that, whereas the Clergy ought in all cases to use their utmost endeavours to prevent the acceptance of situations in Board Schools by Catholic teachers, if in any particular case the acceptance of a Board School by a Catholic teacher may have consequences dangerous to the welfare and continued existence of Catholic Schools, or may offer a temptation to Catholic parents to send their children to Board Schools, or finally may draw Catholic children to Schools in which they can be neither taught nor trained in the Catholic religion, the Clergy may be obliged to enforce their dissuasion by exclusion from the Holy Sacraments; but that before doing so, they shall lay the case before the Bishop." Synod. VIII. Salford. p. 37.

Cfr. Conc. West. I. d. 8, n. 2; IV. d. 17, nn. 3, seqq. cum locis citatis.

III. Complexus jurium parentum in filios vocatur Patria potestas quæ partim est ex jure naturali, partim ex jure positivo jus naturale determinante. "Filius enim naturaliter est aliquid patris; et primo quidem a parentibus non distinguitur secundum corpus, quamdiu in matris utero continetur; postmodum vero, postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub

parentum cura, sicut sub quodam spirituali utero; quamdiu enim usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali; unde sicut bos vel equus est alicujus, ut utatur eo cum voluerit, secundum jus civile, sicut proprio instrumento; ita de jure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra justitiam naturalem esset, si puer antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus. Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus; et potest quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad fidem non coactione, sed persuasione; et potest etiam invitis parentibus consentire fidei, et baptizari; non autem antequam habeat usum rationis." S. Thomas, I-II. q. 10. a. 12. c.

Pertinet ad jus positivum hoc jus naturale quoad durationem et alia particularia ulterius determinare. Patria potestas lege nostra intra limites angustiores continetur quam jure civili Romano continebatur; sufficit vero ad filios in officio retinendos. (Stephen, II. p. 308; Eversley, p. 534.) Versatur autem tum circa personas filiorum tum circa eorum bona.

I. Quoad personas. (*a*) Parentes habent jus filios apud se custodiendi usque ad emancipationem. Quod jus pertinet ad patrem, durante ejus vita, post ejus mortem ad matrem. (Encyclop. of Laws, s.v. Parent and Child.) Emancipatur autem filius anno vigesimo primo adepto vel per matrimonium. Si tamen liberi attigerint annos discretionis (regulariter

quatuordecim pro filiis, sexdecim pro filiabus), curiæ nostræ non eos compellent ut ad parentes redeant, si separatio ab ipsis eis commodo esse videtur. (Maude, *Custody of Children*, p. 4.) Attamen si alii allicuerint liberos e custodia parentum lex nostra contra allicientes actionem civilem *for loss of services* parentibus concedit. Encyclop. of Laws, s.v. Parent and Child, vii.

Abducens puellam infra annos sexdecim ætatis, vel infra annos octodecim ad finem pravum gravissime puniri lege criminali potest. Maude, p. 5.

Si vero parentes indigni probentur ut liberos custodiant, curiæ nostræ eos auferent parentum potestati et custodes aliquando assignabunt. Maude, pp. 25, seq.

(*b*) Lege nostra parentes, vel alii quibus curam filiorum commiserunt, moderate filios nondum emancipatos corrigere valent propter disciplinam.

(*c*) Consensus patris ad liceitatem matrimonii filii minoris requiritur 4 Geo. IV. c. 76, secs. 16 and 17; Eversley, p. 98.

II. Quoad bona minorum. Lege nostra pater qua talis nullum jus habet in bona filii minoris; nisi tamen alius custos legitime constituatur, ipse erit custos bonorum filii, quæ in commodum filii administrare tenebitur, et administrationis rationem reddere. (Eversley, pp. 571, seqq.) Dona libere omnino facta a filiis parentibus, vel a parentibus filiis valida sicut alia dona jure nostro censentur. Præsumptio tamen est contra libertatem donationis factæ patri a filio minore nisi libertas probetur. Eversley, p. 579.

Quoad jus parentum in acquisita labore filiorum vide infra *De Just. et Jure.*

Post mortem patris potestati patriæ succedit mater, quam exercet cum custodibus a patre constitutis si quos constituit. Maude, pp. 30, 44.

Articulus III.

DE CUSTODIBUS.

Custodes (*guardians*) vices gerunt *tutorum* et *curatorum* juris Romani, et sunt ii qui legitime instituuntur ad curam gerendam minorum eorumve bonorum.

Variæ sunt species quarum sunt *Guardians for nurture, Guardians by statute*, et *Guardians by appointment of the High Court of Justice.* Stephen, II. p. 323; Encyclop. of Laws, s.v. Infants.

Guardianship for nurture versatur circa personas minorum, et pertinet ad patrem, et post ejus mortem ad matrem. Quamvis stricte dicitur durare tantum ad annum ætatis decimum quartum, tamen practice quatenus parentes curam et custodiam filiorum durante minoritate gerunt, usque ad emancipationem perdurat. Stephen, II. p. 323.

Guardianship by statute habetur ex 12 Car. II. c. 24, sec. 8, quæ "gave power to the father, whether he be himself of full age or not, 'by his deed executed in his lifetime, or by his last will and testament in writing, in the presence of two or more credible witnesses, in such manner, and from time to time, as he shall respectively think fit, to

dispose of the custody and tuition' of such of his children as shall be under twenty-one, and not married, at the time of his death, during such time as they shall remain under twenty-one, or any less time." (Maude, p. 57.) "By the statute 12 Car. II. c. 24, the father, even though a minor, may by deed, and if not a minor, may by deed or will, appoint a guardian for his infant children." Snell's *Principles of Equity*, p. 497.

Pater hoc modo nequit instituere custodes filiis illegitimis, si quos tamen his instituerit ordinarie curia confirmabit.

Custodes hac lege instituti curam gerunt ad tempus determinatum tum personarum tum bonorum minorum. Stephen, p. 324.

Mater per *Guardianship of Infants' Act*, 1886, potest nunc custodes instituere qui curam gerant filiorum minorum post mortem suam et patris, et qui auctoritatem exerceant simul cum custodibus a patre institutis si qui sint. Potest etiam *by deed or will* custodes instituere qui post mortem suam simul cum patre auctoritatem exerceant, qui tamen sunt a Curia confirmandi, quod non fiet nisi probetur patrem esse indignum qui solus auctoritatem exerceat. Maude, p. 44.

Custodes *by appointment of the High Court of Justice* ob varios fines constituuntur. Nam si minor bona temporalia habeat Curia rogata custodem tum ipsius tum ejus bonorum instituet. Encyclop. of Laws, s.v. Infants.

Si lis instituatur de bonis minoris, ipse minor fit *A Ward of Court* quæ curam bonorum geret et

custodem personæ instituet. Varias ob causas potest Curia privare parentes custodia liberorum eamque aliis tradere. Stephen, III. p. 326; Encyclop. of Laws, s.v. Parent and Child.

Custodes quoad personas et bona minorum sibi commissorum similia jura et obligationes ac parentes habent. Hinc expensas administrationis bonorum minorum solvere ex bonis possunt, nullum tamen emolumentum ipsi sibi acquirere debent, rationesque administrationis reddere tenentur. Stephen, II. p. 328.

Articulus IV.

DE COGNATORUM OBLIGATIONIBUS.

Eædem sunt obligationes debita cum proportione aliorum cognatorum erga proxime conjunctos ac sunt parentum erga filios. Tenentur enim eos amare et in necessitate succurrere ex caritate et pietate; hinc avus et ava deficientibus parentibus tenentur curam suscipere nepotum; fratres et sorores tenentur sibi invicem egentibus succurrere, non tantum in extrema sed etiam in gravi necessitate. S. Alphonsus, III. n. 340.

Obligationem sustentandi proxime conjunctos in necessitate constitutos urget lex nostra in sequentibus casibus: "Those who are so compellable [to maintain the pauper otherwise chargeable to the parish where he happens to be] are the wife and husband, the father and grandfather, the mother and grandmother, or the children of the pauper; and they are liable to maintain him at the rate

assessed by an order of the justices at their general, quarter, or petty sessions." Stephen, III. p. 61; II. p. 305.

Articulus V.

DE CONJUGUM OBLIGATIONIBUS.

Jura et obligationes conjugum maritalia et quoad bona alibi tractantur; hic solummodo est dicendum de obligationibus quæ ex superioritate viri profluunt.

I. Viro tamquam capiti uxor debet reverentiam, amorem, obedientiam in iis quæ pertinent ad domus gubernationem et bonos mores, non quidem ut serva vel famula sed tanquam socia. (Eph. v. 22, sqq.) Viro egenti tenetur etiam uxor succurrere si potest. Stephen, III. p. 61.

Resolves: Graviter peccat uxor quæ rixis vel verbis ad gravem iram maritum provocet; graviter etiam peccat si quid notabile expendat contra voluntatem mariti et consuetudinem feminarum similis conditionis; si spreto viro sibi imperium vindicet, vel sine justa causa se administrationi domus ingerat. Cum tamen sit socia non famula viri, non tenetur nobilis officia vilia, ut verrere domum, præstare. S. Alphonsus, III. n. 351.

II. Vir autem tenetur uxorem amare, eam ejusque proles alere, ex pietate et etiam ex justitia legali. Bucceroni, I. n. 676; Encyclop. of Laws. s.v. Husband and Wife, vi.

Resolves: Non obligatur vir lege nostra ad uxorem sustentandam si hæc propria habeat unde

juxta vitæ conditionem sustentetur. Uxor indigens quæ occulte sumit a marito quod est necessarium ad se suasque proles sustentandas non peccat contra justitiam, sumit enim quod sibi ex justitia debetur. Uxor ejusque proles indigentes juxta statum sustentatæ pecunia a marito mutuata, non obligantur erga creditores si maritus sit non solvendo. Laymann, lb. iii. tract. ii. c. 11, n. 9.

Articulus VI.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM.

Triplex est species famulorum pro gradu dependentiæ in qua versantur erga dominos. Primo enim sunt qui omnes operas suas et in perpetuum domino debent, et qui ad ejus quasi-familiam pertinent. Tales vocantur *servi*. Sunt qui libere contraxerunt de operis suis ad tempus domino præstandis, et qui cum eo habitant, qui vocantur *famuli domestici*. Denique sunt qui libere contraxerunt de operis præstandis domino, sed cum eo non habitant, qui vocantur *opifices* vel *operarii*. (Génicot, I. n. 354.) Qui pro vinculo arctiori quo secum invicem ligantur strictiores habent obligationes; unde non statim ea quæ habentur in Sacra Scriptura de servis possunt sine accommodatione aliis applicari. De famulis domesticis et de opificibus hic præsertim agimus.

Hæ relationes hodie oriuntur ex contractu locationis operarum, ac proinde ad justitiam pertinent præcipua officia mutua dominorum ac famulorum.

Attamen etiam oriuntur superioritas et dependentia, unde varia officia sponte sua profluunt, ratione quorum de hac materia sub quarto decalogi præcepto tractatur. S. Thomas, II-II. q. 102, aa. 1, 2; II-II. q. 58, a. 7, ad 3; Antoine, p. 292.

I. Obligationes famulorum. Famuli tenentur dominis præstare:

1° *Reverentiam;* unde peccare possunt etiam graviter eos irridentes, aspernantes, eorum occultos defectus manifestantes.

2° *Obsequium* juxta terminos contractus, leges et consuetudines loci.

3° *Fidelitatem* in officio sibi commisso.

Resolves: Peccant famuli plus minusve pro materia qui dominis juste præcipientibus obedire nolunt, qui contra dominos obmurmurant, eis insolenter et cum superbia respondent, qui laborem præceptum negligunt, tempus inutiliter terunt, secreta dominorum manifestant, rerum sibi creditarum curam non habent.

II. Obligationes dominorum. Domini tenentur:

1° Cum caritate famulos tractare; "Non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis æquum esse dignitatem personæ, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Illud vero turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quæstum, nec facere eos pluris quam quantum nervis polleant viribusque." Leo XIII. *De condit. opif.*

2° Abstinere ab iis quæ famulis nocent in bonis animæ vel corporis.

3° "Efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex." Leo XIII. *ib.*

4° Corrigere eos fraterne præsertim domesticos; non ita stricte ad alios corrigendos tenentur, quia vix spes fructus.

5° Succurrere eis in necessitate.

6° Justum salarium solvere; cujus mensura non est quicumque consensus partium, nec necessario aliqua proportio rerum productarum; sed "alendo opifici frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere;" et peccatur contra justitiam commutativam si necessitate coactus opifex duriorem conditionem accipiat; imo honestas et ratio boni communis postulant ut salarium sufficiat ad familiam operarii alendam. Quod si æmulatio seu competitio inter dominos hoc non permittat, reipublicæ erit rem regere et moderari si non determinare. Leo XIII. *De condit. opif.*

Excipe tamen si ex misericordia operarium dominus conduceret cujus laboris valor infimum justi salarii limitem non attingeret, vel si dominus sine damno suo tale salarium solvere non posset, et casus similes. Génicot, I. n. 654, sqq.; Antoine, p. 559; Godts, *De condit. opif.* p. 175.

III. Quoniam sæpe ad salarii augmentum obtinendum operarii ab opere ex conspiratione cessant (*strike*), præstat de ista cessatione ab opere sequentia statuere:

(*a*) Illicitum est contractum justum violare cessando ab opere, vel injusta media, minas, etc., adhibere ad alios opifices ab opere deterrendos, vel parvum lucrum sectari cum magnis damnis et periculis publicis et privatis.

(*b*) Aliis tamen mediis frustra adhibitis et vitatis

jam recensitis licita est cessatio ab opere etiam ex condicto ad justum salarium, vel etiam probabilius ad augmentum justi salarii intra limites justitiæ obtinendum; nec enim est contra justitiam nec contra caritatem. Génicot, II. n. 22; Lehmkuhl, I. n. 1,119.

Resolves: Si contractus inter dominum et operarios manifeste injustas conditiones includit, non erit illicitum talem contractum violare ab opere ex condicto cessando dummodo aliunde hoc sit licitum. Si nullus sit contractus, sicut licet singulis ita per se et ceteris paribus licet omnibus ex condicto ab opere cessare, dummodo finis sit justus et media quæ adhibentur licita. Diminutio laboris excessivi, cessatio injuriarum et vexationum possunt esse justi fines cessationis ab opere ex condicto. Si nulla esset probabilitas finem intentum obtinendi, nec alia causa proportionata, illicitum esset cessare ab opere ex condicto. Génicot, II. n. 22.

IV. Famulus qui ad tempus vacare operæ non potest ob adversam valetudinem jus ad salarium consuetum habet. Indermaur, p. 217.

Quod ex justitia debetur id nisi dominus solvat famulus occulta compensatione complere potest. (Lehmkuhl, I. n. 940.) Nec obstat prop. 37 damnata ab Inn. XI.; nam ibi proscribitur sententia juxta quam famuli possent occulte compensare id quod ipsi judicant ex justitia sibi deberi. Viva in dict. prop.

V. Contractus locationis operæ solvi potest mutuo consensu; et si una pars velit contractum solvere debet leges vel consuetudines loci servare

de notitia danda et aliis conditionibus. Lege nostra —"A contract arising on [a general] hiring [of a domestic servant] may be determined by a month's notice, or a month's wages." "If a servant be guilty of moral misconduct, or of wilful disobedience, or habitual neglect of his master's lawful commands, he may in such case be dismissed without notice;" as also if he unlawfully absents himself from his work, or proves to be incompetent to do what he undertook. Stephen, II. pp. 241, 246; Indermaur, p. 218; Encyclop. of Laws, s.v. Master and Servant.

VI. Ii famuli ad quos ex contractu pertinet cura rerum domini peccant contra justitiam si curam hanc negligunt, ac tenentur ad restitutionem, sive damnum ob eorum negligentiam a domesticis sive ab extraneis infertur. Alii quibus cura specialis non est commissa probabiliter non peccant contra justitiam quamvis peccare possunt contra caritatem damnum non impediendo.

Ea quæ lege positiva statuuntur in *Employers' Liability Acts* plerumque non obligant nisi post sententiam; nam ordinarie culpa theologica deerit requisita ut ante sententiam judicis dominus damnum operario illatum præstare teneatur. Encyclop. of Laws, s.v. Employers' Liability.

Articulus VII.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM.

Magistri quatenus sunt in loco parentis habent quodammodo eadem jura et obligationes ac habent parentes; et ratione contractus habent specialem obligationem justitiæ erudiendi in scientiis et bonis moribus eos qui suæ curæ sunt commissi. Peccant igitur munera negligendo, aspere discipulos corrigendo, admittendo pravis moribus imbutos qui innocentes corrumpent, etc. Cf. Stephen, II. p. 309.

Discipuli autem eisdem fere obligationibus adstringuntur erga magistros ac filii erga parentes. Ut autem gravitas peccati inobedientiæ determinetur, non tantum sunt considerandæ materia præcepti et intentio præcipientis, sed etiam hujus auctoritas, nam inferiores magistri et præfecti sæpe auctoritate sub gravi præcipiendi non gaudent. Lehmkuhl, I. n. 830.

Articulus VIII.

DE OBLIGATIONIBUS SUPERIORUM ECCLESIASTICORUM ET INFERIORUM.

Quatenus ecclesiastici qui curam animarum habent sunt sui gregis patres spirituales tenentur suis subditis exhibere amorem, curam, doctrinam, bonum exemplum, etiam ex justitia vi contractus.

Subditi vicissim suis prælatis tenentur exhibere amorem, honorem, obedientiam in iis quæ ad eorum

curam spectant, et subsidium necessarium. 1 Tim. v. 17, 18; Heb. xiii. 17; Conc. West. I. d. 23, nn. 4, 5.

Articulus IX.

DE OBLIGATIONIBUS INFERIORUM ET SUPERIORUM CIVILIUM.

Quatenus principes seculares auctoritatem a Deo acceperunt ad subditos gubernandos et dirigendos in finem societatis civilis, iis quoque debentur amor, reverentia, et obedientia in omnibus quæ eorum potestati subsunt, nempe in profanis; quia—"Quidquid est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ: cetera vero, quæ civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit, quæ Cæsaris sint, reddi Cæsari, quæ Dei, Deo." Leo XIII., Encycl. *Immortale Dei.*

Apud nos cives eligunt deputatos qui opem in legibus ferendis conferant; et quatenus multum refert reipublicæ et religionis ut boni eligantur deputati, potest adesse obligatio in conscientia suffragium dandi ad impediendam mali candidati electionem, vel ad electionem boni promovendam. Patet peccare qui malum candidatum eligunt. Lehmkuhl, I. n. 799; Bucceroni, I. n. 705.

Qui auctoritatis civilis aliquam partem habent, vi officii et ex justitia sua munera fideliter obire tenentur.

Sectio V.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Quintum Decalogi præceptum est: *Non occides.* Exod. xx. 13. Hoc præcepto quatenus negativo prohibetur primario homicidium seu injusta hominis occisio: secundario vero rixæ, injusta vulneratio seu mutilatio quatenus ad homicidium conducunt. Quatenus autem præceptum virtualiter est positivum præcipit vitæ conservationem.

CAPUT I.

DE SUICIDIO.

I. Absque divina auctoritate nefas est seipsum directe interficere.

Dicitur *absque divina auctoritate*, attamen aliqui probabiliter dicunt licere reo ad mortem condemnato, se ipsum auctoritate judicis interficere, tunc enim publica auctoritate constituitur carnifex sui ipsius; quod alii communius negant, quia punitio utpote actus justitiæ distributivæ in seipsum exerceri a nemine potest. S. Alphonsus, III. n. 369; Lugo, De Just. et Jure, X. n. 12.

Directe quando scilicet mors in se immediate intenditur, vel quando ponitur actio quæ nullum alium effectum immediatum quam mortem habet, quia eo ipso quod intenditur talis actio intenditur mors.

Ratio autem asserti est, quia homo non est dominus suæ vitæ, cujus dominium ad Deum pertinet. (Deut. xxxii. 39.) Unde qui se ipsum absque auctoritate divina occidit injuriam Deo infert.

Præterea pertinet homo etiam ad communitatem cujus est pars, unde suicidium est injuria contra societatem, et punitur lege tum ecclesiastica tum civili. S. Thomas, II-II. q. 64, a. 5.

Resolves: Illicitum est indiscretis pœnitentiis et

carnis macerationibus notabiliter vitam abbreviare. Samson et quidam martyres qui sibi necem intulerunt sunt excusati vel propter Dei inspirationem, vel propter ignorantiam invincibilem. Lugo, De Just. et Jure, X. n. 15.

II. Nec licet se mutilare nisi ad vitam conservandam.

Ratio est eadem, nempe quia homo nec est nec esse potest dominus sui ipsius, nec potest usurpare dominium quod ad alterum pertinet; quatenus tamen pars ordinatur ad totum, partem abscindere potest ad totius conservationem.

Resolves: Non licet se mutilare ad militiam evitandam, nec se castrare ad castitatem servandam. Non videtur licitum pueros castrare ad vocem eorum conservandam, nec quidem ut suavius in Ecclesiis decantent. Lehmkuhl, I. n. 578.

III. Licet ponere actionem honestam quæ effectum bonum et proportionatum æque immediatum habet, etiamsi prævideatur mors vel mortis periculum secuturum, si hoc non intendatur.

Resolves: Licet pulverem incendere et navem bellicam cum se ipso destruere, ne cum gravi reipublicæ detrimento ea hostis potiatur. Licet se ejicere per fenestram cum certo periculo mortis ad mortem duriorem incendio evitandam. Non licet virgini se occidere ad violationem evitandam, sed ad istum finem licet se projicere e turri vel per fenestram cum certo mortis periculo. Bucceroni, I. n. 716.

IV. Eo ipso quod quis tenetur vitam conservare, media *ordinaria* adhibere tenetur ad illum finem;

non tamen *extraordinaria* quæ sunt ultra communes vires, nec ordinarie præcipi possunt, nisi agatur de vita alicujus qui ad bonum commune est necessarius.

Resolves: Non tenetur ægrotus operationem chirurgicam valde dolorosam subire ad vitam salvandam. Nec tenetur ægrotus e patria exire ad aerem salubriorem petendum. Infirmus autem in periculo mortis non potest respuere medicamenta ordinaria ei præscripta si sit spes salutis.

CAPUT II.

DE OCCISIONE MALEFACTORIS.

I. Publica auctoritate licet malefactores occidere, mutilare, incarcerare.

Dicitur *publica auctoritate*, quia quatenus potestas malefactores mortis pœna puniendi societati concessa est ob bonum commune cujus procuratio pertinet ad auctoritatem publicam, punitio rei publica auctoritate fieri debet. Hinc etiam debet publice de crimine patrato, de reo condemnato, constare.

Probatur autem licere publica auctoritate malefactores occidere ex Sacra Scriptura, Exod. xxii. 2 ; Rom. xiii. 4 ; et ex eo quod ad bonum commune, imo ad societatem conservandam potestas malefactores occidendi est necessaria ; denique ex praxi omnium populorum. Cui autem licet quod est plus, licet quod est minus, unde licet malefactores mutilare vel incarcerare.

Resolves : Etiam publica auctoritate non licet reum captum statim occidere, nisi notorie constet de crimine et de reo, et grave periculum sit in mora. Malefactoris mutilatio, quamvis per se non illicita ut est dictum, est tamen contra mansuetudinem morum modernorum.

II. Auctoritate privata non licet malefactores occidere. Licitum est enim occidere malefactores

ob bonum publicum, hoc vero procurandum pertinet ad auctoritatem publicam, non ad aliquem privatum; præterea si privata auctoritate liceret malefactorem occidere omnia cædibus implerentur.

Resolves: Peccat maritus qui uxorem in adulterio deprehensam occidit. Prop. 19 damn. ab Alex. VII. Malefactorem publica auctoritate proscriptum et capite damnatum licet sæcularibus occidere, si id legibus sit permissum. Utrum qui malefactorem custodiunt possint eum aufugientem occidere necne pendet ab auctoritate ipsis concessa; legisperiti anglici dubitant utrum condemnatus gravis criminis qui aufugit licite lege nostra occidi possit; ceteri non gravis criminis rei nequeunt. Encycl. of LL. s.v. Escape.

III. Licet disciplinæ causa subjectum suæ potestati moderate verberare; quod si agatur de non subdito est illicitum, sicut et aliquem incarcerare, vel qualitercumque detinere, nisi fiat secundum ordinem justitiæ.

Resolves: Pater filios, magister discipulos delinquentes moderate verberare potest, non autem frater fratrem minorem, nisi iste regat familiam vel mandatum a patre accepit. Encyclop. of LL. s.v. Battery.

CAPUT III.

DE OCCISIONE INJUSTI AGGRESSORIS.

I. Potest quilibet injustum vitæ suæ aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Dicitur *quilibet* etiam clericus, etiam religiosus, jus enim defensionis omnibus naturaliter competit.

Potest, non tenetur nisi bonum publicum vel salus æterna procuranda exigat ut sese defendat.

Moderamine quod tria complectitur: 1. Ut aggressor occidatur cum intentione sese defendendi. 2. Ne plus fiat quam ad justam defensionem requiratur. 3. Ut aggressio moraliter actu inferatur; seu ut sit futura et imminens.

Probatur secundum principium duplicis effectus ex S. Thoma, II-II. q. 64, a. 7: "Ex actu ergo alicujus seipsum defendentis duplex effectus sequi potest: unus quidem conservatio propriæ vitæ; alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet in esse quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio; nam secundum jura 'vim vi repellere licet

cum moderamine inculpatæ tutelæ.' Nec est necessarium ad salutem ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ suæ providere quam vitæ alienæ."

II. Sub eisdem conditionibus licet defendere non tantum vitam, sed et membra, pudicitiam, et bona fortunæ magni momenti cum occisione injusti aggressoris. Ratio est eadem, nam ex communi sententia Doctorum defensio non tantum vitæ, sed et membrorum, pudicitiæ, bonorum fortunæ magni momenti, est effectus proportionatus morti aggressoris injusti, qui sua culpa in tali periculo se conjecit. S. Alphonsus, III. n. 380.

Dicitur autem *bonorum fortunæ magni momenti*, quia parvum damnum proprium evitandum non est causa proportionata occisioni etiam injusti aggressoris, nec caritas illud permittit. Bona autem magni momenti erunt qualia sunt necessaria ad se suosque sustentandos, vel ex judicio theologorum gravium quæ æquivalent summæ 16—20 libris sterlinis. Bucceroni, I. n. 732; Prop. 31 damnata ab Inn. XI.

Non tamen teneris tradere summam etiam parvam grassatori publico, et si te propterea aggrediatur semper potes te defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiamsi pervenias ad eum occidendum.

Resolves: Mulier potest sed non tenetur occidere aggressorem pudicitiæ cum moderamine inculpatæ tutelæ; potest enim, si nihil aliud facere queat, se passive habere, nam castitas involuntarie non

amittitur. Non licet reo ministros justitiæ occidere ad se liberandum. Non licet occidere si injuria sit jam contracta, et aggressor aufugit, nam esset vindicare non se defendere. Post tamen injuriam illatam aliqua verberatio potest habere rationem justæ defensionis, ne scilicet injuria repetatur. S. Alphonsus, III. nn. 380, 382; Lehmkuhl, I. n. 835.

III. Non licet occidere eum qui aggreditur honorem verbis. Ratio est quia talis injuria propulsari potest et debet aliis mediis. Cfr. Prop. 17 et 18 damnatas ab Alex. VII., et 30, 32, 33 damnatas ab Inn. XI.

IV. Potest etiam privatus in hac materia facere pro alio innocenti quod potest facere pro se; nam cooperatur cum alio in actione licita. Dicitur *potest*, nam ordinarie propter gravia incommoda non tenetur; secus est dicendum de iis qui ex officio alios defendere tenentur.

CAPUT IV.

DE OCCISIONE INNOCENTIS.

I. Intrinsece malum est directe occidere innocentem, unde nunquam est licitum.

Deus enim est Dominus vitæ et mortis et sibi reservavit dominium vitæ innocentis. Exod. xxiii. 7.

Confirmatur, quia vita innocentis non potest auferri ad bonum commune, quia non cives propter rempublicam, sed hæc propter cives est, et ad eorum utilitatem ac bonum ordinatur. Et si ob bonum commune non potest vita innocentis auferri, non potest ob quemcumque alium finem. S. Thomas, II-II. q. 64, a. 6; Lugo, X. n. 104.

Resolves: Non licet occidere lethaliter vulneratos vel moribundos ne amplius patiantur; nec obsides quamvis hostis fidem non servet, quia esset occidere innocentes. Non licet, jubente tyranno, innocentem occidere ad patriam ab oppressione salvandam, posset autem innocens ob bonum commune tyranno tradi etiam invitus. S. Alphonsus, III. n. 393.

II. Ob gravem et proportionatam causam licet indirecte occidere innocentem juxta principium duplicis effectus.

Resolves: In urbe expugnanda licet tormenta bellica contra eam dirigere, quamvis prævideatur aliquos innocentes præter intentionem fore occisos.

III. Juxta legem naturalem non est homicidii reus qui dans operam rei licitæ vel etiam illicitæ ex qua homicidium raro sequitur et diligentiam adhibens præter intentionem alium occidit; secus dicendum de eo qui alium occidit etiam præter intentionem dans operam rei illicitæ ex qua mors alterius probabiliter sequetur; quia quivis quinto præcepto talem causam auferre tenetur. S. Alphonsus, III. n. 398.

Lege autem Anglica qui vacans rei illicitæ alium occidit reus est homicidii, sive *murder* sive *manslaughter* juxta circumstantias. Stephen, IV. p. 55; cfr. S. Thomas, II-II. q. 64, a. 8.

Resolves: Clericus qui illicitæ venationi vacans hominem præter intentionem occidit non est reus homicidii, quamvis peccet contra legem ecclesiasticam. Qui furiose agit currum in via frequentata quamvis curam exerceat ne quem lædat, si tamen prævideat aliquem occidendi probabile periculum, reus est homicidii si quem etiam præter intentionem occidat. Idem dic de eo qui advertenter calce percutit mulierem prægnantem unde abortus sequitur.

Abortus est ejectio fœtus immaturi. Maturus autem fit fœtus post novem fere menses gestationis in utero materno. Post septem menses, imo aliquando post sex menses cum dimidio, præsertim si media artificialia ad eum fovendum adhibeantur, fœtus extra uterum maternum vivere potest; ante istum terminum extra uterum vivere non potest, et ejus ejectio est proprie abortus.

IV. Acceleratio partus seu ejectio fœtus ante

terminum completum, talis autem ætatis ut extra uterum jam vivere possit, non est illicita si fiat ex gravi causa.

Talis gravis causa est si prævidetur matrem non posse fœtum maturum naturali via edere, vel si continuatio prægnantiæ periculo esset vitæ matris, tunc enim licite permittitur aliquale periculum matris vel infantis ex acceleratione partus ortum. Surbled, La Morale dans ses rapports avec la Médecine et l'Hygiéne, II. n. 209.

V. Licet indirecte procurare etiam abortum ob causam proportionate gravem, si actio posita sit bona et abortus non intenditur. Ratio patet ex dictis de indirecta occisione innocentis.

Resolves: Si vita matris periclitatur licet præbere ei aptam medicinam, vel operationem indicatam facere ad eam salvandam, quamvis prævideatur ex remedio adhibito abortum secuturum. Nec hoc illicitum redditur ob difficultatem de baptismo infantis; nam plerumque fœtus poterit baptizari vel in utero vel post ejectionem; et aliter plerumque periret cum matre sine baptismo. Génicot, I. n. 367.

VI. Nunquam licet directe procurare abortum. Nam si fœtus sit animatus, et nunc communiter docetur fœtum animari in ipso instanti conceptionis, esset directe occidere innocentem, videlicet, fœtum immaturum e utero ejicere est eum privare medio extra quod vivere non potest, quod est directe occidere, sicut hominem privare aere, vel in aquam protrudere; si autem est inanimatus, ut secundum S. Thomam aliosque est fœtus masculus

ante diem quadragesimum, femininus ante octogesimum, est homicidium anticipatum. S.O. 24 Jul. 1895; Analecta, III. p. 483.

Procurantes abortum effectu secuto plectuntur excommunicatione latæ sententiæ Episcopis reservata per Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis.*

VII. *Craniotomia* seu *embryotomia*, operatio qua medicus intra uterum existentis infantis caput ope instrumenti conterit vel abscindit, est illicita et pluribus decretis Sanctæ Sedis condemnata, si infans vivus occiditur; si enim erat jam mortuus, licita, ut patet, erit operatio.

Illicita est quia est directa occisio innocentis, quæ est intrinsece mala, ac proinde fieri non potest etiam ad vitam matris salvandam, et etiamsi aliter tum mater tum infans periret, nam non sunt facienda mala ut eveniant bona. Nec valet dicere cum quibusdam theologis qui ante decisionem Sanctæ Sedis scripserunt, infantem esse vitæ matris injustum aggressorem, nam infans non se posuit in tanto discrimine, et jus habet ut nascatur. Lehmkuhl, I. n. 847, sqq.

Præter decreta 28 Maii, 1884, et 19 Aug. 1889 quibus Sancta Sedes declaravit "tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occisivam fœtus, etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam," Sacra Pœnitentiaria 3 Jun. 1891, rescripsit Reverendissimo Episcopo Birminghamiensi sequens dubium proponenti: "Quidnam dicendum est de confessario, qui jam post decretum S. Officii 31 Maii, 1884, tolerat ut quidam ex pœnitentibus suis adhibeant craniotomiam prout

olim ante illud decretum, a nonnullis theologis defendebatur?" "Sacra Pœnitentiaria attente consideratis expositis ad præmissa respondet, Confessarium juxta ea quæ proponuntur male se gerere."

In partu valde difficili ubi via naturali infans edi non potest, recurrendum est ad alias operationes præsertim ad operationem cæsaream. Surbled, op. cit. p. 222.

VIII. Mortale est peccatum contra naturam si mulier sumat vel ei porrigatur potio vel quidquid aliud quo prolis conceptio evitetur. Sanchez, De Matr. IX. d. 20, n. 2; S. Alphonsus, III. n. 394.

Nec semen voluntarie receptum unquam licet expellere, vel sterile reddere; mulieri vero vi oppressæ probabiliter licet statim semen intrusum expellere. Ratio ultimi est quia injuria quasi continuo infertur, cui obstari potest, dummodo fiat ante prolem conceptam. Lehmkuhl, I. n. 849; Ballerini, VI. sect. vi. n. 120.

CAPUT V.

DE DUELLO.

Duellum stricte dictum est pugna inter duos vel paucos, privata auctoritate et ex condicto inita, cum periculo occisionis, mutilationis, vel gravis vulneris.

Dicitur *pugna inter duos vel paucos* ut a bello distinguatur.

Privata auctoritate, quia publica auctoritate initum duellum, sicut bellum, potest esse licitum.

Ex condicto, nempe de tempore, loco, et armis, ita enim ordinarie fit et in juribus intelligitur, unde qui ex subita rixa statim confligunt non incurrunt pœnas duellantium.

Cum periculo, ut distinguatur a pugnis levioribus, sive sine armis, sive cum armis non letalibus.

I. Duellum est intrinsece malum et mortale peccatum, quia non licet privata auctoritate exponere se et alium periculo occisionis, mutilationis, vel gravis vulneris. Constat etiam ex prop. 2 damnata ab Alex. VII. et ex quinque propositionibus damnatis a Ben. XIV. Const. *Detestabilem*, 10 Nov. 1752.

II. Illicitum est duellum, etiamsi ex condicto cessare debet ad primos ictus, propter scandalum, periculum, et specialem prohibitionem Clementis VIII., Const. *Illius vices:* ubi decernit Summus Pontfex "iisdem pœnis . . . teneri eos inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine, cum

primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit."

III. Non acceptat duellum qui dicit provocanti se semper esse paratum ad se defendendum; licet enim semper se defendere contra injustum aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis* subjacent: "Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes et quilibet complices, qualemcumque operam aut favorem præbentes: necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis."

CAPUT VI.

DE BELLO.

Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, legitima principis auctoritate suscepta ad reipublicæ bonum defendendum, aut ad ejus illatam injuriam vindicandum.

Si initur ad reipublicæ bonum defendendum est bellum *defensivum*, quod licitum est etiam privata auctoritate intra limites justæ defensionis, nam vim vi repellere omnia jura permittunt; si ad illatam injuriam vindicandum est bellum *offensivum*.

I. Bellum etiam offensivum est licitum publica auctoritate initum et quibusdam conditionibus positis, quia publica auctoritate non solum licet se defendere, sed etiam vindicare, et curare ne deinceps injuria inferatur, nec est aliud medium jura societatum independentium vindicandi. S. Thomas, II-II. q. 40, a. 1; cf. Prop. 34 Martini Lutheri damn. a Leon X. 16 Maii, 1520.

Conditiones autem requisitæ ad bellum licite inchoandum sunt:

1. Auctoritas publica; non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest jus suum in judicio superioris prosequi. S. Thomas, II-II. q. 40, a. 1.

2. Causa justa et gravis; nam propter gravia mala quæ bellis excitantur justa et proportionata causa belli gerendi omnino exigitur, quales auctori-

tate Doctorum sunt sequentes: provincia recuperanda, gravis injuria reipublicæ propulsanda, subditorum rebellio reprimenda, ut injuste oppressi liberentur, ne infideles impediant Evangelii prædicationem. Disputant autem Doctores utrum requiratur jus moraliter certum pro quo bellum geratur. Aliqui dicunt sufficere jus probabile, cum hoc sufficiat ut privatus litem moveat de re acquirenda nec princeps esse in conditione pejori debeat; plures requirunt probabiliorem rationem contra possidentem ut contra eum bellum licite moveatur, alii exigunt jus moraliter certum, cum alter non sit re possessa privandus nisi certo constet rem alienam esse, præsertim cum violenta privatio per bellum tot mala secum ferat. S. Alphonsus, III. n. 404.

3. Requiritur recta bellantium intentio qua intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur.

Victor pacem redintegrare debet satisfactione oblata vel præstita post quam non erit amplius justa causa bellum gerendi, nisi ob bonum publicum sit necesse ut hostium petulantia retundatur.

II. In bello omnia licent quæ sunt necessaria vel utilia ad finem, et quæ non repugnant juri naturali vel gentium, juxta tamen mandatum et voluntatem expressam vel tacitam belli ducis.

Resolves: Licet in bello uti insidiis et stratagematibus, quæ non sunt mendacia, cum in bello adhiberi soleant, et sua culpa hostes decipiantur. De modo bellum gerendi servari debent regulæ quas jus gentium statuit, dummodo eas observent hostes. Non licet veneno puteos et fontes inficere, occidere

legatos, sicarios subornare ad duces hostium trucidandos. Praxis hodierna est parcere personis et bonis non belligerantium, nisi quoad requisitiones et contributiones quæ vocantur, excepto bello navali. Ex bonis hostium non licet sumere quidquam nisi ex licentia ducis, quæ sæpe præsumi potest quoad spolia occisorum capienda. Lehmkuhl, I. n. 857; Stephen, II. p. 500; Encycl. of Laws, s.v. War.

III. Si constat de belli injustitia non licet pugnare, et quidem milites post bellum initum conducendi debent conscientiis suis satisfacere de belli justitia; milites tamen conscripti vel jam conducti non tenentur inquirere de justitia belli, et in dubio obedire tenentur. S. Alphonsus, III. n. 408.

Sectio VI.

DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

DE LUXURIA.

Sextum Decalogi præceptum est—*Non mœchaberis*, Exod. xx. 14,—et nonum—*Non desiderabis uxorem proximi*. Exod. xx. 17. Sextum implicite prohibet omnia peccata luxuriæ externa, quatenus repugnant ordinatæ propagationi generis humani, et quæ sub mœchia seu adulterio ut hujus generis principali peccato intelliguntur; nonum prohibet omnia peccata luxuriæ interna. De utroque agitur.

Luxuria vero est inordinatus appetitus vel usus venereorum.

Porro " Venereum dicitur id quod ex se proxime ad generationem pertinet. Hinc quo clarius percipiatur qualis delectatio dicenda sit venerea, quædam de generationis natura præmittenda sunt.

Generatio autem distinguitur in *activam* et *passivam*. Activa generatio idem sonat ac copula, coitus, concubitus; consistit autem in eo quod membrum virile in vaginam feminæ immittatur ac semen virile in vase femineo deponatur. Passiva generatio est congrua unio seminis masculini cum semine seu ovulo femineo in utero feminæ. Cfr. Capellmann, Medic. Past. p. 132.

Inter antiquos Doctores multum controverte-

batur num, in actu copulæ, verum semen prolificum a femina sicut a viro effunderetur et active ad generationem concurreret. Affirmabant cum Galeno Scotistæ; negabant plerique cum Aristotele et S. Thoma, III. q. 31, a. 5, ad 3. Hodie autem physiologica observatione constat magnum discrimen vigere inter rationem qua uterque sexus ad generationem concurrit. Nam viri testibus secernitur humor quidam seu sperma cui innatant corpuscula quæ *spermatozoida* nuncupantur. Apud feminas quoque in actu copulæ humor quidem secernitur et profluit e glandulis quæ, ob situm suum, vulvo-vaginales audiunt. At humor ille minime essentialis est ad generationem; ad hanc enim feminæ concurrunt tantum suppeditando ovula quæ a spermatozoidis fecundentur et ideo testes muliebres hodie *ovaria* dicuntur. Avulsio autem ovuli feminei quandoque libidine acceleratur; sed, etiam sine ulla libidine et sponte fit, ita ut apud singulas feminas fere singulis mensibus, ovulum ab alterutro ovario avellatur.

Cum hac ovuli avulsione fit quidam sanguinis fluxus qui dictus est menstruus eo quod plerumque vigesimo octavo die redire solet a tempore pubertatis usque ad menopausim. . . . Durat autem regulariter a duobus ad octo dies per quos mulieres patiuntur ea quæ vocant medici molimina menstrualia [*catamenia, menses, courses*]. Absentia talis fluxus non est indicium sterilitatis.

Vero semine carent eunuchi et impuberes. . . .

Præter seminis effusionem theologi commemorant *distillationem*. Hæc est, juxta Capellmann

(Med. Past. p. 81), 'profluvium humoris pituitosi ex urethra. Humor iste oritur ex glandula prostata et ex glandulis pituitariis urethræ nihilque commune habet cum semine proprie dicto nisi effluvii locum. Distillatio locum habere potest in hominibus puberibus atque impuberibus (etiam in castratis); potest masturbatione provocari vel etiam sponte accidere; potest tandem conjuncta esse cum voluptate vel ea carere.' Eadem contingere potest etiam in feminis, in actu copulæ vel ubi alias veneream voluptatem quærunt effusione humoris de quo supra dictum est.

Per *motus carnales, motus venereos, rebellionem carnis*, Theologi intelligunt erectionem membri virilis vel clitoridis femineæ cum voluptate conjunctam. Hanc tribuere solebant *spiritibus generationi inservientibus* dum reapse tribuenda est sanguini qui, ob causas maxime varias, ad illa membra confluit." Génicot, I. n. 377.

Ut objectum luxuriæ proprium secernatur ab iis quæ sunt affinia theologi distinguunt delectationem triplicem, *rationalem* seu *intellectualem*, *veneream* seu *carnalem*, et *sensibilem*. Delectatio rationalis in animo sedem habet, et est complacentia quædam ex præsentia boni convenientis, quæ pro objecti natura est bona vel mala. De hac delectatione tractabatur ubi de delectatione morosa.

Delectatio venerea est quæ sentitur in partibus genitalibus; completa habetur pro viris in seminis effusione, incompleta in motibus effusioni prævis; pro feminis completa sentitur in clitoride et partibus vicinis cum secretione humoris quin necessario sit

effusio extra vas, incompleta sentitur præsertim in motibus clitoridis.

Delectatio sensibilis est duplex, pure talis et sensibilis-venerea. Prior est quæ sentitur ex objecto sensibus convenienti, ut ex prato amœno, odoratu floris, tactu serici, concentu musico. Per se est indifferens, venialiter mala erit si ulterior finis honestus positive excludatur. Sensibilis-venerea sentitur præsertim in regione pectoris, et nominatur ex intima connectione quam habet cum commotione venerea ; oritur ex osculo, amplexu, tenero colloquio, aspectu feminæ, ex sola cogitatione personæ amatæ, etc. Ratione connectionis cum delectatione venerea est periculosa et mala.

I. Usus venereorum datus est hominibus ad genus humanum conservandum et propagandum. Hoc tamen debet fieri intra matrimonium et juxta matrimonii leges. Hinc usus vel appetitus venereorum extra matrimonium vel contra matrimonii leges est inordinatus et prohibitus.

II. Actus luxuriosus, cujusvis generis vel speciei sit, est per se mortale peccatum.

Constat primo ex Sacra Scriptura, et quidem quoad actus externos ex 1 Cor. vi. 9, 10; Gal. v. 19. Quoad actus internos ex Exod. xx. 14; Matt. v. 28.

Deinde idem ratione constat; nam quod grave damnum infert societati humanæ debet sub gravi prohiberi. At usus inordinatus venereorum grave damnum infert societati, ut vix ullum aliud vitium societati æque nocivum censeri debeat, testantibus medicis et experientia quotidiana. Ergo.

III. Nec luxuria directe voluntaria admittit

parvitatem materiæ, quod theologi deducunt ex prop. 40 damnata ab Alex. VII. Unde sequens vel simile argumentum confici potest: Si osculum habitum est ob delectationem carnalem secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis, quæritur directe delectatio venerea imperfecta et inchoata. Atqui ex propositione ista damnata tale osculum est peccatum mortale, cujus sola ratio peti potest ex generali regula quæ dicit non dari parvitatem materiæ in luxuria directe quæsita vel admissa. Cfr. Censuræ et Præcepta nostris imposita, c. iv.

Deinde idem ratione demonstratur; constat enim peccatum luxuriæ consummatum esse mortale. Atqui quælibet delectatio venerea est inchoatio pollutionis, fornicationis, vel alterius peccati consummati, et continet ejus malitiam totam. Præsertim autem quia quælibet delectatio venerea ob maximam hominum fragilitatem in hac materia inducit ad peccatum consummatum; unde sub gravi prohiberi debet quælibet delectatio venerea. Viva, in prop. 40 damnatam ab Alex. VII. nn. 14—16.

IV. Luxuria indirecte voluntaria admittit parvitatem materiæ, cum sit voluntaria in causa tantum, quæ potest leviter solummodo influere in delectationem venereamcausatam, quæ proinde erit tunc nonnisi leve peccatum, ut vidimus in tractatu de Actibus Humanis.

V. Si delectatio sensibilis-venerea proxime disponit ad delectationem venereamest per se graviter mala propter proximum periculum delectationis venereæ; si remote ad delectationem venereamdisponit per se peccatum veniale non excedit. Bucceroni, I. n. 772.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIÆ NON CONSUMMATIS.

Peccata luxuriæ sunt *interna* vel *externa*. Interna sunt desiderium, delectatio morosa, gaudium de objecto turpi, de quibus antea est tractatum. Externa sunt vel actus *non-consummati* vel *consummati*. Consummati sunt qui pertingunt ad humoris prolifici effusionem; non-consummati non eo usque pertingunt, et sunt præsertim aspectus, sermones, lectiones, tactus turpes. De his primo est agendum.

Ut determinetur reatus aspectus et tactus impudici, distinguunt theologi partes obscœnas, minus honestas et honestas. Partes obscœnæ sunt genitalia et partes vicinæ; minus honestæ sunt pectus, crura.

I. Aspectus voluntarius et deliberatus rerum valde obscœnarum quæ ex sua natura proxime disponunt ad delectationem veneream, nisi fiat ex justa causa est per se loquendo peccatum mortale; aspectus rerum minus obscœnarum, quæ ex natura sua solum remote disponunt ad veneream delectationem, nisi etiam fiat ex justa causa, per se loquendo est peccatum solum veniale.

Ratio est quia in primo casu quis exponit se periculo proximo, in altero periculo remoto delectationis venereæ sine justa causa, quod malum est.

Resolves: 1. Aspicere ex curiositate pudenda

personæ alterius sexus, vel concubitum humanum, est mortale peccatum, nisi brevissime fiat, vel a longa distantia, vel si aspiciens sit senex, frigidus, talibus assuetus, quia tales parum moventur. Facilius a mortali excusatur qui ex curiositate aspicit picturas obscœnas, quæ non ita commovere solent.

2. Leve peccatum per se non excedit aspicere ex curiositate animalia coeuntia, partes minus honestas mulieris, partes obscœnas ejusdem sexus.

3. Actus prædicti culpa vacant si ex proportionata utilitate vel necessitate exerceantur. Bucceroni, I. n. 775.

II. Similiter sermones valde obscœni, lectio valde obscœna, quatenus ordinarie proximum periculum delectationis venereæ inducunt gravia sunt peccata; leviter obscœni sermones et lectio sunt levia peccata.

Resolves: 1. Legere libros valde obscœnos ex curiositate vel sine justa causa est mortale peccatum, nisi ob frigiditatem, provectam ætatem, vel consuetudinem res turpes tractandi periculum minuitur.

2. Legere libros amatorios leviter inhonestos, quamvis valde periculosum junioribus, non est per se grave peccatum. Jocos de turpibus breviter proferre non excedit veniale, nisi ob audientium vel proferentium fragilitatem proxime disponit ad delectationem veneream.

III. Tactus graviter obscœni, qui ex sua natura proxime ad delectationem veneream disponunt, sunt gravia peccata; tactus minus turpes per se sunt peccata venialia.

Resolves: 1. Tactus in partes inhonestas alterius personæ diversi sexus sunt mortalia, imo alterius personæ ejusdem sexus, nisi leviter ex joco vel petulantia fiant.

2. Tangere genitalia brutorum, vel partes minus honestas alterius personæ per se veniale non excedit.

Ex dictis de aspectibus, sermonibus, tactibus impudicis resolvi possunt dubia de theatris frequentandis et de choreis.

IV. Omnes hi actus, nempe aspectus, sermones, tactus impudici, non sunt illiciti ex se et natura sua, sed ratione periculi adnexi, unde ex justa causa a medicis aliisque licite exerceri possunt, et quando in iis exercendis est peccatum, hoc minuitur cum diminutione periculi delectationis venereæ.

V. Actus incompleti, aspectus, sermones, tactus, differunt specie ab actibus consummatis ut omnes agnoscunt; nam actus humani completi differunt ab iisdem incompletis sicut ædificium perfectum differt ab eodem inchoato.

Disputant vero Doctores utrum isti actus non-consummati inter se differant specie morali necne. Utique communior sententia affirmat, quia sunt actus physice diversi et ad diversa objecta tendunt. Alii tamen, nec improbabiliter ut videtur, negant, quia quamvis sint actus physice diversi, attamen moraliter mali sunt non præcise in se, sed ratione delectationis venereæ ex qua oriuntur, vel quam excitant. Et delectatio venerea est quæ est illicita; utrum autem procuretur per aspectum, tactum, an sermones, est indifferens; unde sufficit in con-

fessione dicere—Semel procuravi in me delectationem veneream — tacendo utrum fuerit per lectionem, per tactum, per sermones, an per aspectum, nisi quatenus sit necessarium confiteri peccatum cooperationis vel scandali si complex habebatur. A fortiori partes tactæ non sunt necessario exprimendæ, dummodo constet de gradu malitiæ. S. Thomas, II-II. q. 154, a. 4; Bucceroni, I. n. 783.

VI. Tactus, oscula, amplexus induunt speciem circumstantiarum objecti; aspectus et sermones probabiliter non ita; priores enim actus maxime respiciunt hanc personam individuam, et proxime ad actum consummatum accedunt; posteriores non.

Breviter et bene de osculis sequentia tradit La Croix, III. pt. i. n. 898: "Si aspectus et oscula per se tendant ad delectationem veneream, id est, si non habeant alium effectum, vel finem præter delectationem veneream, quæ cum illis percipitur, licet hæc non intendatur directe, sunt peccata mortalia, ita Rhod. Mendo,d. 5, n. 18, aliique, probat multis Sanch. in Dec. lib. 5, cap. 6, quia qui sic illam intendit, virtualiter et exercite simul intendit delectationem veneream; e contra si fiant ex necessitate, vel alio fine honesto cum causa rationabili, v.g., ad ostensionem amicitiæ secundum morem patriæ, ad fovendum amorem in ordine ad contrahendum matrimonium, quamvis per accidens simul orirentur motus venerei, nullum essent peccatum, uti tenent Auctores communiter cum Mendo, n. 11. Denique si fiant ex levitate, joco, curiositate, petulantia, secluso scandalo et periculo, erunt venialia tantum, ita cum communi, Tanner, *hic* d. 4, q. 8, a. n. 98.

. . . Oscula facta cum ardore vel mora ordinarie sunt mortalia propter morale periculum consensus in delectationem veneream; idem est de osculis in ore diu replicatis, lingua unius ore alterius accepta; semper enim simul excitari debet delectatio venerea, Spor. n. 546.

Osculari pueros affectuose et magna cum suavitate ex amore teneræ ætatis; item captare delectationem sensibilem ex mollitie teneræ carnis, per se loquendo, est tantum veniale, March. Spor. Sanch. *de Matrim.* lib. 9, d. 46, n. 13."

CAPUT III.

DE PECCATIS LUXURIÆ CONSUMMATIS.

Articulus I.

DE PECCATIS CONSUMMATIS JUXTA NATURAM.

Peccata luxuriæ juxta naturam sunt quæ ita fiunt ut generationi humanæ speciei non adversentur; talia enumerantur fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium.

§ 1. *De Fornicatione.*

Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu. Est peccatum mortale ut constat ex Sacra Scriptura, 1 Cor. vi. 9.

Est etiam intrinsece malum quia est contra bonum prolis. Proles enim humana indiget cura non tantum matris sed et patris, a quo est instituenda et defendenda. Homines autem nollent educare prolem de qua incerti sunt utrum sit propria, esset tamen talis incertitudo si adesset vagus concubitus. Unde debita educatio prolis indiget perpetua conjunctione maris et feminæ, et excludit vagum concubitum seu fornicationem. Nec obstat quod in casu aliquo particulari fortasse satis de prole educanda a patre certo vel divite provideretur, quia lex respicit ordinarie contin-

gentia de quibus etiam argumentum procedit. S. Thomas, II-II. q. 154, a. 2.

Unde juste condemnata fuit prop. 48, ab Inn. XI.

§ 2. *De Stupro.*

Stuprum est violatio seu oppressio mulieris, ipsa invita. Ita recentiores plures stuprum definiunt, alii dicunt esse deflorationem *virginis* ipsa invita; cum vero satis probabiliter circumstantia *virginitatis* violatæ sit mere materialis nec mutet speciem peccati, prior definitio præferenda videtur. Alii etiam aliter terminum definiunt. Bucceroni, I. n. 790.

Addit stuprum malitiæ fornicationis aliam malitiam gravem contra justitiam in confessione exprimendam, obligantem ad restitutionem quantum fieri potest. Nulla quidem restitutio debetur pro integritate corporis violata, sed injuriam illatam reparare debet stuprator vel mulierem ducendo, vel eam dotando ut æque bene nubat ac si non esset violata. S. Alphonsus, III. n. 640. Lege Anglica stuprum vocatur *rape*, et pœnali servitute pro tota vita puniri potest. Encycl. of Laws, s.v. Rape.

§ 3. *De Raptu.*

Raptus est violenta abductio personæ de loco tuto libidinis explendæ causa.

Unde crimen raptus, de quo solo hic agitur, differt a raptu qui est impedimentum dirimens matrimonii. Trid. XXIV. c. 6, de Ref. Matr. Crimen

enim raptus committitur abductione cujusvis personæ, sive feminæ sive masculi, causa libidinis explendæ, non matrimonii; et committitur si vis inferatur sive personæ abductæ, sive iis sub quorum potestate constituitur, scilicet parentibus, custodibus, viro.

Raptus peccatum est contra castitatem et etiam contra justitiam, propter vim illatam personæ raptæ, vel iis quibus subest, vel utrisque.

Lege nostra vocatur *abduction*, et graviter puniri potest. Encycl. of Laws, s.v. Abduction.

§ 4. *De Adulterio.*

Adulterium est copula cum alterius conjuge.

Præter malitiam contra castitatem, est etiam peccatum contra justitiam conjugi inalienabiliter debitam, cui adversatur etiamsi conjux consentiat. Prop. 50 damn. ab Inn. XI.

Si uterque adulter sit conjugatus adest duplex malitia contra justitiam in confessione necessario declaranda. Adulterium committitur a conjugato non tantum copula sed quocumque peccato externo contra castitatem, bestialitate, sodomia, etiam cum propria uxore commissa ex sententia communi, pollutione, osculis et tactibus impudicis, quæ peccata omnia injuriam inferunt conjugi.

§ 5. *De Incestu.*

Incestus est concubitus cum consanguineis aut affinibus inter gradus ab Ecclesia pro matrimonio

prohibitos. Est contra castitatem et pietatem. Sat probabiliter omnes incestus quoad gradus consanguinitatis vel affinitatis sunt ejusdem speciei, excepto primo gradu consanguinitatis in linea recta. S. Alphonsus, III. n. 448.

Non adest cognatio legalis in hac regione, ac proin raro oriri potest quæstio de incestu inter cognatos legales; incestus inter cognatos spirituales est contra reverentiam sacramenti, et specie ab aliis differt.

§ 6. *De Sacrilegio.*

Sacrilegium, quatenus est luxuriæ peccatum, est violatio personæ, loci, rei sacræ, per actum venereum. De eo sufficienter jam dictum est ubi de sacrilegio.

Articulus II.

DE PECCATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

§ 1. *De Mollitie.*

Mollities, seu voluntaria pollutio, est voluntaria seminis humani extra copulam seu concubitum effusio.

Dicitur *voluntaria*, nempe in se vel in causa, ut distinguatur ab involuntaria, quæ ex variis causis oriri potest, præsertim naturaliter in somno, et quæ ut patet non est peccatum, nec virginitati nocet. S. Thomas, II-II. q. 154, a. 5; q. 152, a. 1, ad 4; Capellmann, p. 81.

Seminis, quod est humor viscosus qui elaboratur

in testiculis et fœcundat ovulum muliebre. Alius est humor cujus effusio vocatur *distillatio*.

Mulieres semen non effundunt; completam tamen et satiativam voluptatem veneream experiri possunt non tantum in copula, sed etiam solitarie sicut mares, quam comitatur exsudatio quædam, sed non semper effusio ad extra, unde caute a confessariis interrogandæ. Eschbach, p. 484.

Ab hac voluptate venerea apud feminas quam comitantur motus clitoridis, erethismus partium genitalium, et spasma quoddam cum exsudatione humoris, sedulo distinguenda sunt menstrua quæ omnes feminæ patiuntur sine voluptate venerea, singulis fere mensibus, post pubertatem adeptam usque ad menopausim quæ vocatur. Eschbach, pp. 47, 477.

I. Mollities est intrinsece mala et grave peccatum. 1 Cor. vi. 10; Prop. 49 damnata ab Inn. XI.

Ratione etiam constat quia est graviter contra bonum individui et societatis; repetita enim ordinarie mox sanitatem mentis et corporis destruit, et si esset licitum voluptatem veneream completam solitarie quærere, homines matrimonium cum omnibus suis incommodis non inirent, cum ruina generis humani. Et debet semper in omnibus circumstantiis prohiberi, aliter propter maximam proclivitatem hominum ad istud peccatum fingerent talem et talem casum esse exceptionem in qua sibi indulgere sit licitum. Unde semper et absolute prohibetur.

Malitia specialis hujus peccati consistit in frus-

tranea seminis effusione contra naturæ ordinem; hoc est, prohibetur non quia mere *frustranea effusio* seminis, aliter copula esset illicita inter conjuges senes, steriles, et quando nulla est spes prolis; sed *frustranea* ex eo quod sit contra naturæ ordinem, ad quem ordinem spectat tum finis seu generatio prolis, tum medium seu congressus maritalis. Ballerini, VI. n. 110.

II. Mollities, utpote intrinsece mala, numquam est licita ob finem quemcumque. Igitur etiamsi voluptatis venereæ intentio et approbatio desit, ne vitæ quidem salvandæ causa licet intendere et procurare pollutionem. Castitas vero nullo modo homini nocet, imo potius prodest sanitati. Sanchez, de Matr. IX. d. 17, n. 15; Lessius, IV. c. 3, dub. 14, n. 95; Ballerini, VI. n. 120; Lehmkuhl, I. n. 874.

III. Juxta S. Alphonsum pollutio spadonum et puerorum impuberum nihil differt a pollutione adultorum. Quatenus autem tales verum semen non habent, alii dicunt peccatum solitarium istorum reduci ad tactum impudicum. Bucceroni, I. n. 812.

IV. Quidam dubitaverunt utrum hæc sententia probabilis aliquorum qui dicunt peccatum solitarium impuberum posse reduci ad tactum impudicum, non possit extendi ad peccatum solitarium consummatum mulierum, ita ut non sit necessarium eas interrogare de peccato forte consummato quando tactum secum impudicum confitentur.

Communis tamen veterum et recentiorum theologorum sententia dicit peccatum consummatum solitarium mulierum specie differre a tactu impudico, et esse sensu proprio pollutionem seu molli-

tiem. Ratio est, quia quamvis semen non emittant, solitarie tamen capaces sunt delectationis venereæ completæ, quæ procuratur commotione et exsudatione partium genitalium, quam sequitur prolapsus et quies sicut apud mares. Unde mollities apud feminas accidentaliter tantum differt ab eodem peccato apud mares. Struggl, VII. q. 4, a. 7, n. 74; Lehmkuhl, I. n. 873; Ballerini, VI. n. 111; X. n. 606.

V. Non mutatur species peccati sive quis propriis manibus, sive ope instrumenti, sive bestia quadam, sive alio homine vel femina dormiente, excluso in his casibus concubitu, se polluit; secus dicendum, ut patet, ratione cooperationis, si complex homo vel femina sit vigil.

Ratio est, quia, quando abest concubitus, affectus adest ad pollutionem, et tantum materiale est quo medio procuretur. S. Alphonsus, III. n. 467.

VI. Semen non corrumpitur nec nocet retentum, et si aliquod incommodum ex abundantia seminis provenit, cito cessat, vel natura remedium nocturnis pollutionibus providet. Ballerini, VI. n. 123; Capellmann, p. 82.

VII. Communiter dicunt theologi non esse obligationem impediendi pollutionem involuntarie cœptam vel in vigilia vel in somno, seclusa cooperatione et periculo consensus. S. Alphonsus, III. n. 479; Elbel, n. 275; Lehmkuhl, I. n. 876.

VIII. Si ratione fragilitatis specialis actio venialiter mala in genere luxuriæ gravem influxum exercet in aliquem, probabiliter non est obligatio, secluso proximo periculo consensus, sub gravi ab ista actione abstinendi.

Ratio est, quia subjectiva dispositio non potest mutare naturam actus, et effectus debetur in tali casu potius fragilitati personæ quem causæ quæ per se ex hypothesi leviter tantum in effectum influit; præterea si talis persona teneretur sub gravi tales causas removere innumeris scrupulis et anxietatibus exponeretur, quod sufficit ad eum excusandum a gravi peccato si tales causas non evitet. Bucceroni, I. n. 822.

§ 2. *De Sodomia.*

Sodomia est actus venereus completus in vase indebito, et est peccatum gravissimum contra naturam. Concubitus alicujus cum eodem sexu et copula per anum est sodomia perfecta, concubitus diversorum sexuum et copula per anum est sodomia imperfecta, quæ specie a priori differt. Si sodomia reservatur nisi aliud expresse a reservante declaratur intelligitur sodomia perfecta.

Plures tamen theologi docent sodomiam consistere in concubitu ad indebitum sexum, ita ut sit indifferens qua parte coeatur, si fiat applicatio membri virilis ad sexum indebitum cum pollutione. Quæ sententia sane est probabilis, imo ut aliqui dicunt communis, unde sufficit si confessarius intelligat fuisse concubitum cum affectu ad sexum indebitum et cum pollutione, nec est necessarium inquirere de modo coeundi. S. Alphonsus, III. n. 466.

Probabile est specie non distingui peccatum agentis et patientis, si ex utraque parte adfuerit pollutio.

§ 3. *De Bestialitate.*

Bestialitas est concubitus cum bestia.

I. Dummodo adsit pollutio, indifferens est utrum bestia sit masculina vel feminina, qua specie sit, vel qua parte coeatur, cum malitia hujus peccati consistat in accessu ad diversam speciem quacum generatio haberi non possit. S. Alphonsus, III. n. 474.

II. Gravius est peccatum quam etiam sodomia, cum non servetur eadem species, ne dicam eumdem sexum et vas debitum. Sodomia et bestialitas vocantur apud nos—*Abominable Crime*—et graviter lege anglica puniuntur. Encycl. of Laws, s.v. Abominable Crime.

Sectio VII.

DE SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Septimum Decalogi præceptum est,—*Non furtum facies*,—et decimum,—*Non concupisces domum proximi tui, . . . non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Exod. xx. 15, 17.

Septimum sub nomine *furti* prohibet omnem injustam læsionem proximi in bonis fortunæ, decimum prohibet peccata interna concupiscentiæ injustæ. Materia igitur utriusque pertinet ad virtutem justitiæ de qua nunc est agendum.

Pars I.
De Justitia.

CAPUT I.

NOTIONES PRÆVIÆ.

§ 1. *De Justitia et Jure.*

Justitia aliquando significat collectionem virtutum, ut apud Matt. v. 20, *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quatenus vero est virtus specialis, a S. Thoma post jurisperitos definitur: Perpetua et constans voluntas, jus suum unicuique tribuens. (II-II. q. 58, a. 1.)

Perpetua et constans voluntas—quibus significatur habitus voluntatis, seu habitus qui est in voluntate

tamquam in subjecto, non in intellectu, nec merus actus.

Jus—quod constituit objectum justitiæ (*Right*), et est *justum* quod alteri debetur, si passive sumitur. Jus active sumptum, seu debiti titulus, est potestas legitima aliquid agendi, obtinendi, disponendi, utendi, ut sunt jus facultates naturales exercendi, jus sustentationis corpori obtinendæ, rebus propriis utendi, vel de iis disponendi.

Jus iterum est vel jus *in re* vel jus *ad rem*. Prius est quo res aliqua determinata titulo aliquo hic et nunc alicui devincitur ita ut sit sua. Posterius est quo quis titulum justitiæ habet ut res aliqua fiat sua. Cfr. Crolly, I. n. 139; Molina, II. d. 2, n. 1.

Unicuique tribuens—hinc justitia debito satisfacit, alteri jus tribuendo, seu servat æqualitatem inter unum et alterum, seu est ad alterum, ut loquitur S. Thomas, II-II. q. 58, a. 2. Et ita differt a ceteris virtutibus moralibus, quarum est hominem in seipso ordinare. (ib. a. 7.) Aliis verbis, dum ceteræ virtutes morales respiciunt *medium rationis*, quod præscribunt servandum pro diversis circumstantiis diversum, justitia præscribit servandum etiam *medium rei*, seu adæquat debitum quod inest alteri ut tantum, nec plus nec minus, ei detur. Sic caritas præscribit eleemosynam dandam variam pro necessitate indigentis, et capacitate dantis; justitia exigit ut id tantum detur quod debetur. Hoc igitur sensu proprium est justitiæ ut sit ad alterum.

Diverso tamen modo homo ordinatur ad communitatem in qua vivit, ac communitas ad singulos qui eam componunt, et singuli ad singulos. Hinc

diversa sunt debita hominis erga communitatem, erga alios singulos, et communitatis erga singula ejusdem membra. Quibus diversis debitis respondent diversa jura, et quatenus sunt diversa jura, erunt etiam diversæ species justitiæ quæ diversa jura respiciunt, nam virtutes specificantur ab actibus, qui ab objecto formali specificantur.

Ea autem justitia quæ ordinat hominem ad communitatem in qua vivit, seu ad communitatis caput, vocatur justitia *legalis*, cujus mensura est necessitas communitatis, nam communitas eatenus tantum habet jus ad actiones et bona singulorum membrorum quatenus necessarium est ad bonum commune. Objectum justitiæ legalis vocatur jus *altum*.

Ea justitia quæ ordinat communitatem vel hujus caput ad singula membra communitatis vocatur justitia *distributiva*. Versatur circa communia bona vel onera distribuenda juxta rationem meriti uniuscujusque; seu servat proportionem geometricam. S. Thomas, II-II. q. 61, a. 2.

Ea denique justitia quæ ordinat unam personam privatam ad aliam vocatur justitia *commutativa*, et præcipue, ut nomen importat, versatur circa emptiones et venditiones et alias commutationes. Præscribit æqualitatem servandam inter rem et rem, seu servat proportionem arithmeticam, ut loquitur S. Thomas loco citato.

Quando vero dicitur justitiam commutativam ordinare unam personam privatam ad aliam, non significatur hanc speciem justitiæ tantum versari inter homines singulos, sed significatur versari inter

eos, sive singulos sive corpora moralia, qui ita sunt distincti ut unus non sit pars alterius, unde possit existere inter eos perfecta alteritas. Sane princeps potest peccare contra justitiam commutativam inique distribuendo honores et onera communia ratione damni communitati illati vel contractus cum communitate violati; et subditus peccat contra justitiam commutativam furando pecuniam ex ærario publico.

Violatio justitiæ, sive legalis, sive distributivæ, sive commutativæ per se et ex genere suo est grave peccatum. Nam quidquid contrariatur caritati est per se mortale; sed violatio justitiæ caritati contrariatur. S. Thomas, II-II. q. 59, a. 4.

§ 2. *De Dominio.*

Dominium jurisdictionis ab aliquibus dicitur pro *jure* jurisdictionis. Jurisdictio autem est potestas superioris aliquid ordinandi in bonum subditorum, seu est potestas regendi subditos. Stricte *dominium* dicitur de proprietate, de jure quod *dominus* habet in re sua, et hoc *dominium proprietatis* definitur—Potestas moralis disponendi de aliqua re tamquam sua.

"Sunt qui dicant," ait Ballerini, VIII. pt. 1, n. 55, "dominium converti omnino cum jure *in re*. Sed hæc dominii acceptio est nimis lata." "Porro id notum est," inquit Laymann, lb. iii. tract. 1. c. 5, n. 1, "quod jus in re latius pateat, quam dominium. Nam pignoris, v.g., aut hypothecæ jus reale est, licet dominium rei ad alterum spectet."

Dominium proprietatis vero est vel *perfectum* seu *plenum* vel *imperfectum*. Prius est—Potestas legitima percipiendi ex re aliqua omne commodum suæ libertatis. Posterius est—Potestas legitima percipiendi ex re aliquod, non tamen omne commodum suæ libertatis. Hoc vero vocatur *directum*, si est potestas legitima in substantiam rei sine fructibus; *indirectum* seu *utile* si est potestas legitima percipiendi fructus et emolumenta ex re aliena, salva ejus substantia.

Qui dominio perfecto seu pleno gaudet, potest re uti, vel etiam sine injustitia abuti, quoquo modo sibi placuerit. Sic qui dominus perfectus est annuli pretiosi potest eum gerere, vel commodare, vel vendere, vel donare, vel etiam salva justitia eum in mare projicere pro libitu. Nec quid de dominio pleno amplius hic dicendum.

Dominii vero imperfecti tot possunt esse species quot diversas utilitates et eis fruendi modos res aliqua habet. Sic diversæ sunt species proprietatis seu dominii imperfecti quod quis juxta leges Anglicas potest in bonis immobilibus habere. Nam juxta leges nostras nequit subditus dominium plenum in rebus immobilibus habere; harum enim dominium directum ad coronam pertinet.[1]

[1] "The English law knows of no absolute ownership in realty, it recognizes only an estate in such property, and the word 'estate' in this sense has a meaning strictly in accordance with its derivation (viz., Latin *status*), the condition or *relation* in which the so-called owner *stands* with regard to his land. 'Estate signifies such an inheritance, freehold term of years . . . or the like as any man hath in lands or tenements, and by a grant of his estate as much as he

Dominii imperfecti species in rebus immobilibus quas quis juxta leges Anglicas habere seu tenere potest sunt—*an estate in fee simple, in fee tail, for life, for years, at will, at sufferance, in possession, in remainder, in reversion*, etc., quarum domini diversis juribus gaudent, de quibus tamen melius est ut consulantur jurisperiti. In rebus mobilibus potest subditus lege nostra habere tum dominium perfectum tum dominium imperfectum in omnibus suis speciebus.

Exempla dominii imperfecti ex jure Romano et ecclesiastico sunt—Usus, Habitatio, Ususfructus, Servitus.

Usus definitur: Jus utendi rebus alienis, salva earum substantia tum quoad materiam, tum etiam quoad formam. Habitatio est; Jus alienas ædes inhabitandi, salva earum substantia. Ususfructus est: Jus utendi et fruendi aliqua re, fructus ex ea percipiendo, salva tamen ejus substantia tum quoad materiam, tum etiam quoad formam.

Quum vero nec eædem plane notiones nec eadem præscripta in lege nostra inveniantur, non vacat plura de eis disserere. Crolly, I. n. 173.

Servitus, active et generice sumpta, est jus quod inest cuipiam, ut alterius res, aut alia persona, rei

can grant shall pass.' (Co. Lit. 345)." (*Encyclop. of Laws of England*, s.v. Estates.)

"An estate in fee-simple is the greatest estate or interest in real property that the English law recognizes in the subject; and it is its two salient features of descent and alienability that give it this high value and make it practically equivalent to absolute ownership." (*Encyclop. of Laws*, s.v. Estates of Inheritance. Cf. Williams, *Real Property*, p. 17.)

suæ vel sibi serviat: servitus vero passive sumpta est obligatio rei alienæ, vel personæ prædicto juri correspondens. Est *personalis* quæ a persona personæ debetur; *realis* quæ rei a re debetur; *mixta* quæ a re debetur personæ. Servitutibus realibus et mixtis aliquo modo correspondent nostra *Easements* et *Profits à prendre*, de quibus aliquid erit dicendum postea ubi de præscriptione. Crolly, I. n. 415.

§ 3. *De Possessione.*

Possessio est proprie factum aliquod habens effectus juridicos, et quidem magni momenti. Definitur—Rei apprehensio vel detentio, corporis, animi, et juris adminiculo. Molina, II. d. 12; Lessius, lb. ii. c. 3. dub. 9.

Rei,—non tantum corporeæ ut agri, sed et incorporeæ ut juris viæ, quod dicitur *quasi-possideri.*

Apprehensio vel detentio,—priori actu possessio incipitur, altero continuatur.

Corporis—debet enim fieri actu corporeo manus, pedis, v.g., quo res in se vel in alio apprehenditur, ut cum possessio rerum datur per traditionem clavium quibus custodiuntur.

Animi—scilicet habendi rem ut suam.

Jure Romano requirebatur in possessore animus domini. Lege Anglica ad possessionem non quidem sufficit tenere rem nomine alieno, ut famulus custodit res sui heri quin tamen eas possideat, nec requiritur animus domini quia lege nostra depositarius, sicut alii *bailees*, depositum possidet; videtur autem

requiri et sufficere animus possidendi ut suum illud jus in re quod ad possessorem pertinet. Holland, *Elements of Jurisprudence*, p. 163.

Juris adminiculo—saltem non resistentis, non prohibentis possideri.

Possessio *vera* multum differt a possessione *legitima*, et hæc a *justa*. Sic furis possessio rei furtivæ est *vera*, si rei non prohibitæ possideri; possessio rei furtivæ ab eo qui eam emit in *market overt* est legitima, et si bona fide egerit etiam justa. Marc. I. n. 849; Holland, *Elements of Jurisprudence*, 3rd Edit. p. 157.

Possessio dividitur in *naturalem*, *civilem*, et *civilissimam*. Naturalis est qua res possessa corpore et animo retinetur ut sua. Civilis qua res corpore et animo apprehensa retinetur solo animo. Civilissima quæ sola legis dispositione retinetur, absque omni animi et corporis adminiculo; ita successor regis mortui regnum statim post mortem ejus possidet, similiter hæres hæreditatem. Crolly, I. n. 353.

Quatenus omnes sunt maxime diligentes in rebus suis custodiendis, qui bona fide et titulo saltem existimato vel præsumpto rem aliquam possidet ejus dominus recte præsumitur, nisi constat alium esse verum dominum. Hinc consentanea omnino juri naturali fuerunt emolumenta possessioni legitimæ concessa jure Romano, quod generaliter in hac re secuta est lex Anglica. *Encyclop. Brit.* s.v. Possession; Holland, pp. 157, sqq.

Hinc: 1. Capiendo possessionem rei nullius ejus dominium acquiritur. 2. Possessor bonæ fidei,

elapso tempore lege definito, rem præscribit. 3. Possessor bonæ fidei, suborto dubio an res sit sua, si contrarium non potest certo probari, potest illam tuta conscientia retinere. 4. Possessor bonæ fidei, si rem alienam consumpsit, errore detecto, non tenetur restitutionem facere. Si quos tamen fructus rei alienæ in se vel in æquivalenti adhuc retinet, hos restituere tenetur. 5. Contra possessorem requiritur plena probatio actoris, cui theologi communius docent onus incumbere probandi rationibus convincentibus jus suum certum; lege tamen Anglica videtur sufficere ut probet jus probabilius se habere. (Pollock and Wright, Possession, p. 93.) 6. Possessor bonæ fidei potest rem possessam vi defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. 7. Res mobilis alteri vendita, si venditor rem ipsam adhuc in sua possessione manentem, vel documenta quæ titulum probant, tertio bona fide existenti vendit et tradit, hujus fit. Indermaur, p. 145.

CAPUT II.

DE OBJECTO DOMINII.

Tradita notione juris et dominii tractandum est de objecto dominii.

I. Homo non habet dominium directum propriæ animæ, corporis, membrorum, sed tantum dominium utile.

Ratio 1ª. Quia dominium habere implicat superioritatem et inferioritatem, nemo autem potest esse superior sui ipsius. *Dominus* est terminus relativus sicut *pater*, *magister;* unde sicut nemo potest esse pater sui ipsius, ita nec dominus.

2ª. Constat ex Sacra Scriptura Deum sibi reservasse dominium directum hominis. Deut. xxxii. 39; Sap. xvi. 13.

Hominem vero habere dominium eorum utile patet ex eo quod licite potest suo corpore, membris, facultatibus uti; ei enim ista dantur ut operando bene vivat et mereatur vitam æternam.

Unde suicidium et mutilatio propria sunt contra jus divinum.

II. Unus homo non potest esse objectum dominii directi alterius, potest vero esse objectum dominii indirecti seu utilis.

Prima pars constat ex eo quod Deus sibi reservavit dominium directum hominis, nec illud alteri tradidit. Homo ad solum Deum ordinatur, est persona, independens, libera, habens jura a ceteris

hominibus independentia, non est res quæ ordinatur in utilitatem aliorum.

Altera pars probatur, quia homo est dominus suarum actionum, ac proinde potest ut dominus transferre jus ad suas actiones alteri, qui habebit prioris dominium utile. Unde servitus non est illicita jure naturali. Equidem ex variis titulis induci potest: (1) Ex pacto; (2) Ex jure belli; (3) Ex delicto; (4) Ex nativitate in statu servitutis.

III. Commercium nigritarum ordinarie est illicitum, vel quia nigritæ injuste privantur libertate, vel quia conjuges a conjugibus, parentes a liberis contra jus naturale separantur.

Per se tamen licet vendere jus quod quis habet in operas alterius.

IV. Quivis est dominus propriæ famæ, utpote adeptæ labore proprio, cujus homo est dominus. Hinc potest homo sine injustitia se ipsum infamare; requiritur sub veniali justa causa, nam non licet prodigere bona etiam propria, et peccatur ut patet, si fit cum scandalo vel infamatione aliorum. S. Alphonsus, III. n. 983.

V. Homo potest habere dominium perfectum in animalia irrationalia et cetera bona creata. Nam creata sunt propter hominem, ut constat ex S. Scriptura, et tradita ei fuerunt sine limitatione a Domino Creatore. (Genesis i. 29; ix. 3.) Hinc potest libere de eis disponere, et non peccat contra justitiam eis abutendo propriis, quamvis potest peccare ex alio capite, et contra rectam rationem si animantia crudeliter tractat. O'Dea, n. 397; Lessius, *De Just.* II. c. 9, dub. 1.

CAPUT III.

DE SUBJECTO DOMINII.

§ 1. *De Subjecto Dominii in Genere.*

In tota hac materia attendendum est non tantum ad jus naturale sed etiam ad jus positivum ecclesiasticum et civile, quum constet jus positivum posse ad bonum commune jura concedere vel auferre, ea limitare vel extendere. Lehmkuhl, I. n. 887.

I. Omnis et sola substantia intellectualis dominii est capax; ratio est quia sola talis potest libere disponere de re tamquam sua.

II. Deus quidem habet absolutum, supremum, independens dominium in res omnes creatas.

III. Homo quivis etiam infans, etiam amens capax est dominii sub supremo Dei dominio; usus enim rationis necessarius quidem est ad disponendum de re cujus quis est dominus, non vero ad habituale dominium habendum; et naturalis legis necessitate, et legis positivæ dispositione dominium acquiritur et retinetur sine ullo actu voluntatis. Lugo, III. n. 16; Stephen, I. p. 143, n.

Socialismus qui aufert dominium privatum est systema ineptum et injustum. Encycl. Leon. XIII. *Quod Apostolici muneris*, 28 Dec. 1878; *Rerum novarum*, 15 Maii, 1891.

IV. Communitates seu personæ morales sua jura

naturaliter habent a juribus singulorum membrorum distincta, aliquibus enim mediis indigent ad finem obtinendum, ad ea igitur jus habent; et ob bonum commune auctoritas suprema potest societates seu collegia constituere, eisque jura convenientia tribuere. Lehmkuhl, I. n. 756.

§ 2. *De Dominio Filiorumfamilias.*

Filiusfamilias dicitur qui adhuc paternæ potestati subjacet. Antiquiores theologi secuti jus Romanum bona filiorumfamilias quadrupliciter diviserunt, in peculium *castrense*, ex acquisitis in bello; in *quasi-castrense*, ex acquisitis ratione publici muneris; in *profectitium*, ex acquisitis e rebus patris vel ejus intuitu; et in *adventitium*, quod omnia aliunde acquisita complectebatur. Duo priora pertinebant ad filium quoad proprietatem et administrationem; profectitium ad patrem, adventitium ad patrem quoad usumfructum, ad filium quoad proprietatem. Lugo, V. n. 14.

Quæ sequebantur ex patria potestate qua in filios ac in eorum bona gaudebat pater. Quatenus tamen, ut ait Lugo, V. n. 1: "Patria potestas est jus quoddam, quod habet pater in filios, et in eorum bona, quod quidem non est de jure naturali vel divino, sed de jure civili Romanorum, quare consuetudine, vel legibus provinciarum abrogari in totum, vel in partem potest;" videndum est quid de hac re dicendum juxta leges municipales nostras et jus naturale.

I. Quatenus igitur filius sicut alius homo capax est dominii, quidquid ipsi jure hæreditario, vel donatione, vel proprio labore vel quovis alio titulo obvenit, ad ipsum pertinet.

II. Pater, qua pater, nullum jus habet in bona propria filii; nisi tamen alius legitime constituatur, ipse erit custos bonorum filii minoris, quæ tenebitur administrare in commodum filii usque ad ejus emancipationem. Eversley, p. 570.

Minor vero emancipatur quando annum vigesimum primum attingit, vel quando matrimonium init, vel quando relinquit domum paternam et ratione occupationis cessat patri subesse, ut si minor adultus fit miles vel famulus alterius. Eversley, p. 598.

III. In necessitate parentis tenetur filius, si potest, eum sustentare tum jure naturali, tum lege nostra juxta mandata judicum. Stephen, III. p. 61.

IV. Si filius in domo paterna sustentatur, si quid labore proprio acquirit, pater hoc sumere potest usque ad annum decimum sextum, sic enim aliquatenus sustentatio compensabitur. Imo postea pater sane non tenetur eum gratis sustentare, et si filius pretium laboris extra domum acquisitum patri tradit, vel in domo paterna sine remuneratione laborat censetur juri suo cedere, nisi constet de contrario ex contractu speciali. Eversley, p. 573.

§ 3. *De Dominio Uxorum.*

Ex eo quod mulier est nupta, per se et ex jure naturali non perdit capacitatem dominii habendi

quam antea possidebat. Attamen sæpe lege positiva hæc naturalis capacitas matrimonio fuit diminuta. Sic ante Married Women's Property Act, 1870, *freehold estate* ante vel post matrimonium a muliere possessus, durante matrimonio, mariti et uxoris fiebat, usufructus vero et administratio ad maritum pertinebant. Ac si uxor quod vocatur *an estate of inheritance* possidebat, et proles fuit nata capax ad hæreditatem succedendi, uxore demortua intestata *the estate* fiebat mariti (*tenant by the curtesy of England*) durante ejus vita.

Uxoris *leaseholds* fiebant mariti. Bona etiam personalia (*personal chattels*) uxoris, mariti fiebant, sicut quoque *choses in action* quando in possessionem fuerint redactæ. (v. Stephen, II. p. 277.) Per legem tamen Married Women's Property Act, 1870, lex antiqua fuit modificata, ac tandem alia lege Married Women's Property Act, 1882, omnino fere abrogata.

I. Vi hujus legis feminæ nuptæ post diem primum Januarii 1883 dominium retinent omnium bonorum jam possessorum, vel quæ postea quoquo titulo, nomine proprio, acquirent, quod etiam statuitur de bonis ab uxoribus post dictum diem acquirendis quamvis ante istud tempus in matrimonio fuerant junctæ.

Nunc igitur vix ullum jus maritus retinet in bona propria uxoris viventis; attamen jura quæ antea possidebat in bona uxoris mortuæ adhuc videntur permanere, si uxor mortua est intestata. Eversley, pp. 352, 378.

Proinde eo casu (1) maritus fit *tenant by the curtesy, i.e., he is entitled to hold for his life all the lands and*

tenements of which he and she were seized in deed in her right for an estate of inheritance; (2) post administrationem assumptam obtinet ejus jura, credita et bona (*chattels real and personal*).

II. Uxor vero non tantum retinet propria sed post mortem mariti jus habet durante vita, nisi aliter fuerit a marito dispositum, ad tertiam partem *of all the lands and tenements of which he was seized in fee simple or fee tail at any time during the coverture, and of which any issue that she might have had could have been heir*, quod vocatur *dower;* cuidam parti etiam bonorum mortui mariti intestati succedit vidua ex *Statutes of Distribution;* ac præterea vivente marito ejus expensis ad sustentationem propriam et liberorum et ad necessaria juxta conditionem vitæ jus uxor habet. Stephen, II. p. 282; Encyclop. of Laws, s.v. Husband and Wife.

III. Si tamen maritus sit in necessitate constitutus, uxor quæ propria habet tenetur eum sustentare, et nihil prohibet quominus pacta de bonis ad onera communia ferenda ante vel post matrimonium a conjugibus ineantur, quin potius eis lex favet. Stephen, II. p. 289; Eversley, p. 246.

Quoad capacitatem religiosorum dominii habendi agitur in tractatu de statibus particularibus.

§ 4. *De Ecclesiæ Dominio.*

Non tantum personæ naturales sed etiam personæ artificiales, seu societates, seu collegia (*corporations*), dominii sunt capaces. Et quatenus Ecclesia jure divino est societas perfecta, inde-

pendens, visibilis, indiget et jus habet ad dominium rerum temporalium non tantum mobilium sed et immobilium. Cf. prop. 10, 32, 33 Wickleffi, et prop. 26 Syllabi.

Quod jus nequit auferri nec limitari jure municipali. Marc. n. 874.

Non tantum Ecclesia universalis tamquam societas religiosa suprema, sed etiam quibus ipsa indulserit ut societates subordinatas efforment eodem jure dominii habendi gaudent. Omnia quæ possident vel Ecclesia universalis, vel ecclesiæ particulares vel pia instituta vocantur bona ecclesiastica. Quamvis variæ dantur sententiæ de subjecto in quo resideat dominium bonorum ecclesiasticorum (Crasson, n. 5272), videtur dicendum cum communi sententia dominium eorum bonorum esse penes communitatem Clericorum cujusque Diœcesis, vel penes communitatem religiosam vel pium institutum in quorum usum sunt tradita et applicata; altum dominium vero pertinere ad Ecclesiam universalem. Administratio bonorum ecclesiasticorum pertinet ad eos parochos, religiosos, episcopos qui legitime præficiuntur, suprema tamen administratio est penes Romanum Pontificem. Struggl, *De Jure et Just.* q. v. n. 30; S. Thomas, II-II. q. 100, a. 1, ad 7.

Fructus bonorum ecclesiasticorum sunt applicandi juxta offerentium voluntatem ex Clem. *Quia contingit, de relig. dom.* Alienari non possunt bona ecclesiastica immobilia vel mobilia pretiosa sine licentia Sedis Apostolicæ ex Extrav. *Ambitiosæ,* et ex Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis,* n. iii. quartæ seriei.

§ 5. *De Dominio Clericorum.*

Bona clericorum quadruplicis generis distinguuntur: 1° *Patrimonialia*, quæ proveniunt ex paterna hæreditate, aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione, etc. 2° *Quasi-patrimonialia*, quæ acquiruntur occasione et intuitu functionum, quas clericus exercet, v.g., stipendia Missarum, prædicationum. 3° *Ecclesiastica*, ex redditibus beneficiorum. 4° *Parcimonialia* quæ clericus seponit parce vivendo, et quæ honeste vivendo consumere posset.

Clerici perfectum dominium habent bonorum patrimonialium, quia clericus per se sicut alius dominii est capax, nec ulla lege restringitur ejus capacitas; etiam bonorum quasi-patrimonialium quia sunt fructus propriæ industriæ; etiam parcimonialium, quia clerici habent jus strictum ad honestam sustentationem, ac proinde quidquid ex honesta sustentatione subtrahunt parcius vivendo manet in eorum libera dispositione; unde de his omnibus bonis libere possunt clerici disponere et testari.

Quoad ecclesiastica bona, quatenus in hac regione pauca sunt beneficia, ac plerumque ecclesiæ, scholæ, missionarii sustentantur oblationibus fidelium, videndum est quid de his sit statuendum.

Quamvis "ubi Ecclesia bonis prædita sit, per quæ religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur" oblationes fidelium plerumque inter bona ecclesiastica non recenseantur, attamen, "longe aliud judicium esse debet ubi eam bonorum copiam

Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur." (Const. Leon. XIII. 8 Maii, 1881, *Romanos Pontifices.*) Monet igitur dicta constitutio oblationes factas intuitu causæ alicujus piæ rectori ecclesiæ, ipsi causæ piæ non rectori acquiri, rectoremque ecclesiæ esse solum istorum bonorum administratorem, ac proinde teneri eorum administrationis rationem reddere Episcopo. Oblationes utique factæ rectori ecclesiæ, intuitu personæ, acquiruntur ipsi juxta voluntatem offerentium; et regulas ad discernendum quænam oblationes sint factæ intuitu missionis ac proinde sint bona ecclesiastica, et quænam intuitu personæ et ipsi sint propria tradit Conc. West. II. d. viii., cui est standum ex dicta Const. Leon. XIII. *Romanos Pontifices.* v. Collect. S.C. de P.F. n. 422.

Ex isto decreto viii. Conc. West. II. sequentia præsertim ad rem nostram faciunt:

"I. Bona quæ a fidelibus in Religionis propagationem et decorem, cleri sustentationem, pauperum sublevationem aliosque pios usus erogantur, Deo et Ecclesiæ donata censentur; eorumque administratores seu curatores, sive viri ecclesiastici sive laici fuerint, nihil amplius quam eorum dispensatores, Deo ipsi reddituri rationem, sunt habendi. Cum igitur hic jam inter dispensatores quæratur ut fidelis quis inveniatur, de iis, quæ rectam bonorum ecclesiasticorum administrationem respiciunt in hac Synodo plenius nobis agendum videtur, quia præsertim in primo provinciali Concilio, rebus majoris momenti occupati, hujusmodi materiam ad tempus opportunius remiserimus.

"II. Igitur allaborandum ut omni modo determinetur (si dubium existat) intentio et animus donatoris vel testatoris alicujus fundi, et ut usui ab ipso definito ipsius fructus accuratissime applicentur. . . .

"IX. In omni missione pecuniæ quæ a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendæ sunt pro bonis Ecclesiæ, non pro muneribus datis sacerdoti. Ex ea namque pecunia non solum ejus honestæ sustentationi, sed et sumptibus religiosi cultus, manutentioni fabricæ, debitis, si quæ sint, solvendis, aliisque hujusmodi providendum est. . . .

"X. Diversas quidem methodos colligendi pecunias pro missionum sustentatione prævalere omnibus satis patet. Sequentes imprimis non improbandas censemus, donec melius per charitatem fidelium provisum fuerit. Sunt igitur:

"1. Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur ecclesiæ.

"2. Collectæ ad Offertorium in ecclesia factæ.

"3. Pro consuetudine generaliter in Anglia vigente, solutio nummi determinati juxta qualitatem loci occupandi, ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.

"4. Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei præcone, post quas generatim pro Ecclesia, vel pro aliqua ejus parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynæ, qui sæpe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt.

"5. Collectæ quæ vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos aut per societates et confraternitates, legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei nuncupata vel quæ a ditioribus, statutis temporibus aut singulis annis solvuntur. . . .

"Quidquid vero pecuniæ per ista media ad missionem confluit, non ad ipsum sacerdotem, sed ad totas missionis necessitates pertinere reputetur. Quidquid igitur supellectilis, sacræ vel domesticæ, ex his redditibus acquisierit sacerdos, vel quidquid in sarta tecta ædium sacrarum vel ædificiorum ad ecclesiam quomodocumque spectantium conservanda impenderit; non sibi, sed missioni providet, ex bonis ad eam pertinentibus.

"XII. Cum igitur sacerdos aliquis ad suam primo missionem accedit, accipiat a vicario foraneo, vel ab alio deputato ab Episcopo, inventarium omnium ad missionem pertinentium. Tenetur autem supellectilem et ædificia integra servare, imo potius meliorare, ut saltem successori tantum tradat quantum ipse accepit. Quod si, vel ad reficienda quæ vetustate obsoleta et squalida evaserunt, vel ad majorem locorum decorem nova seu venustiora provideret, distinguendum est, quonam ex fonte ista provenerint.

"1. Nam si ex proprio peculio, sive ex familiarium sibi bene affectorum donis, sive tandem ex ea parte proventuum Ecclesiæ quæ sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos hæc sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper

habita obligationis conservandi in bono statu ea quæ accepit.

"2. Si vero generatim proventibus Ecclesiæ, vel donis sive collectis congregationis, vel tandem ære ab Episcopo vel administratoribus rerum temporalium Diœceseos concesso, fuerint hæc conquisita, omnino missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti ea sibi vindicare.

"XIII. Communiter etiam censendum, nisi contrarium pateat, juxta regulam in jure traditam, ea, quæ ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse missioni donata. Ea vero quæ personalem habent usum, ipsi data reputantur, sicuti etiam res sacræ, si expresse veluti grati animi vel affectus pignus a congregatione sacerdoti cuivis donantur.

"XIV. Honoraria Missarum ad sacerdotis peculium pertinent. Similiter ubi viget usus, antiquus quidem in Anglia, temporibus solemnibus Paschæ et Nativitatis Domini, singulis sacerdotibus munuscula dandi, hæc ad ipsos de jure pertinent. . . .

"XV. De applicatione pecuniæ quæ ex juribus stolæ provenit, non una eademque praxis per totam obtinet Ecclesiam. . . . Proventus ex hoc fonte derivantes ordinario sacerdotibus adjudicentur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur. Anteferenda vero videtur cæteris ea distributio quæ magis ad allevanda onera missionis possit conferre.

"XVI. Dum igitur prohibemus ne aliquid petatur (multo magis exigi) ante Baptismatis vel Matrimonii celebrationem aut etiam post celebrationem veluti

de jure, remittimus prudentiæ Episcoporum ea in suis diœcesanis Synodis hac de re statuere quæ consuetudinibus et conditioni locorum visa fuerint magis apta." Cfr. Conc. Plen. Scotiæ I. d. xxvi.

De juribus igitur stolæ eorumque distributione servanda sunt statuta vel consuetudines diœcesium.

Fructibus beneficii stricte dicti clericus uti potest ad honestam sustentationem, superfluum tamen piis usibus applicare tenetur ex lege ecclesiastica, probabiliter vero non ex justitia; hinc ad restitutionem male applicans non tenetur. S. Alphonsus, III. n. 492.

§ 6. *De Dominio Auctorum.*

Quisque ex jure naturali habet jus ad fructus sui laboris et industriæ percipiendos; unde qui contra voluntatem auctoris librum manuscriptum surriperet et in lucem ad proprium emolumentum ederet, contra justitiam peccaret ac ad restitutionem teneretur ex ipsa lege naturali. Præterea si lex civilis concedat privilegium auctori ut ipse solus post editum librum possit iterum data opportunitate edere, tale privilegium maxime consentaneum est juri naturali, et ad conscientiam pertinet illud jus non violare, ut fere omnes docent tamquam moraliter certum. (Bucceroni, I. n. 877; Van Gestel, p. 148.) At si rogatur num, præscindendo a jure positivo, si quis invito auctore iterum librum in lucem ederet, contra justitiam peccaret, non una est doctorum responsio. Putamus cum Lehmkuhl, I. n. 904; Ballerini, VIII. pt. i. n. 115, aliisque multis,

esse affirmandum. Nam liber impressus ante venditionem pertinet dominio pleno ad auctorem vel bibliopolam. At dominus rei potest illam vendere alteri aliquid sibi reservando. Hoc ordinarie censetur facere dominus libri, ita ut emptori tradat libri substantiam et jus illo fruendi ad omnes usus, excepto jure illum iterum ipso invito in lucem edendi. Qui igitur hoc facit re non sua utitur et peccat contra justitiam.

Si tamen auctor non sit invitus, vel nullum ei damnum obveniat, qui iterum librum alienum edit non tenebitur ad restitutionem; unde facilius excusabitur editor libri alieni in terra longinqua, nam illuc fortasse exemplaria auctoris non essent perventura, et a fortiori qui librum in aliam linguam vertit.

Jus auctoris ad suum librum vulgandum vocatur apud nos *Copyright*, quod sic definitur in "The Copyright Act, 1842" (5 and 6 Vict. c. 45); "The word 'Copyright' shall be construed to mean the sole and exclusive liberty of printing or otherwise multiplying copies of any subject to which the said word is herein applied."

Ea quæ hac lege proteguntur ibidem, sec. 2, declarantur: "In the construction of this Act the word 'book' shall be construed to mean and include every volume, part, or division of a volume, pamphlet, sheet of letter-press, sheet of music, map, chart, or plan separately published."

Copyright tamen non restringitur ad ea quæ hic enumerantur, sed aliis legibus nunc conceditur etiam sequentibus: engravings or prints, sculpture,

models, busts, paintings, drawings, photographs, designs, dramatic and musical representations. Encyclop. of Laws, s.v. Copyright.

Regiones ubi hæc lex obligat ibidem habentur: "The words 'British Dominions' shall be construed to mean and include all parts of the United Kingdom of Great Britain and Ireland, the Islands of Jersey and Guernsey, all parts of the East and West Indies, and all the colonies, settlements, and possessions of the Crown which now are or hereafter may be acquired."

Jus idem etiam conceditur in illis externis regnis quæ post conventionem Bernensem (an. 1886) efformant *Copyright Union;* et in Statibus Unitis Americæ conditionibus servatis legis latæ anno 1891. Encyclop. of Laws, Append.

Lex Anglica hoc jus exclusivum auctori defendit ad vitam auctoris et septem annos ultra, vel ad annos quadraginta duos, quodcumque temporis spatium sit longius. Stephen, II. p. 38.

Principia theologica tradita de *Copyright* applicanda sunt etiam *Patent-right*, quod est jus simile inventoris circa aliquid a se noviter inventum vel fabricatum, quo jure gaudet inventor lege nostra ad annos quatuordecim, quod tempus extendi potest ad alios septem vel etiam quatuordecim annos in casibus particularibus. Indermaur, p. 199.

CAPUT IV.

DE TITULO DOMINII.

Hactenus egimus de dominio, de variis ejus speciebus, de juribus inde profluentibus; nunc inquirendum est quare quis rei dominium habeat, seu quare quis rem ut suam possidere possit et alios excludere, seu de titulo proprietatis vel dominii.

Titulus est causa ex se idonea ad dominium conferendum. Titulus autem oriri potest vel ex jure naturali vel gentium, vel ex jure positivo, vel ex privata voluntate.

Tituli ex jure naturali vel ex jure gentium reduci possunt ad occupationem et accessionem.

Articulus I.

DE OCCUPATIONE.

Occupatio est, realis apprehensio rei corporalis cum animo habendi eam ut suam; ut si feram manu vel reti capio.

Occupatio ex jure gentium est modus legitimus dominii acquirendi dummodo 1° Res occupata sit dominii privati capax et sit nullius; 2° Occupans velit rem facere suam, cum eam de facto apprehendit.

Fere omnia quæ dominii privati fieri possunt

jam in dominium alicujus sunt redacta, attamen quoad res perditas et fera animalia adhuc justus titulus per occupationem haberi potest. Hinc species occupationis, quæ dominium rerum dare possunt, sunt *inventio, venatio, piscatio.*

§ 1. *De Inventione.*

I. Ut inventio sit dominii titulus non sufficit rem nullius videre, sed necessarium quoque erit rem apprehendere cum animo eam ut suam habendi.

Res autem inventæ triplicis sunt generis: 1° *Res nullius* quæ nunquam fuerunt sub alicujus hominis dominio: ut gemma reperta in littore maris. 2° Bona quæ fuerunt sub dominio alicujus, sed de facto domino carent, et vocantur *bona derelicta*, si dominus ea abjecit cum animo ea non amplius possidendi; *vacantia* vocantur si dominus absque testamento et hæredibus moritur; si abscondita fuerunt ita ut nulla eorum amplius exstat memoria, vocantur *thesaurus;* tandem 3° *Res nuper amissæ* appellantur quæ actualem habent dominum, sed ille ignoratur, eo quod ab ipso fuerunt perditæ.

II. *Res nullius*, seu res inventæ quæ numquam dominum habuerunt, fiunt inventoris. Ratio est, quia conditiones occupationis legitimæ adsunt, quod auctoritas Doctorum, et lex positiva confirmant. Encyclop. of Laws, s.v. Occupation.

III. *Bona derelicta* de jure naturali et nostro fiunt primi occupantis ob eamdem rationem. Crolly, I. n. 642; O'Dea, n. 666.

IV. *Bona vacantia* jure nostro pertinent ad coronam, quod obligare conscientiam non videtur, et jure naturæ fiunt primi occupantis. O'Dea, *ibid.*; Crolly, I. n. 641; III. n. 1103.

V. Bona naufragio perdita lege nostra sunt tradenda receptori ad hoc auctoritate publica constituto, qui nisi a domino sint vindicata, ea vendit post annum elapsum. Graviter puniuntur fures talium bonorum. (Stephen, II. p. 554.) Quæ lex tamen ante sententiam judicis non videtur ligare conscientiam. (O'Dea, n. 689.) Saltem vero talia bona ut res amissæ sunt tractanda, de quibus infra est dicendum.

VI. Thesaurus lege nostra est—"Any money, coin, gold, silver, plate, or bullion found hidden in the earth, or other private place, the owner thereof being unknown." (Stephen, II. p. 555.) Lege nostra thesaurus pertinet ad coronam; quæ lex est pœnalis, ac proinde in foro conscientiæ ante sententiam judicis inventor rem sibi occupare potest. Crolly, I. n. 642; Lehmkuhl, I. n. 913 n.; O'Dea, n. 683.

Jus fodiendi metalla apud nos pertinet ad dominum agri. Si quis peritia sua detegit venam metalli in aliquo fundo, pretiosam picturam cujus valor ignoratur, potest fundum, picturam, etc., emere pretio vulgari juxta æstimationem communem, dum tamen non sit ignorantia circa rem ipsam, v.g., gemmam quæ putatur vitrum. Lugo, VI. n. 128.

VII. Quoad res amissas—

1. Inventor rerum amissarum non tenetur quidem ex justitia eas colligere et earum curam suscipere;

ex caritate tamen tenetur ad hoc, si secus dominus damnum pateretur.

2. Si eas colligit, tenetur etiam ex justitia eas pro domino servare et ordinariam diligentiam adhibere ut dominum inveniat. Ad ordinariam diligentiam pertinent media ordinaria sumere ad rumorem rei inventæ spargendum, et expectare tempus rationabile ut sciatur utrum dominus sit compariturus.

3. Post talem diligentiam adhibitam et quando non amplius est probabile dominum inventum iri, is qui rem invenit, potest incipere illa uti ut propria, quia dominus non habet jus ut res pro ipso servetur, quando non est probabile rem ad eum perventuram.

4. Si tamen postea dominus compareat, videtur dicendum rem in se permanentem, vel in æquivalenti, si inventor sit ditior factus, esse ipsi tradendam, quia nulla datur præscriptio lege nostra rerum mobilium. Stephen, II. p. 9; Lehmkuhl, I. n. 916 n.; O'Dea, nn. 681, 663; Ballerini, VIII. pt. i. n. 169.

5. Post tamen lapsum tempus longissimum, ipsa lex naturalis videtur præscriptionem concedere, ita ut nexus proprietatis cum priori domino solvatur, et res inventoris fiat. Lehmkuhl, I. n. 917.

§ 2. *De Venatione et Piscatione.*

Animalia sunt quadruplicis generis.—*Mansueta* seu domestica ut oves, boves, gallinæ. *Sylvestria* seu feræ naturæ, libertati naturali relicta ut lepores,

aves, pisces. *Mansuefacta* quæ industria humana mansuefiunt, et habent consuetudinem abeundi et redeundi, ut columbæ, apes; quibus similia sunt sylvestria quæ dempta naturali libertate sunt inclusa, ut cervi in nemore incluso, cuniculi in garena. *Efferata* quæ recuperarunt libertatem naturalem.

I. Animalia mansueta semper manent prioris domini quantumvis aberrent; ratio est, quia ille animum habet ea recuperandi, et sunt recuperabilia.

II. Animalia mansuefacta quamdiu habent consuetudinem revertendi, aut certa custodia sunt inclusa manent prioris domini. Ratio est eadem. De apibus, v. Stephen, II. p. 5.

III. Animalia sylvestria et efferata sunt primi occupantis; nam prima domino semper caruerunt, alia carent domino quum nexus dominii sit solutus. Ita lege naturali. Lege autem municipali sylvestria excitata et occisa in alicujus agro ad dominum pertinent, quæ in conscientia obligat post sententiam, et etiam ante sententiam erit injustum resistere domino volenti talia capere, scilicet jus ea capiendi domino agri conceditur jure municipali. Stephen, II. p. 21; O'Dea, n. 643 a.

IV. Leges municipales nostræ quæ venationem vel piscationem prohibent sunt pœnales ut communiter sentitur; hinc quæstiones de hac re solvendæ sunt juxta præscripta juris naturalis. Unde per se non peccat quis si sylvestria vel efferata occupat, secus si occupat mansueta vel mansuefacta quæ revertendi consuetudinem habent, vel quæ ita clauduntur ut pro libitu ea capere dominus possit.

Peccari potest contra justitiam ratione violati juris exclusivi venandi, quod valorem desumit præcipue ex spe capiendi; unde si quis contra voluntatem domini tot animalia caperet ut valor juris venandi notabiliter decresceret, gravis esset injuria, et grave peccatum; secus non. Ballerini, VIII. pt. i. nn. 197, 198; O'Dea, n. 650.

Articulus II.

DE ACCESSIONE.

Accessio generice sumpta est additamentum alicui rei factum vel propter ejusdem rei productionem, vel propter ejusdem rei unionem cum alia. Encyclopædia of Laws, s.v. Accession.

Additamenti prioris speciei exempla sunt fructus et nativitas. Fructus sunt naturales, *e.g.*, fructus agrorum, arborum; vel civiles, ut pensiones domuum, censuum.

I. Jure naturali Res fructificat domino, hinc fructus rei ad ejus dominum pertinent.

II. Jure naturali et nostro Partus sequitur ventrem; exceptio est quoad cygnos qui lege nostra dividendi sunt inter dominos femellæ et masculi quando sunt diversi. Stephen, II. p. 22.

Exemplum unionis rei cum alia est alluvio quæ est species accessionis in re *soli*, non industria sed sola natura.

III. Regulariter qui est dominus rei principalis, est dominus accessoriæ; quia accessorium sequitur principale. Et sic si incrementum terræ paulatim

fit, incrementum pertinet ad terræ dominum; si subito, remanet prioris domini lege nostra. Si insula nova apparet, pertinet ad dominum alvei, *i.e.*, ad coronam si in mari vel flumine navigabili, ad dominum riparium si in alio flumine. O'Dea, n. 701.

IV. *Inædificatio, plantatio, satio* sunt species accessionis factæ per hominis industriam. Regulariter quidquid solo inædificatur, plantatur, seritur solo cedit. Attendendæ tamen leges positivæ quæ regulam antiquam mutaverunt præsertim quoad jura *of landlord and tenant as to fixtures and improvements.* Indermaur, p. 67; Encyclop. of Laws, s.v. Tenant-Right; infra, c. vi. art. 10.

V. *Specificatio* est introductio novæ formæ in materiam, ut si quis alienis uvis vinum faciat. Res facta ad fabricatorem pertinet, compensata altera parte pro materia. Stephen, II. p. 22.

Et sic quando quis panem conficit ex alieno tritico, oleum ex alienis olivis, quando in aliena tabula pingit, res producta ad ipsum pertinet, domino compensato pro materia. Encyclop. of Laws, s.v. Accession.

VI. *Commixtio* est plurium solidarum rerum unio; *confusio* plurium liquidarum rerum unio. Res commixtæ, si est possibile, sunt separandæ; aliter unio est communis et pertinet ad dominos priores pro rata, ita ut justa proportio rei vel ejus valoris ad eos pertineat. Et sic lege nostra materiarum ad ædificandum alienarum, quæ jam in ædificio aliquo sunt fixæ, valor tantum recuperari a domino potest non ipsæ materiæ. Encyclop. of Laws, s.v. Specification, Commixture.

Articulus III.

DE PRÆSCRIPTIONE.

"Quantopere necessarium sit," ait P. Lehmkuhl, I. n. 927, "in hoc præscriptionis negotio leges regionis attendere, ostendit imprimis jus Anglicum, quod a reliquis juribus multum discrepat."

Præscriptio est titulus quo res acquiruntur vel ab onere liberantur per continuationem possessionis tempore et modo lege definito.

Res,—lege ecclesiastica tum mobilia tum immobilia præscribi possunt; lege municipali tantum immobilia et jura quædam. Terminus autem *præscriptio* apud nos adhibetur stricte tantum de iis quæ vocantur *incorporeal hereditaments, i.e.*, rights and profits annexed to or issuing out of land (Stephen, I. p. 172); attamen Statute of Limitation, 3 and 4 William IV. c. 27, sec. 34, idem indirecte efficit quoad *corporeal hereditaments;* sic enim statuit: "At the determination of the period limited by this Act to any person for making an entry or distress, or bringing any writ of quare impedit or other action or suit, the right and title of such person to the land, rent, or advowson, for the recovery whereof such entry, distress, action, or suit respectively might have been made or brought within such period, shall be extinguished."

Quamvis alia sint Statutes of Limitation præter hoc, v.g., unum vi cujus actio ad debita recuperanda ordinarie intentari nequit post sex annos elapsos, attamen illa solum denegant actionem, non extin-

guunt jus: "It is to be observed, however, that the Real Property Limitation Act does more than bar the remedy. It extinguishes the right, differing in this respect from the other Limitation Acts, which, while barring the remedy, preserve the right, so that it may possibly become available in some other way than by action." *Encycl. Brit.* s.v. Limitation, Statutes of. Cf. Lehmkuhl, I. n. 927; Crolly, I. n. 618; Pollock, p. 599; Anson, p. 318; O'Dea, n. 760.

Acquiruntur vel liberantur,—in priori casu vocatur præscriptio *acquisitiva*, in altero *liberativa*.

Per continuationem,—quæ est ratio proxima quare lex dominium transferat.

Lege—scil. positiva nam quamvis lex naturalis dictat expedire ut præscriptio stabiliatur, non videtur illam immediate stabilire. Lugo, VII. n. 7.

Expedit autem ut præscriptio stabiliatur, 1° Ut tollatur incertitudo dominiorum; 2° Ne lites multiplicentur; 3° Ne possessores in continuo metu vivant rem possessam amittendi; 4° Ne homines in suis rebus conservandis et juribus sint negligentes.

"Communis et vera sententia est," ait Lugo, VII. n. 5, "præscriptionem legitimam pro utroque foro juvare, et liberare ab onere restituendi amplius rem semel præscriptam."

Probatur, quia lex humana potuit ob bonum commune facere quod possessor vere acquireret dominium, cum ejusmodi potestas in principe humano ab omnibus concedatur. Atqui hoc fecerunt et lex municipalis, et lex canonica quoad bona ecclesiastica. Ergo.

Minor probatur quoad legem municipalem. Legisperiti et judices concordant de intentione legis nostræ; ipsaque verba legis clare intentionem transferendi dominium exprimunt. The Prescription Act, 1832, hæc habet: "Where such way or other matter as herein last before mentioned shall have been so enjoyed as aforesaid for the full period of forty years, the right thereto shall be deemed absolute and indefeasible," . . . et similia de aliis juribus præscriptis. Verba Statute of Limitation, 3 and 4 William IV. c. 27, sec. 34, supra habentur. Cf. Crolly, I. n. 618.

Minor probatur quoad legem canonicam. Ex c. 20, *De præscript.* "Unde oportet, ut qui præscribit, nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ." Unde qui in nulla temporis parte rei habet conscientiam alienæ præscribere potest, seu præscriptio tamquam titulus dominii approbatur.

Præscriptione igitur expleta res est præscribentis ac si semper fuisset, nec tenetur fructus antea perceptos restituere, nam accessorium sequitur principale. (Crolly, III. n. 530.) Si quis tamen non vult suo jure uti vel ex ignorantia vel ex alia causa, dominium non videtur transferri, quia leges allegantem tantum juvant et vigilantibus jura scripta sunt. Ballerini-Palmieri, VIII. pt. i. n. 272, nota.

Ut quis legitime et valide præscribat conditiones in sequentibus versibus expressæ requiruntur:

> Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus,
> Possideas juste, completo tempore legis.

Quas conditiones crasso quodam modo explicabi-

mus, si controversia de subtilioribus oriatur recurrendum erit ad legisperitos vel ad judicem.

Nec necessarium videtur pro scopo nostro ut distinguamus inter præscriptionem jure nostro communi et lege statuta concessam, cum etiam in judiciis et causis agendis sæpe conjungantur. Differunt autem præsertim in eo quod ad præscribendum jure communi tempus immemorabile requiratur, quod tamen practice significat annos viginti nisi probetur præscriptionem esse incœptam post annum 1189. Encyclop. of Laws, s.v. Prescription.

"The whole theory of prescription depends upon the presumption of a grant having been made, and it is very material to bear this in mind." (Goddard, pp. 184, 269.) Unde nulla præscriptio datur quando concessio juris de quo agitur esset contra legem. Encyclop. of Laws. s.v. Prescription.

I. Igitur requiritur ut res sit apta, seu ut leges permittant ut præscriptione acquiratur. Nequeunt tamen præscribi ecclesiæ, viæ publicæ, plateæ quæ publici sunt dominii. Beneficia ecclesiastica a laicis præscribi non possunt, quamvis a clericis possunt.

Jure Anglico—"A title by prescription can be made only to incorporeal hereditaments . . . and to certain exemptions and privileges. The rights claimable by prescription for the most part consist of rights *in alieno solo*. The most important are advowsons, tithes, commons, ways, watercourses, lights, offices, dignities, franchises, pensions, annuities, and rents. Land or movables cannot be claimed by prescription." *Encycl. Brit.* s.v. Prescription.

Attamen Statute of Limitation, 3 and 4 William IV. c. 27, extinxit jus ad agros, redditus, jus patronatus si eorum dominus sibi ea non vindicaverit intra viginti annos ; quod tempus The Real Property Limitation Act, 1874 (37 and 38 Vict. c. 57), contraxit ad duodecim annos. (Stephen, III. p. 504; Crolly, I. n. 618.) Hinc jure Anglico præscribi possunt practice incorporeal hereditaments, land, rent, advowsons; non autem mobilia.

II. Altera conditio est *bona fides*, i.e., bona conscientia rem possidere oportet, qua quis prudenter existimat se possidendi jus habere, ratus videlicet rem suam, seu ad se pertinere; vel saltem nesciens esse alienam. Laymann, *De Just.* I. c. 8, n. 10.

Quæ est bona fides *theologica*, nam civiliter bona fide rem possidet cum possessio ex lege non habet vitium quo impediatur præscriptio. Prior sine posteriore ad præscribendum non sufficit; et patet ratio; præscriptio enim legibus civilibus, approbante jure canonico, publici boni causa est introducta; ubi igitur lex usucapionem, seu præscriptionem inhibet, bona fides (intellige theologica) usucapienti nihil prodest. Schmalzgrüber, lb. ii. tit. 26, n. 55.

Bona fides requiritur, ut probatur ex Conc. Lat. IV. c. 41, (Denz. n. 364): et ex *Reg. Juris*, II. in 6°: "Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit."

Ratio autem est quia quando quis cognoscit se rem alienam possidere, eam restituere tenetur, quam si retinet peccat, unde lex quæ præscriptionem cum mala fide concederet esset nutritiva peccati et invalida, quia quamvis lex tolerare aliqua mala

possit, non potest peccata nutrire. Schmalzgrüber, lb. ii. tit. 26, n. 57.

Bona fides requiritur tum ad præscriptionem *acquisitivam* tum ad *liberativam*, at in præscriptione liberativa consistit in hoc ut nullum impedimentum ponatur quominus alter jure suo uti valeat. Ergo si nemo utatur jure viæ per tempus requisitum ad præscribendum, dominus agri potest viam claudere, præsumptio enim saltem adest jus esse derelictum. Goddard, p. 517.

Ad præscriptionem acquisitivam actus positivi requiruntur qui debent poni bona conscientia, seu sine conscientia lædendi jus alienum. Imo jus nostrum exigit ut ponantur "as of right," "claiming right thereto." (2 and 3 William IV. c. 71, secs. 2 and 5.) "It seems, therefore, that the 'enjoyment as of right' must mean an enjoyment had, not secretly or by stealth, or by tacit sufferance, or by permission asked from time to time on each occasion, or even on many occasions of using it, but an enjoyment had openly, notoriously, without particular leave at the time, by a person claiming to use it without danger of being treated as a trespasser, as a matter of right, whether strictly legal by prescription and adverse user, or by deed conferring the right, or though not strictly legal, yet lawful to the extent of excusing a trespass—as by a consent or agreement in writing not under seal, in case of a plea for forty years, or by such writing or parol consent or agreement, contract or licence, in case of a plea for twenty years." Lord Denman, C. J. in Tickle *v.* Brown, ap. Goddard, p. 237.

"It is commonly said that no easement can be acquired by prescription if the user has been enjoyed *vi, clam, aut precario*." Goddard, p. 239.

Culpa venialis ex inadvertentia vel negligentia in inquirendo orta non videtur obstare bonæ fidei requisitæ ad præscribendum. Quod concludunt plures ex verbis Conc. Lat. IV. c. 41, *de præscriptionibus:* "Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque *mortali* peccato non potest observari." S. Alphonsus, III. n. 511.

Nec ignorantia invincibilis facti, nec ignorantia juris non clari sed ambigui obstat bonæ fidei; utrum vero obstet bonæ fidei ignorantia juris clari disputant doctores. Communior sententia dicit obstare, quatenus leges Romanæ expresse declararunt malæ fidei possessorem esse qui aliquid contra legum interdicta mercatur. L. *Quemadmodum*, C. de agricolis. Et cum præscriptio pendeat a lege positiva, hujus conditiones sunt implendæ ut valeat.

Probabiliter alii dicunt istas leges procedere de foro externo in quo ignorantia juris clari non admittitur, quæ si allegatur præsumitur mala fides; non autem de foro interno, in quo si constat de ignorantia, præsumptio ista malæ fidei cessat. Ita Medina, Lessius, Lugo, aliique. Lugo, VII. n. 29.

Prior sententia communior amplectenda in re civili videtur, cum præscriptio lege obstante non datur, nulla enim concessio (*grant*) tunc præsumi potest, quæ tamen ut possit præsumi oportet ex lege nostra, aliter præscriptio non datur.

Bona fides auctoris prodest successori ad complendam præscriptionem, nec obest ejus mala fides, dummodo successor bona fide præscriptionem compleverit, quia jure nostro mala fides antecessoris non nocet, et successor ex hypothesi habuit bonam fidem per tempus in conscientia requisitum. O. W. Holmes, The Common Law, p. 367; S. Alphonsus, III. nn. 512, 516; Lehmkuhl, I. n. 927.

III. Tertia conditio est ut adsit titulus. *Titulus* est causa ex qua rem tenemus seu possidemus. Est *verus* si reapse existit, alter *apparens*, *existimatus*, vel *præsumptus*.

Nullus specialis titulus requiritur lege nostra. (Crolly, I. n. 614; O'Dea, n. 733.) Attamen quatenus bona fides requiritur, quæ haberi non potest sine titulo saltem præsumpto, videtur dicendum titulum præsumptum saltem apud nos requiri et sufficere.

IV. Quarta conditio est Possessio. Possessio legitima requiritur ad præscribendum, tum lege nostra tum lege canonica: Sine possessione præscriptio non procedit. *Reg. Juris*, III. in 6°.

Quæ possessio debet esse *pacifica* absque ulla vi; *manifesta* non occulta; *continua* non interrupta. Crolly, I. n. 613.[1]

[1] "To establish a right by prescription the enjoyment must be uninterrupted, open, continuous, and peaceable. A user which is neither preventible nor actionable cannot establish a right by prescription. The consent or the acquiescence of the owner of the servient tenement lies at the root of prescription, and of the fiction of a lost grant, and hence the acts or user, which go to the proof of either the one or the other, must be, in the language of the civil law, *nec vi, nec clam, nec precario*." Encyclop. of Laws, s.v. Prescription.

V. Ultima conditio ad legitime præscribendum est tempus requisitum, quod pendet a lege positiva regionis, vel a lege ecclesiastica si agatur de rebus ecclesiæ.

Jure canonico res mobilis cum titulo (colorato vel existimato) præscribitur post triennium; sine tali titulo sed cum præsumpto, nonnisi post triginta annos. (S. Alphonsus, III. nn. 506, 509; Lugo, VII. n. 15.) Bona immobilia ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium aut ad alias pias causas pertinentia non præscribuntur nisi spatio 40 annorum, imo bona immobilia Ecclesiæ Romanæ nonnisi spatio centum annorum, quod privilegium etiam plures Ordines Religiosi pro bonis suis obtinuerunt.

Quoad præscriptionem liberativam de jure Anglico, *incorporeal hereditaments* regulariter præsumuntur esse derelicta post viginti annos non-usus, quamvis simplex non-usus jus extinguere non videtur; aliquando vero brevius tempus sufficit ad dandam præsumptionem jus esse derelictum. (Stephen, I. p. 663; Goddard, p. 516.) Attamen jus ad *corporeal hereditaments* extingui potest post duodecim annos ex Statutes of Limitation, vel saltem si incapacitas jus prosequendi adest, post triginta. Stephen, III. p. 504.

Quoad præscriptionem acquisitivam, *rights of common and all other profits or benefits to be taken and enjoyed from or upon any land* acquiruntur post triginta annos, tempus autem quo is contra quem præscribitur fuit infans vel non compos mentis non prodest præscribenti, attamen post annos sexaginta etiam in istis casibus præscriptio completur. Stephen, I. p. 660.

Rights of way, other easements, watercourses, præscribuntur post viginti, vel saltem absolute post quadraginta annos in casibus ut supra.

Lights præscribuntur post viginti annos.

Quatenus, ut jam est dictum, jus ad *corporeal hereditaments* extingui potest post annos duodecim, eadem tunc præscribens acquirit.

CAPUT V.

DE CONTRACTIBUS.

Articulus I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Jure naturali acquiritur dominium occupatione et accessione, jure municipali acquiritur præscriptione, privata voluntate per contractus. De his nunc est agendum.

Contractus est conventio, qua unus vel plures sese uni vel pluribus obligant ad aliquid dandum, omittendum vel faciendum; vel, est pactum duorum vel plurium in idem placitum atque consensus. Contractus est multiplex: 1° *Bilateralis*, qui parit obligationem in utroque contrahente; et *unilateralis*, qui in uno tantum obligationem parit.

2° *Gratuitus*, ex quo una tantum pars commodum accipit (sive mutua obligatio inde oritur sive non), ut commodatum, mutuum, depositum. *Onerosus* ex quo utraque pars commodum accipit.

3° *Solemnis*, quem lex subjicit quibusdam formalitatibus; et *simplex* qui nulli peculiari formæ lege subjicitur.

4° *Vestitus*, qui præter conventionem partium, aliquod aliud habet adminiculum, ratione cujus oritur actio in foro externo; et *nudus*, qui tale adminiculum non habet.

5° *Nominatus*, qui nomen proprium habet, ut

venditio; *innominatus* qui nomine proprio caret: contractus innominati reducuntur ad quatuor: *Do ut des; facio ut facias; do ut facias; facio ut des.*

6° *Explicitus*, qui expressa partium conventione initur; et *implicitus*, qui initur cum virtuali et tacita conventione. Stephen, II. p. 64; Crolly, II. n. 19; Pollock, p. 9; Anson, p. 13.

Contractus validus dominium rerum transferre valet; nam libera voluntate homo dominium rerum acquirere potest, eo dominio uti, de rebus suis disponere, ac proinde etiam in favorem alterius se dominio exuere, res suas donando, vendendo, etc. Ob bonum tamen publicum auctoritas legitima potest hanc facultatem dominium transferendi restringere, vel præscribere formalitates, quibus non servatis, translatio dominii erit vel illicita vel etiam nulla et irrita. De his formalitatibus contractuum aliquid est dicendum. Soto, lib. iv. q. 5. a. 1.

Negari non potest publicam auctoritatem posse præscribere formalitates contractuum sub pœna invaliditatis servandas. Ecclesia certe formam matrimonii ita præscripsit (Trid. xxiv. c. 1, de Ref. Matrim.) ut, ubi istud decretum fuerit promulgatum, matrimonium aliter contractum sit nullum et irritum; ita quoque præscripsit formam alienationis bonorum ecclesiasticorum. Similiter auctoritas civilis potest formas contractuum præscribere in rebus ad suam jurisdictionem pertinentibus, ut iis non servatis contractus sint etiam in conscientia invalidi. Lugo, XXII. n. 252.

Quæstio igitur est facti, num lex municipalis nostra irritando contractus sine formalitatibus lege

requisitis initos, eos irritet etiam in conscientia, ac non tantum in foro civili? (Ballerini, VIII. pt. iii. nn. 30, 44.) Sane lege nostra unicus est contractus solemnis *under seal, by deed, or specialty.* Qui contractus debet esse scriptus in membranis vel in charta, et debet esse subscriptus, obsignatus et traditus, *signed, sealed, and delivered.* (Anson, p. 51.) Alii omnes contractus sunt simplices, et ut actionem pariant in curiis nostris debent esse onerosi, seu habere *a consideration* seu *quid pro quo;* quorum aliqui debent esse in scriptis, quamvis alii verbis aliisve signis iniri possunt. Anson, pp. 48, 56, 58.

Quoad contractus simplices, nec *consideration*, nec scriptura requiritur ad validitatem contractus, sed tantum ad probationem, ut actio detur. Quam doctrinam enuntiavit Skynner, C.B. in Rann *v.* Hughes: "It is undoubtedly true that every man is by the law of nature bound to fulfil his engagements. It is equally true that the law of this country supplies no means nor affords any remedy to compel the performance of an agreement made without sufficient consideration. Such an agreement is 'nudum pactum ex quo non oritur actio;' and whatsoever may be the sense of this maxim in the civil law, it is in the last mentioned sense only that it is to be understood in our law. . . . All contracts are by the law of England divided into agreements by specialty, and agreements by parol; nor is there any such third class as some of the counsel have endeavoured to maintain as contracts in writing. If they be merely written and not specialties, they are parol, and a consideration

must be proved." Anson, p. 74; cf. pp. 59, 72, 103, 257.

Hinc quamvis lex nostra exigat ut aliqui contractus simplices sint in scriptis, et ut omnes habeant *a consideration* ut actio detur in foro externo, non irritat contractus simplices aliter initos, qui sunt validi de lege naturali, ac proinde in conscientia obligatorii. Crolly, II. nn. 195, 469, 491.

Contractus solemnis *by deed* lege nostra variis in casibus requiritur ut contractus in foro saltem externo valeat, et aliter initus declaratur irritus (*void*).[1]

Quæstio est utrum contractus de tali materia sine solemnitatibus jure requisitis initus sit invalidus etiam in conscientia, ita ut per eum dominium rei non transferatur.

De contractibus ob defectum solemnitatum invalidis jure civili tres fuerunt sententiæ apud theologos. Plures negabant tales contractus in conscientia valere; plures e contra affirmabant valere; multi mediam viam inierunt, dixeruntque non esse omnino nullos in foro conscientiæ, "sed quoad hoc quod primo occupans hæreditatem, vel legata in testamento minus solemni, potest ea possidere donec condemnetur: unde hæres ab intestato non tenetur restituere hæreditatem, vel legata instituta in minus solemni testamento, et si

[1] "It is sometimes necessary for the validity of a contract to employ the form of a deed. A sale of sculpture with copyright; a transfer of shares in companies governed by the Companies' Clauses Act; a transfer of a British ship or any share therein, a lease of lands, tenements, or hereditaments for more than three years, must be made under seal." Anson, p. 56.

hæres, vel legatarius in eo testamento institutus capiat, potest hæres ab intestato ipsum convenire coram judice, et post condemnationem capere: similiter si hæres, vel legatarius obtineat hæreditatem, vel legatum in minus solemni testamento relictum, in quo constat nullam intervenisse fraudem non tenetur restituere, sed potest retinere, donec per sententiam condemnetur: at post condemnationem tenetur restituere: unde si hæres ab intestato non petit, quia ignorat testamenti nullitatem, quamvis possessor id sciat, non tenetur ei revelare." Sanchez, Consil. Moral. lb. iv. c. i. d. 14.

Quæ sententia, juxta S. Alphonsum (III. n. 711) probabilior et in praxi omnino tenenda, a pluribus recentioribus de legibus modernis approbata, maxime consentanea legis nostræ indoli videtur, quæ respicere solet effectus civiles potius quam conscientiam. Et sic legisperiti Anglici solent intelligere nullitatem actus lege inductam; "*Void* means destitute of *legal* effect." Anson, p. 221.

"An agreement or other act which is *void* has from the beginning no *legal* effect at all." Pollock. p. 7.

"When transactions are declared by the law, or in statutes or instruments, to be 'null and void,' they will not, as a rule, be avoided more than the purpose of the law or statute or instrument requires, or on merely immaterial technical grounds. . . . Important consequences follow from the fact that where a legal act is liable to be avoided, someone must move to set it aside; and until someone does so move, it can only be treated as voidable. . .

Again, on the principles that no one can take advantage of his own fraud and *quod non decipitur qui scit se decipi*, the grantor of a void instrument and his representatives will be estopped from pleading its nullity. . . . From what has just been stated, it follows that where any act in the law is declared void, but can only be treated as voidable until objection is taken to it, the party not in default alone can move in the matter. . . . No special magic attaches to such words as 'utterly' or 'to all intents and purposes,' annexed to the phrase 'null and void' in statutes and the like. . . . When words such as the above, therefore, occur, unless the purpose of the statute is to render the act struck at penal, they will be treated as little more than expletive." Encyclop. of Laws, s.v. Null and Void. Cfr. Jeremy Taylor, Ductor dubit. bk. ii. c. i. r. 5, n. 22.

Articulus II.

DE CONSENSU.

Quatuor sunt conditiones essentiales ad valide contrahendum — Consensus partis quæ obligatur; Capacitas contrahendi; Objectum determinatum quod sit materia contractus; Causa obligationis licita. Indermaur, p. 31.

Consensus est causa formalis contractus, id per quod existit. Hic consensus debet esse 1° *Internus*, nam obligatio oritur ex sola voluntate contrahentium. 2° *Liber* et *deliberatus*, nam imperfecte voluntarium non parit perfectam obligationem. 3° *Mutuus*, est

enim consensus duorum. 4° *Externus*, nam contractus est cum altero, dicit relationem ad alterum, qualem non habet actus internus.

Hinc quatenus contractus conficitur oblatione et acceptatione, oblatio debet alteri manifestari ut acceptetur; num vero ex natura rei requiratur ut acceptatio offerenti nota fiat ut contractus perficiatur, non est una sententia doctorum. Lehmkuhl, I. n. 1059.

Videtur dicendum contractum unilateralem perfici acceptatione, quin hujus acceptationis notitia ad offerentem perveniat, nam quando accedit acceptatio oblationi, jam adest consensus in idem placitum. Contractus quidem bilateralis consistit in duplici oblatione et acceptatione, attamen eo ipso quod quis offert aliquid pro aliquo, censetur ordinarie acceptare quod alter acceptando simul offert. Unde ex natura rei nihil aliud videtur requiri ad contractum perficiendum quam ut acceptatio oblationis aliquomodo externe manifestetur offerenti, v.g., per epistolam, nec notitia acceptationis necessario requiritur ut contractus perficiatur. Quod est consentaneum legi nostræ. Hinc quamvis epistola qua acceptatur oblatio offerentis ad hunc casu quodam non perveniat, validus erit contractus lege naturali et nostra. Anson, p. 23; Pollock, p. 12.

Validus est contractus sine animo illum implendi, non tamen ut videtur sine animo sese obligandi, quia iste animus est contra substantiam contractus.

Alii contractus vocantur *reales* qui nonnisi traditione rei perficiuntur, ut mutuum, commodatum; alii *consensuales* qui spectato jure naturali

perficiuntur solo mutuo consensu exterius manifestato. Aliquando lex municipalis præscribit ut nonnisi traditione rei contractus consensualis perficiatur, ut in donatione simplici, quod tamen solum afficit forum externum. (V. infra, c. vi. art. 2, II.) Nam "in foro conscientiæ contrahentium intentioni standum est." S. Alphonsus, III. n. 708; Crolly, II. n. 327.

Aliqua impediunt liberum consensum in contrahendo et præcipue error et metus; erroris autem causa in contractibus sæpe est dolus. Dolus vero est bonus vel malus. Dolus bonus nihil aliud est quam solertia quædam in agendo, et in hoc sensu, dixit Ulpianus, licere contrahentibus in pretio emptionis et venditionis se naturaliter circumvenire, nempe intra limites justi pretii. Dolus malus de quo hic agitur est—calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Cfr. Lessius, II. c. 17, d. 5.

I. Contractus est irritus si error substantialis sit circa materiam contractus, quia non est consensus in idem placitum. Hinc venditio vitri pro gemma est irrita. Similiter error substantialis circa naturam contractus, ut si unus putet rem vendi alter commodari, contractum irritat, quia iterum non est consensus in idem placitum.

Error autem circa personam contrahentem ordinarie non est substantialis, nec irritat contractum; indifferens enim ordinarie est utrum res aliqua huic vel illi vendatur; ob speciales tamen circumstantias potest error circa personam substantialis evadere et contractum irritare, ut in matrimonio,

et in aliis contractibus præsertim si unus fingendo se esse tertium quemdam inducit alterum ad contrahendum aliter non contracturum. Et sic quidam Blenkarn scribendo nomen alterius honestissimi viri Blenkiron induxit quemdam ad bona sibi transmittenda; contractus tamen fuit declaratus nullus et irritus. Anson, p. 132.

Etiam invalidus erit contractus sub conditione sine qua non initus non verificata conditione; tunc enim deest consensus.

II. Contractus est validus si error vel dolus sit circa qualitatem rei, nec dederit causam contractui; quia contrahens consentit in objectum contractus, nec tenetur scire omnes ejus qualitates. Encyclop. of Laws, s.v. Contract.

III. Contractus est etiam validus si error sit circa qualitatem quæ causam dederit contractui, ob eamdem rationem; attamen si error sit inductus fraude vel dolo alterius partis et dederit causam contractui, a dolum passo rescindi poterit si restitutio in integrum sit possibilis, saltem ex lege positiva.

Dicitur *saltem ex lege positiva* nempe Anglica, quia res est controversa apud theologos, quamvis doctrina eorum communis consonet cum dictis.[1]

[1] "Blackburn, J., said, 'I agree that on the sale of a specific article, unless there be a warranty making it part of the bargain that it possesses some particular quality, the purchaser must take the article he has bought though it does not possess that quality. And I agree that even if the vendor was aware that the purchaser thought that the article possessed that quality, and would not have entered into the contract unless he had so thought, still the purchaser is bound, unless the vendor was guilty of some fraud or

S. Alphonsus, III. nn. 714, 715; Indermaur, p. 277; Encyclop. of Laws, s.v. Contract.

Item contractus qui dicuntur uberrimæ fidei (nempe of marine, fire and life insurance, for the sale of land, for family settlements, and for the allotment of shares in companies), rescindi possunt ab altera parte si una pars verum non manifestaverit circa aliquid quod intererat alterum scire. Encyclop. of Laws, s.v. Uberrima fides.

De influxu metus in validitatem contractus sequentia statui posse videntur:

I. Metus etiam gravis, ab intrinseco, vel ab extrinseca causa necessaria, vel etiam a causa libera sed juste incussus non invalidat contractum, nisi tollat usum rationis; ratio, quia metus non tollit voluntarium, nec ulla injuria infertur. Lessius, II. c. 17, d. 6.

II. Metus gravis a tertio injuste incussus, non tamen ad consensum extorquendum non invalidat contractum; et sic si vendidisti agrum ad te defendendum ab injusta actione pecuniâ acceptâ, contractus erit validus; sic etiam matrimonium valet initum a stupratore ne verberetur a patre puellæ violatæ. Lehmkuhl, II. n. 736.

deceit upon him, and that a mere abstinence from disabusing the purchaser of that impression is not fraud or deceit.'" Anson, p. 138.

"Note that the fraud (or, where innocent misrepresentation is enough, misrepresentation) which will make a contract voidable, must really induce the contract. The party misled must have contracted in reliance on the false statement, and the party making it must have intended him to rely on it." Encyclop. of Laws, s.v. Contract.

III. Metus gravis injuste incussus ab altero contrahente, non tamen ad consensum extorquendum reddit contractum rescindibilem, propter injuriam. Anson, p. 177; Pollock, p. 553; Crolly, II. n. 151.

IV. Utrum metus gravis injuste incussus ad consensum extorquendum reddat contractum invalidum de jure naturali controvertitur. Ex jure canonico sic initi contractus sequentes sunt invalidi; 1° de matrimonio, 2° de traditione rerum Ecclesiasticarum, 3° de votis, 4° de electione prælati, 5° de absolutione a censuris.

Ex jure municipali taliter initi contractus sunt rescindibiles a metum passo. Anson, Pollock, ll. cc.

V. Sententia S. Alphonso probabilior negat contractum ex levi metu initum posse irritari a metum passo; alia tamen probabilis sententia affirmat posse ab eo irritari propter injuriam, ex qua nemo commodum reportare debet. S. Alphonsus, III. n. 718.

Hæc ultima sententia consonat cum lege nostra, quatenus hæc concedit rescindibilitatem contractuum non tantum ob metum gravem (*Duress*), sed etiam ob *Undue Influence*, ita ut si superior aliquis, vel quicumque in loco superioris est erga alterum, commodum ex contractu cum inferiore accipiat, contractus irritari possit, nisi probetur omnimoda et plena inferioris libertas. Encyclop. of Laws, s.vv. Contract, Undue Influence.

Articulus III.

DE CONTRAHENDI CAPACITATE.

Valide et licite contrahere possunt omnes et soli qui usum rationis habent, et qui nulla lege quæ conscientiam ligat prohibentur.

Hinc I. Jure naturali inhabiles sunt ad contractum ineundum infantes, amentes, furiosi, perfecte ebrii. Eorum tamen curatores pro ipsis contrahunt. Anson, p. 119; Stephen, II. p. 70.

II. Religiosi qui solemne votum paupertatis emiserunt, quatenus incapaces sunt dominii rerum temporalium, de his nullum contractum proprio nomine inire possunt; religiosi votorum simplicium contractum de propriis licite inire nequeunt sine licentia superioris.

III. Uxores lege nostra contractus quoad bona propria inire possunt etiam cum marito: earumque contractus juxta Married Women's Property Act, 1893, ligant etiam bona post contractus initos obtenta. Anson, p. 122; Stephen, II. p. 283; O'Dea, n. 474; Encyclop. of Laws, s.v. Husband and Wife.

IV. Minores lege nostra qui usum habent rationis possunt inire contractus quoad necessaria et quoad ea quæ commodo sunt proprio. Quoad alia eorum contractus declarantur irriti (*void*). Quod tamen videtur intelligendum sensu explicato supra. Hinc validos in conscientia inire possunt, ex quibus si commodum acceperint solvere pretium debent; attamen si sine fraude agant beneficio legis uti etiam

possunt et nolle stare contractui. Anson, pp. 110, 111; Ballerini, VIII. pt. iii. n. 58; Stephen, II. pp. 317, 321; Crolly, I. n. 464; Van Gestel, pp. 186, seq.

V. Convicti læsæ majestatis vel gravis criminis (*felony*) durante pœna contrahere valide lege nostra nequeunt. Anson, p. 106; 33 and 34 Vict. c. 23, sec. 8.

VI. Collegia (*corporations, companies*) aliquatenus restrictam habent potestatem contrahendi ipsis terminis associationis vel lege statuta.[1]

Articulus IV.

DE OBJECTO CONTRACTUS.

Objectum contractus esse debet:

I. *Possibile*, tum physice, tum moraliter, quia ad impossibile nemo tenetur. Si vero in se sit possibile quamvis contrahenti impossibile datur alteri actio ad damna. Anson, p. 321.

II. *Existens* vel in re, vel in spe certa seu pro-

[1] "As to the substantial power of corporations to contract, it seems at common law to be limited only by the nature of an artificial person, but corporations created by statute, or under the authority of general statutes, such as the Companies' Acts, for definite purposes, are held incapable of binding themselves for objects clearly beyond those purposes as declared in the company's constitution. The practical result is that nowadays, in cases under the Companies' Acts, the memorandum of association is always framed in terms wide enough to cover everything that the company can ever by possibility want to do, and questions of corporate contracts being *ultra vires* are infrequent." Encyclop of Laws, s.v. Contract.

babili exstitura, aliter nullo est pretio æstimabile. Imo si materia existens quando contractum partes inibant postea sine culpa contrahentium pereat, obligatio contractus cessat. Anson, p. 134.

III. *Certum et determinatum* quoad speciem quamvis indeterminatum quoad quantitatem dummodo determinari queat; quia debet esse consensus in idem placitum. Et sic contractus de fructu horti futuro est validus. Anson, p. 80.

IV. *Honestum* et *licitum in se*, seu nulla lege quæ ligat conscientiam prohibitum, quia nulla potest dari obligatio ad peccatum committendum.

Nulla adest difficultas de prohibitis jure naturali. (Anson, p. 201.) Jure ecclesiastico alii contractus sunt prohibiti sub peccato tantum, v.g., donatio sine licentia a voto simplici paupertatis ligato, matrimonium initum a ligato voto simplici castitatis; alii sunt prohibiti sub pœna invaliditatis, v.g., eadem facta a ligato voto solemni; nec de his est specialis difficultas.

Alii tandem sunt prohibiti jure municipali: "Besides the contracts which are void through defect of form or want of capacity in the parties, there is a large class of agreements which the law refuses to recognize on account of the character of the contemplated action. These may be reduced to three main divisions—*illegal* contracts, when the thing to be done is forbidden by law; *immoral* contracts . . . and contracts *against public policy*, *i.e.*, certain wide and more or less indefinite principles of government." *Encycl. Brit.* s.v. Contract; Anson, p. 184; Pollock, p. 232.

De contractibus qui prohibentur jure nostro et simul naturali, seu qui sunt etiam contra mores honestos (*immoral*), constat ex dictis esse invalidos.

Quid de aliis qui validi sunt jure naturali sed lege nostra prohibiti?

1° Nullum est dubium quin *possit* auctoritas civilis eos invalidos reddere etiam in conscientia. Crolly, II. n. 188.

2° Aliqui lege nostra prohibiti communi consensu sunt in conscientia validi; v.g., *Betting*. Anson, p. 190; Indermaur, p. 290; Crolly, II. n. 679.

3° Si mere lege nostra positiva prohibeantur probabile est eos non esse in conscientia invalidos nisi post sententiam judicis eos irritantem.

Quod probatur ex indole legis nostræ quæ, ut supra monstratum est, talis videtur ut non obliget conscientiam nisi conscientia jam sit obligata saltem imperfecte lege naturali; unde si lex Anglica prohibet contractum qui de lege naturali est validus, non immediate afficit naturalem obligationem quæ ex lege naturali oritur, sed tantum denegat actionem in foro externo ad contractum urgendum, qui si a judice legitime declaratur invalidus, tandem nullus evadit.

Quæ sententia circa effectum legum municipalium a pluribus defenditur qui de modernis legibus scripserunt. Van Gestel, p. 203; supra, p. 104.

V. *Proprium contrahentis*, nemo enim dat quod non habet.

VI. *Quod est in commercio*, non igitur ædificium publicum, regalia, etc. Pollock, p. 351 and note, d.

Objectum contractus onerosi esse non potest

actio aliunde debita ex justitia alteri contrahenti, quia ei venderetur res sua; bene tamen, si actio sit debita ex justitia tertiæ personæ, quia quid pretio æstimabile nec aliunde eidem debitum tunc præstatur; vel si sit actio debita sed ex alia virtute, v.g., caritate. Bucceroni, I. n. 956.

Articulus V.

DE CAUSA CONTRACTUS.

Ad validitatem contractus ultimo requiritur causa seu motivum. Causa hæc est ea quæ intrinseca est contractui; in oneroso est utilitas quam actio natura sua parit; in gratuito est liberalis voluntas dantis vel gratitudo. Non agitur de causa extrinseca vel impulsiva. (Ballerini, VIII. pt. iii. n. 18.) Causa est anglice *Consideration*.

Requiritur causa intrinseca et finalis quia si non adest, conditio sine qua non contractus deest, ac proinde deest consensus. Unde invalida erit donatio facta pauperi ficto, si donatio fuerit expresse vel implicite conditionalis *si es pauper*, validum si aliud fuerit motivum principale eleemosynæ, v.g., caritas, misericordia. Si emisti supellectilem tamquam antiquam, et ut antiquam tibi oblatam a venditore, invalidus erit contractus si non sit antiqua ob conditionem non verificatam, seu ob defectum causæ.

"Quod attinet vero ad contractus bilaterales, seclusa fraude, raro irriti effici possunt propter defectum motivi finalis." (Crolly, II. n. 133.) Quatenus exigitur causa lege naturali eatenus tantum

lex Anglica de *consideration* afficit conscientiam. Nam ut vidimus supra, lex Anglica exigit quidem *Consideration* ut actio detur in foro externo ad contractum simplicem urgendum; non tamen irritat contractus validos de lege naturali quamvis nullam talem causam seu *Consideration* habeant, qualem lex Anglica ad actionem dandam requirit. Unde quamvis lege municipali requiratur *a valuable consideration*, non est necessarium ut inquiramus quid hoc sit, quum in foro conscientiæ quæstiones de hac re ex jure naturali sint solvendæ. Anson, p. 73.

Contractus de re turpi facienda est irritus juxta omnes. Utrum post rem turpem ab uno patratam detur obligatio ut alter pretium de quo esset conventum solvat, multum disputant doctores. Qui negant, dicunt peccatum nullo pretio esse dignum, et quod ab initio non subsistit, tractu temporis convalescere nequit. Qui autem affirmant, dicunt opus qua alteri utile, delectabile, esse pretio dignum, et quamvis prior contractus maneat invalidus, tamen in ipso opere præstando alium contractum, *facio ut des*, intervenire, qui sit validus et obligatorius. Utraque sententia est probabilis, hinc post solutionem qui recepit, certo potest pretium retinere. Anson, p. 201; S. Alphonsus, III. n. 712.

Contractus rite initus obligationem ordinarie ex justitia in conscientia parit; datur enim per contractum ordinarie vel jus in re vel jus ad rem. Dicitur *ordinarie*, quia ut postea dicetur promissio simplex sæpe ex fidelitate tantum obligat. Obligantur vero soli contrahentes, et quidem ad ea

omnia præstanda quæ pacto exprimuntur, et quæ pro contractus natura, postulant æquitas, lex, consuetudo. Anson, p. 224.

Ad interpretandum contractum, et præsertim pro foro interno ad obligationes contrahentium dignoscendas, maxime attendenda est intentio partium. In dubio, materia conventionis, termini adhibiti, usus locorum, indoles personarum et alia hujusmodi sunt ponderanda. Anson, p. 268.

Articulus VI.

DE CESSATIONE OBLIGATIONIS CONTRACTUS.

Obligatio contractus cessat: 1° Per contractus executionem.

2° Per novationem seu substitutionem novi contractus pro antiquo. Anson, p. 275.

3° Ex mutuo consensu, quo uterque jus suum alteri renunciat.

4° Ex eo quod contractus fit impossibilis, quia, v.g., contra legem jam mutatam, vel quia res est destructa sine culpa partium, vel propter mortem vel ægritudinem partium. Anson, p. 324.

5° Per cessionem bonorum, non tamen per præscriptionem.[1]

6° Per non-impletionem contractus ex parte

[1] "When a man becomes bankrupt his property passes to his trustee, who can, as far as choses in action are concerned . . . exercise the rights of the bankrupt, and can do what the bankrupt could not do, since he can repudiate contracts if they appear to be unprofitable." Anson, p. 329.

unius alter contrahens liberatur, nisi uterque absolute promiserit suam partem præstandam. Anson, p. 298.

Articulus VII.

DE ACCIDENTALIBUS CONTRACTUS.

Aliquando quædam accidentalia contractui adduntur, quæ variis modis ejus obligationem modificant. Pauca sunt dicenda de juramento addito contractui, de contractibus conditionalibus, de contractibus ad modum, ad diem, sub causa, sub demonstratione.

Si juramentum accedit contractui valido et licito, præter obligationem justitiæ quæ oritur ex contractu, alia obligatio ex virtute religionis inducitur. Præterea jus Romanum voluit ut quidam contractus qui aliter essent irriti vel rescindibiles, accedente juramento, fierent validi et irrescindibiles. Jus Anglicum nihil tale statuit. (Crolly, II. n. 185.) Hinc apud nos juramentum, si contractui addatur quod non ordinarie fit, tantum addit obligationem extrinsecam, ex virtute religionis ortam, et quatenus juramentum est accessorium et sequitur naturam principalis, cessante ex quacumque causa obligatione præcise ex contractu orta, cessabit etiam obligatio juramenti. Ballerini, VI. sec. 2, n. 90; D'Annibale, II. n. 431.

Conditio sensu stricto est—Dispositionis suspensio ex incerto et futuro eventu apposita. Alia est *suspensiva*, quæ suspendit obligationem donec conditio impleatur, ut—Dabo tibi centum libras si patri medearis. Alia est *resolutiva*, quæ resolvit

contractum antea existentem, ut—Admitto te ad mecum habitandum, nisi matrimonium ineas.

Conditio suspensiva imponit obligationem expectandi eventum, et conditione impleta fit contractus absolutus. Quando apponitur conditio resolutiva statim obligat contractus, qui conditione impleta resolvitur. Auctores etiam tractant de conditione de præsenti et de præterito, quæ quando apponuntur contractui illum non suspendunt, sed illius executionem suspendunt donec constat utrum conditio verificetur necne.

Modus est onus mere superadditum contractui, quod est quidem ex justitia implendum quamvis obligatio contractus ab illo non dependeat, ut—Lego tibi viginti libras ut Missam quotannis pro anima mea celebres.

Ad diem contractus adest quando statim oritur obligatio, cujus executio differtur ad diem determinatum, ut—Convenio tecum, ut tibi solvam centum libras abhinc sex menses. Si incertum sit utrum dies unquam sit adventura fit contractus conditionatus, ut—Tibi debitum solvam quando navis ex India appulerit.

Contractus *sub causa* (quia) est validus vel invalidus prout error attingit rei essentiam an non, ut—Do eleemosynam tibi quia es pauper.

Similiter contractus *sub demonstratione;* in quo si error sit in quantitate, tota quantitas debetur si designata fuerit *demonstrative,* ut—Do tibi hunc agrum, triginta jugera; e contra excessus non debetur si *taxative* quantitas fuerit designata, ut—Do tibi quinque libras, quæ in crumena sunt.

CAPUT VI.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

Articulus I.

DE PROMISSIONE.

Promissio est deliberata, et spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona, et possibili.

Hinc differt a proposito, quod est voluntas aliquid faciendi sine intentione sese obligandi.

I. Ut promissio obliget requiritur ut a promissario acceptetur, quia quamvis mera sua voluntate potest quis sese re aliqua exspoliare, non tamen potest jus alteri tradere sine ejus acceptatione.

II. Promissio simplex et gratuita, per se loquendo, solum obligat sub veniali, quia obligat tantum ex fidelitate; nisi promissor jus ad rem alteri tradere voluerit, vel grave damnum ex promissione violata alteri acciderit.

In promissione onerosa ordinarie præsumitur intentio sese ex justitia obligandi. Lugo, XXIII. n. 93.

III. Obligatio promissionis cessat: 1° Si res promissa facta est illicita, inutilis, vel impossibilis; 2° Propter mutatas conditiones, quas si promissor prævidisset non promisisset.

IV. Lege nostra Anglica non datur actio ad

exigendam impletionem promissionis gratuitæ nisi sit *by deed* firmata. Anson, p. 56; Pollock, p. 168; Crolly, II. n. 281.

Articulus II.

DE DONATIONE.

Donatio est contractus quo quis dominium rei suæ sive immobilis sive mobilis alteri gratuito tradit, a quo accipitur. Crolly, II. n. 325.

Dividitur in donationem *inter vivos*, cui competit definitio tradita; et in donationem *mortis causa*, quæ habetur quando moribundus mortis intuitu tradit alteri rem ab eo habendam ut propriam si mors sequatur, aliter donatori restituendam.

I. Donare res suas possunt omnes qui nulla lege prohibentur. Lege vero naturali prohibentur omnes qui carent usu rationis ut infantes, amentes, perfecte ebrii; lege municipali minores, quæ tamen intelligenda videtur sensu supra explicato (p. 104); uxores vero possunt sua propria et separata donare. Lehmkuhl, I. n. 1084.

II. Ut donatio valeat requiritur acceptatio ex altera parte nempe a donatario vel ab alio ejus nomine; quæ sufficit de jure naturali et in foro conscientiæ; lex vero Anglica requirit ut res donata vel donatario seu alteri ejus nomine tradatur, vel fiat *by deed*, ut donatio censeatur valida in foro externo; res vero immobilis ex præscriptis juris Anglici tantum *by deed* donari potest.

III. Donatio ab aliquo facta qui est ære alieno gravatus, nec est solvendo, illicita est et irrita, saltem ex communi sententia si donatarius sit in

mala fide, seu sciat statum labilem donatoris, ac proinde a donatario restituenda. Ratio est, quia qui donum ita accipit conscius damni creditoribus illati, cooperatur in injuria quæ iis infertur, et ad restitutionem obligatur. Si vero bona fide accipit plures et graves doctores docent eum ad nihil teneri; non ratione rei acceptæ quia hæc erat dantis et dominium valide est translatum, non ratione injustæ damnificationis quia aderat bona fides. Ballerini, VIII. pt. 2, n. 223.[1]

IV. Donatio *mortis causa*, sicut legatum, natura sua revocabilis est quamdiu vivit donator; post ejus mortem fit irrevocabiliter donatarii, nisi ad debita donatoris solvenda requiratur. Donatio *inter vivos* post donatarii acceptionem non est revocabilis lege nostra nisi facta fuerit in fraudem creditorum. Jus Romanum permisit ut varias ob causas donatio revocaretur v.g. ob ingratitudinem donatarii, quod secuti plurimi theologi idem tradunt, quod tamen nequit applicari ubi jus Anglicum viget. Ballerini, VIII. pt. iii. n. 152.

[1] Sæpe tamen *the trustee in bankruptcy* posset tale donum recuperare ex lege municipali, nam ut ait Stephen, II. p. 172: "It is enacted, that every settlement (including every conveyance or transfer) of property made by a debtor—not being a settlement made before and in consideration of marriage, or in favour of a purchaser or incumbrancer, *bona fide* and for valuable consideration, or a family settlement of property accruing after marriage in right of a settlor's wife,—shall, if the settlor become bankrupt within two years after its date, be void as against his trustee; and shall be so void if he become bankrupt within ten years, unless the parties claiming thereunder can prove that at the time it was made the settlor was solvent without the aid of the property settled, and that the interest of the settlor had passed to the trustees of the settlement on the execution thereof."

Articulus III.

DE TESTAMENTIS.

Testamentum est "Voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit." L. i. ff. *Qui testamenta, de eo quod quis velit,* et consonat juri nostro. Scilicet testator potest per testamentum disponere non tantum de bonis, sed etiam designare custodem liberis, eligere sepulturæ locum, etc.

Post mortem, quia effectum nonnisi post mortem habet. Heb. ix. 16.

Testamentum est *scriptum* et *nuncupativum* seu *verbale,* quod nunc usui est solum militibus et nautis actuali servitio incumbentibus. 7 William IV. and 1 Victoria, c. 26, sec. 11.

Forma testamenti præscribitur 7 William IV. and 1 Victoria, c. 26, sec. 9: "And be it further enacted, That no will shall be valid unless it shall be in writing, and executed in manner hereinafter mentioned; that is to say, it shall be signed at the foot or end thereof by the testator, or by some other person in his presence and by his direction; and such signature shall be made or acknowledged by the testator in the presence of two or more witnesses present at the same time, and such witnesses shall attest and shall subscribe the will in the presence of the testator, but no form of attestation shall be necessary." Cf. Stephen, I. p. 573.

Disputant theologi utrum vi talis legis testamentum informe sit nullum et irritum etiam in

conscientia. Etiam in hac quæstione nobis vera videtur sententia supra exposita, juxta quam talis lex municipalis tunc tantum incipit suam vim exerere quando a parte cujus interest invocatur. Unde qui sine fraude ex testamento informi aliquid accipit, potest tuta conscientia illud retinere; cui tamen prodesset illud invalidum declarari ille potest sententiam auctoritatis competentis petere; post talem sententiam prolatam huic est standum in utroque foro.

Testamentum ad causas pias quæ ad cultum Dei et religionem pertinent (Ballerini, VIII. pt. iii. n. 703), quod subest auctoritati Ecclesiæ, nulla eget solemnitate ut valeat, sed opus est tantum ut voluntas testatoris certo innotescat. Hinc in foro conscientiæ, supposita potestate disponentis, sufficiunt scriptura, nutus, vel aliud signum testatoris, absque ullo teste. In foro externo requiruntur et sufficiunt duo testes, vel plena probatio voluntatis testatoris. (Ballerini, l. c.) Huic sententiæ sane communiori adhæsit S. Pœnitentiaria 23 Jun. 1844.

Putabat tamen Eminent. D'Annibale: "Quamdiu S. Sedes locuta non fuerit . . . non oportere inquietari eos qui, extra Ditionem Pontificiam, non præstant relicta ad causas pias in testamento irrito ex jure civili." (Vol. ii. n. 339, Edit. 4ª.) Quæ sententia respicit tantum testamenta irrita jure civili ob defectum formæ, et nullo modo est extendenda ad leges municipales injustas, quæ decernunt legata ad Missas esse ad usus superstitiosos legata et invalida. Lilly and Wallis, *A Manual*, etc. p. 135; cf. Sabetti, n. 511.

Codicillus, seu parvus codex, vocatur ultimæ voluntatis dispositio qua circa testamentum aliquid explicatur, aut addendo vel demendo immutatur. Apud nos eisdem sollemnitatibus gaudere debet ac testamentum. Sabetti, n. 514; 7 William IV. and 1 Victoria, c. 26, secs. 20—22.

Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, qua defunctus cuipiam directe relinquit donum aliquod, ab eo qui ultimam voluntatem exequitur præstandum.

Post mortem testatoris legatarius obtinet jus ad legatum, non tamen habet jus in re nisi post legatum traditum. Hinc qui injuste detinet legata ecclesiæ relicta non committit sacrilegium. S. Alphonsus, III. n. 42.

Qui exequitur voluntatem ultimam defuncti ante legata solvenda debet satisfacere ejus creditoribus, imo si qui creditores appareant post legata soluta, nec aliunde eis satisfieri potest, debent legatarii pro rata restituere ut eis satisfiat. Stephen, II. p. 219.

Omnes possunt testamentum facere qui nullo jure prohibentur. Jure naturæ prohibentur infantes, qui usum rationis non habent; insani; metum gravem passi saltem ex jure positivo rescindibile tantum testamentum conficiunt. Jure ecclesiastico solemniter professi; jure municipali minores infra 21 annos, exceptis militibus et nautis de mobilibus dum actu serviunt, testandi sunt incapaces; nuptæ post Married Women's Property Act, 1882, possunt de propriis facere testamentum, necnon nuptæ ante istam legem latam de bonis propriis post istud tempus acquisitis. Crolly, II. n. 334.

Qui bonis defuncti succedunt sunt: 1° Hæredes *necessarii*, qui a testatore excludi non possunt; 2° *Legitimi*, qui de jure succedunt ab intestato; 3° *Voluntarii*, qui ex libera testatoris voluntate ad hæreditatem vocantur.

Jure Anglico, nulli agnoscuntur hæredes necessarii; et testator potest bona cuicumque vult relinquere. Attamen jure naturali ex pietate tenetur, nisi sit causa excusans, providere necessitatibus cognatorum propinquiorum. Lugo, XXIV. n. 163; Stephen, II. p. 194.

Qui de jure succedant ab intestato et quo ordine habentur apud Stephen, II. p. 222; Crolly, II. n. 374; Encyclop. of Laws, s.v. Distributions.

Testamentum dum testator vivit ab eo semper revocari potest, et quidem per testamenti destructionem, per novi confectionem, cum intentione prius revocandi, per matrimonium, per aliam dispositionem rerum ante mortem a testatore factam. Sabetti, n. 515; Crolly, II. n. 363; 7 William IV. and 1 Victoria, c. 26, secs. 18 and 20.

Executor est cui testamento committitur executio ultimæ voluntatis. Omnes qui testari valent etiam executores institui possunt, qui tamen officium suscipere non coguntur, sed illud recusare valent. Si quis moritur intestatus locum executoris supplet *administrator*. Hi lege nostra defunctum quoad bona repræsentant. Eorum officia sunt: 1° Defunctum sepelire. 2° Testamentum modo legitimo probare, vel litteras administrationis obtinere. 3° Inventarium omnium bonorum defuncti conficere. 4° Ea bona colligere. 5° Debita defuncti, quatenus

ad hoc ejus bona sufficiunt, solvere. 6° Solvere legata, et distribuere *the estate*. Stephen, II. p. 212; Crolly, II. nn. 361, 369.

Disputant doctores utrum facultas testandi sit ex jure positivo, an ex jure naturali. Nobis præferenda prior sententia videtur, ratio enim est valde efficax:—Testamentum effectum suum sortitur non nisi post mortem testatoris; mortuus autem testator non amplius bona olim sua possidet, nec de iis disponere valet; unde effectus testamenti est ex jure positivo. Ballerini, VIII. n. 697; Crolly, II. n. 379; Lehmkuhl, I. n. 1143.

Articulus IV.

DE MUTUO ET USURA.

Mutuum aliquando significat ipsam rem mutuo datam; hic præsertim contractum significat quo res alteri mutuo datur. Definitur contractus quo per traditionem transfertur dominium rei primo usu consumptibilis in alterum cum obligatione tantumdem reddendi in eadem specie et bonitate post aliquod temporis spatium.

Est igitur contractus realis qui traditione perficitur, per quem rei dominium alteri transfertur. Versatur tantum in rebus primo usu consumptibilibus, seu quæ in ipso usu consumuntur seu saltem distrahuntur, ut vinum, oleum, triticum, et per se pecunia. Eadem vocantur etiam res *fungibiles* vel *infructuosæ*.

In contractu mutui quæstio præcipua tractanda circa usuram versatur.

Usuræ definitio. "Ea propria est usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumpto, nullove periculo lucrum fœtusque conquiri studetur." Leo X. in Conc. Lat. V. sess. v. 4.

Talis usura illicita est jure naturali, divino et ecclesiastico.

(*a*) Est illicita jure naturali. Nam, data usura, exigitur pretium pro re primo usu consumptibili, et pro ejus usu. Atqui hoc est injustum. Nam usus talium rerum non est aliud quidquam quam earum consumptio, ac proin valorem alium non habet usus præter eum quem habent ipsæ res. Ergo usus talium rerum per se præcise sumptus non est pretio æstimabilis. Atqui injustum est pretium exigere pro re pretio non æstimabili. S. Thomas, II-II. q. 78, a. 1.

(*b*) Prohibetur usura etiam jure divino et ecclesiastico, ut constat ex notis documentis. Lehmkuhl, I. nn. 1096—1098.

Contractus igitur mutui natura sua est gratuitus, quatenus nihil juste exigi potest præcise pro usu rei quæ ipso usu consumitur.

Attamen quamvis illicitum sit mutuanti exigere aliquid ultra sortem præcise vi mutui, licitum est et Ecclesia semper permisit ut ratione variorum titulorum extrinsecorum aliquid ultra sortem exigeretur quando tales tituli adessent. Tituli communiter admissi sunt *damnum mutuantis emergens* propter mutuum, *lucrum cessans*, *periculum sortis;* quibus

plures addunt alios, ut titulum legis civilis, et consuetudinis vim legis habentis.

Pecunia per se, quatenus est medium commutationis, est res primo usu consumptibilis, quia necessario in ipso usu distrahitur, est res per se infructuosa, quæ non germinat, ac proinde usuræ peccatum per se committitur, si præcise vi mutuatæ pecuniæ aliquid ultra sortem a mutuante exigitur. S. Thomas, II-II. q. 78, a. 1.

Attamen ob mutatas circumstantias, quæ hodie obtinent, plures theologi putant pecuniam esse virtualiter productivam.[1] Nam pecunia nunc facillime commutatur cum agris, ædibus, machinis et aliis rebus naturaliter vel civiliter productivis, quod seculis retroactis non ita usuvenit. Præterea, facta

[1] Definiri non potest quo tempore istæ mutatæ circumstantiæ evaserint communes, ut optime scribit Dr. Cunningham: "In dealing with the Christendom of earlier ages we have found it unnecessary to take account of capital, for—as we understand the term in modern times—it hardly existed at all. In the fourteenth and fifteenth centuries we may notice it emerging from obscurity, and beginning to occupy one point of vantage after another, until it came to be a great political power in the state. It served, too, as an instrument for facilitating the development of commerce, of industry, and of agriculture, in the territories of European nations, and also for effecting the colonization of the newly discovered lands. . . . It would be still more hopeless to try to treat the intervention of capital as an event which happened at a particular epoch, or a stride which was taken within a given period. It is a tendency which has been spreading with more or less rapidity for centuries, first in one trade and then in another, in progressive countries. We cannot date such a transformation even in one land; for though we find traces of capitalism so soon as natural economy was ceasing to be dominant in any department of English life, its influence in reorganizing the staple industry of this country was still being strenuously opposed at the beginning of the present century." W. Cunningham, *Western Civilization*, p. 163.

capital ut dicitur, quamdam productivitatem induit quatenus est instrumentum aliam pecuniam producendi. Hinc fit ut in re pecuniaria contractus mutui amplius locum non habeat, sed alius contractus quo moderatum interesse pro præstatione pecuniæ licite sumitur. Ita Lehmkuhl, I. 1105; Vermeersch, Quæstiones de Justitia, n. 375; Antoine, Econ. soc. p. 498; Génicot, I. n. 610; Ballerini, VIII. pt. iii. n. 347 (nota): aliique. Alii e contra hæc non admittunt, at dicunt ob facilitatem tradendi pecuniam etiam in parva quantitate commercio vel societatibus industrialibus vel viarum ferrearum vel guberniis unde lucrum reportari potest, communiter nunc existere titulos extrinsecos ob quos semper licuit aliquod interesse recipere ex pecunia mutuata. Unde communiter nunc quando præstatur alteri pecunia, adest *damnum emergens*, *lucrum cessans*, et vix abest *periculum sortis*, si pericula negotiationis et industriæ consideremus. Unde fit ut quod seculis retroactis erat exceptionale et in singulis casibus probandum, nunc fiat regula juxta quam agere licet. Praxis hodierna ecclesiæ quæ moderatum interesse ordinarie permittit, ac quæ ita differt a praxi antiqua, satis bene defendi potest sive hic sive ille modus conciliationis eligatur.

Patet autem interesse ut sit licitum debere esse moderatum. Nam si dicatur pecuniam nunc esse rem fructiferam, suum justum pretium ex communi æstimatione habebit, quod excedere salvâ justitiâ non licebit; et si e contra dicatur pecuniam non esse quidem fructuosam, at communiter haberi titulos extrinsecos propter quos interesse exigere

ordinarie licet, constat hoc interesse debere iis titulis esse proportionatum, cujus mensura iterum erit communis æstimatio. P. Lehmkuhl, I. n. 1108, putat justum interesse vix posse ascendere usque ad 20 pro centum, in circumstantiis vigentibus. S. C. de P. F. respondit anno 1645 Christianos Sinenses non esse inquietandos, qui triginta pro centum recipiebant, quantitatem legibus patriis taxatam. Collect. n. 2118; cf. Crolly, II. n. 621.

Si in præsenti non est contra justitiam interesse moderatum ex pecunia mutuata recipere, nec erit contra justitiam hoc etiam a paupere exigere, quamvis erit contra caritatem si caritas exigat ut propter necessitatem gratis ei succurratur.

Articulus V.

DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Venditio et emptio est unicus contractus dandi mercem pro determinato pretio et pretium pro determinata merce.

Nomine mercis intelliguntur omnes res quæ vendi solent, nomine pretii intelligitur pecunia. Si res cum re permutatur vocatur contractus permutatio (*exchange* or *barter*).

Sectio Prima.

DE VENDITIONE MOBILIUM.

Primo generalia principia de venditione et emptione mobilium (*goods*) sunt tradenda, deinde immobilium quæ sunt lege nostra specialia.

§ 1. *De ipso contractu.*

Hic contractus perficitur solo consensu partium. Ex jure quidem Romano dominium non transferebatur nisi facta traditione, aliter vero statuit jus Anglorum, v. Sale of Goods Act, 1893, 56 and 57 Victoria, c. 71, secs. 16 and 17:

16. "Where there is a contract for the sale of unascertained goods no property in the goods is transferred to the buyer unless and until the goods are ascertained.

17. (1) Where there is a contract for the sale of specific or ascertained goods the property in them is transferred to the buyer at such time as the parties to the contract intend it to be transferred.

(2) For the purpose of ascertaining the intention of the parties, regard shall be had to the terms of the contract, the conduct of the parties, and the circumstances of the case."

Sec. 18, dantur regulæ ad intentionem partium dignoscendam.

Sec. 20, statuitur cujus periculo sint res venditæ.

20. "Unless otherwise agreed, the goods remain at the seller's risk until the property therein is transferred to the buyer, but when the property therein is transferred to the buyer, the goods are at the buyer's risk whether delivery has been made or not.

Provided that where delivery has been delayed through the fault of either buyer or seller the goods are at the risk of the party in fault as regards any loss which might not have occurred but for such fault."

Aliquando, ut si valor rerum venditarum non sit minor quam decem libræ, requiritur lege Anglica scriptura vel aliæ conditiones quædam ut actio detur in foro externo, quæ tamen non afficiunt conscientiam. Sale of Goods Act, sec. 4.

§ 2. *De re vendita.*

Aliquando venditor tenetur emptori manifestare defectus rei venditæ, aliquando non tenetur. Defectus autem mercis sunt substantiales vel accidentales, occulti vel manifesti, et de iis venditor interrogatur vel non.

I. Ex jure naturali tenetur venditor manifestare defectus substantiales qui faciunt rem aliam ac apparet, vel nocivam, vel inutilem fini noto emptoris. Aliter enim est error substantialis et contractus nullus. Lehmkuhl, I. n. 1112.

II. Non tenetur venditor manifestare defectus accidentales, dummodo non vendat rem supra pre-

tium summum. Hoc sensu valet axioma juris nostri Caveat emptor.[1] Stephen, II. p. 84.

III. Si sit interrogatus de defectu occulto accidentali debet eum declarare vel saltem dicere se nolle cautionem præstare. Aliter enim doli esset reus. Crolly, II. n. 519; Sale of Goods Act, secs. 13 and 14.

IV. Nisi contrarium appareat venditor implicite saltem spondet se jus vendendi habere, et emptorem possessionem tranquillam habiturum; si postea apparet venditorem jus vendendi non habuisse contractus rescinditur, et si possessio non sit tranquilla datur actio ad damna contra venditorem. Stephen, II. p. 84; Sale of Goods Act, sec. 12.

§ 3. *De Pretio.*

Pretium aliud est *legale* aliud *vulgare*. Pretium legale auctoritate publica statuitur, ut pretium *railway tickets* in aliquibus casibus, *cab fares* et hujusmodi. Pretium vulgare est quod imponitur rebus communi hominum intelligentium judicio. Hoc

[1] "In general, where an article is offered for sale, and is open to the inspection of the purchaser, the common law does not permit the latter to complain that the defects, if any, of the article, are not pointed out to him. The rules are *Caveat Emptor* and *Simplex commendatio non obligat*. . . . If the seller induces the buyer to buy by any material misrepresentation fraudulently made in regard to them, the rule of *caveat emptor* does not apply to prevent the buyer rescinding the purchase or claiming damages for the fraud, and the use of any device by the vendor to induce the buyer to omit inquiry or examination into the defects of the thing sold is as much a fraud as an active concealment by the vendor himself." Encyclop. of Laws, s.v. *Caveat Emptor*.

admittit quamdam latitudinem, et dividitur in *summum, medium, infimum:* summum est supra quod res æstimari non solet; infimum est infra quod res æstimari non solet; medium est inter utrumque.

I. Si constituitur pretium alicujus rei legale, illud est servandum ordinarie quamdiu lex viget; quia imponitur ab auctoritate legitima et censendum esse justum. Aliter recurrendum est ad communem æstimationem, quæ rerum valorem pro diversis circumstantiis æstimat, melior enim valoris mensura non datur. Lugo, XXVI. n. 38; Vermeersch, Quæstiones de Justitia, n. 343.

II. Si agatur de rebus, præsertim singularibus de quarum valore non datur communis æstimatio, ut sunt gemmæ, picturæ, res antiquæ, etc., aliqui dicunt harum pretium a peritis esse statuendum; probabiliter illud erit pretium justum de quo sine fraude partes inter se conveniunt. S. Alphonsus, III. n. 807.

III. Potest quis vendere pretio currente rem quam scit mox minoris valituram: ratio est quia vendit pretio justo.

IV. Quoad venditionem pretio currente rei mixtæ cum alia viliori, hæc habet Molina, tom. ii. d. 353, n. 33: "Quando pretium non est lege taxatum, aliquidque admiscetur rebus, quæ venduntur, ut vino aqua, medicamentis aliqua inconsueta, distinguendum est. Quoniam si mixturæ nocumentum afferre possunt, tunc vendentes res mixtas eo modo, tenentur ad damna omnia subsequuta, itemque ad restitutionem ejus, quod res

illæ minus ementi valent quam sit id, quod pro eis dedit. Si vero nocumentum non afferant, res tamen minus utiles ad id sint, ad quod emuntur, tunc vendentes restituere tenentur, quod minus emptoribus ad id valent, ad quod emuntur: quare si nihil ad id conducant, restituere tenentur integrum pretium; ut si medicamentum propter mixturam inutile reddatur, ad quod emitur. Quod si res eo modo mixtæ utiles ad id sint, ad quod emuntur; tantumque de pretio detrahatur quantum par sit propter mixturam, tunc vendentes ad restitutionem non tenentur; eo quod pretium justum non excesserint; peccant tamen, nisi necessitate compulsi id efficiant; ut quia aliter extrahere non possunt justum pretium rei, ut verbi gratia, vini, nisi parum aquæ illi admisceant: vel nisi res cum ea mixtura re vera valeat, quod pro ea datur, nec emptor pro eo pretio empturus esset meliorem. Arcendi tamen sunt venditores ab ejusmodi fallaciis ac deceptionibus." Cfr. S. Alphonsus, III. nn. 820, 821.

V. Vendentes qui multum laudant et exaggerant valorem rerum a se venditarum ordinarie non peccant contra justitiam dummodo non supra summum pretium vendant, quia vix eis creditur. Cf. Anson, p. 156.

VI. Non peccant contra justitiam mercatores qui vendunt barbaris res, cultis viles, barbaris vero pretiosas, magno pretio, quia apud ipsos sunt magno pretio; nec qui emunt res pretiosas vili pretio expositas apud veteramentarios.

VII. Venditor potest rem pluris vendere ratione specialis affectus quem ad eam habet, quia privatio

talis rei est pretio æstimabilis; non vero ratione specialis utilitatis emptoris quæ tota est ipsius. S. Alphonsus, III. nn. 806, 807.

§ 4. *Quædam Specialia de Dominii Translatione.*

Quoad tituli translationem hæc inter alia habet Sale of Goods Act, 1893.

21. (1) Subject to the provisions of this Act, where goods are sold by a person who is not the owner thereof, and who does not sell them under the authority or with the consent of the owner, the buyer acquires no better title to the goods than the seller had, unless the owner of the goods is by his conduct precluded from denying the seller's authority to sell. . . .

22. (1) Where goods are sold in *market-overt*, according to the usage of the market, the buyer acquires a good title to the goods, provided he buys them in good faith and without notice of any defect or want of title on the part of the seller. . . . "By sale in market-overt is meant selling goods in open market as opposed to selling them privately. In the country the market-place or piece of ground set apart by custom for the sale of goods is in general the only open market there; but in London, and in other towns where so warranted by custom, a sale in an open shop of proper goods is equivalent to, and in fact amounts to, sale in market-overt." Indermaur, p. 323.

23. When the seller of goods has a voidable title thereto, but his title has not been avoided at the

time of the sale, the buyer acquires a good title to the goods, provided he buys them in good faith and without notice of the seller's defect of title.

24. (1) Where goods have been stolen and the offender is prosecuted to conviction, the property in the goods so stolen revests in the person who was the owner of the goods, or his personal representative, notwithstanding any intermediate dealing with them, whether by sale in market-overt or otherwise. . . .

(2) Notwithstanding any enactment to the contrary, where goods have been obtained by fraud or other wrongful means not amounting to larceny, the property in such goods shall not revest in the person who was the owner of the goods, or his personal representative, by reason only of the conviction of the offender.

25. (1) Where a person having sold goods continues or is in possession of the goods, or of the documents of title to the goods, the delivery or transfer by that person, or by a mercantile agent acting for him, of the goods or documents of title under any sale, pledge, or other disposition thereof, to any person receiving the same in good faith and without notice of the previous sale, shall have the same effect as if the person making the delivery or transfer were expressly authorized by the owner of the goods to make the same.

§ 5. *De contractus executione.*

De contractus executione hæc habet eadem lex inter alia :—

27. It is the duty of the seller to deliver the goods, and of the buyer to accept and pay for them, in accordance with the terms of the contract of sale.

28. Unless otherwise agreed, delivery of the goods and payment of the price are concurrent conditions, that is to say, the seller must be ready and willing to give possession of the goods to the buyer in exchange for the price, and the buyer must be ready and willing to pay the price in exchange for possession of the goods.

29. (1) Whether it is for the buyer to take possession of the goods or for the seller to send them to the buyer is a question depending in each case on the contract, express or implied, between the parties. Apart from any such contract, express or implied, the place of delivery is the seller's place of business, if he have one, and if not, his residence. Provided that, if the contract be for the sale of specific goods, which to the knowledge of the parties when the contract is made are in some other place, then that place is the place of delivery. . . .

30. (1) Where the seller delivers to the buyer a quantity of goods less than he contracted to sell, the buyer may reject them, but if the buyer accepts the goods so delivered he must pay for them at the contract rate.

(2) Where the seller delivers to the buyer a

quantity of goods larger than he contracted to sell, the buyer may accept the goods included in the contract and reject the rest, or he may reject the whole. If the buyer accepts the whole of the goods so delivered he must pay for them at the contract rate.

(3) Where the seller delivers to the buyer the goods he contracted to sell mixed with goods of a different description not included in the contract, the buyer may accept the goods which are in accordance with the contract and reject the rest, or he may reject the whole.

(4) The provisions of this section are subject to any usage of trade, special agreement, or course of dealing between the parties.

32. (1) Where, in pursuance of a contract of sale, the seller is authorized or required to send the goods to the buyer, delivery of the goods to a carrier, whether named by the buyer or not, for the purpose of transmission to the buyer is *primâ facie* deemed to be a delivery of the goods to the buyer.

(2) Unless otherwise authorized by the buyer, the seller must make such contract with the carrier on behalf of the buyer as may be reasonable having regard to the nature of the goods and the other circumstances of the case. If the seller omit so to do, and the goods are lost or damaged in course of transit, the buyer may decline to treat the delivery to the carrier as a delivery to himself, or may hold the seller responsible in damages. . . .

35. The buyer is deemed to have accepted the goods when he intimates to the seller that he has

accepted them, or when the goods have been delivered to him, and he does any act in relation to them which is inconsistent with the ownership of the seller, or when after the lapse of a reasonable time, he retains the goods without intimating to the seller that he has rejected them.

36. Unless otherwise agreed, where goods are delivered to the buyer, and he refuses to accept them, having the right so to do, he is not bound to return them to the seller, but it is sufficient if he intimates to the seller that he refuses to accept them. . . .

39. (1) Subject to the provisions of this Act, and of any statute in that behalf, notwithstanding that the property in the goods may have passed to the buyer, the unpaid seller of goods, as such, has by implication of law—

(*a*) A lien on the goods or right to retain them for the price while he is in possession of them;

(*b*) In case of the insolvency of the buyer, a right of stopping the goods *in transitu* after he has parted with the possession of them;

(*c*) A right of re-sale as limited by this Act.

Sectio altera.

DE VENDITIONE IMMOBILIUM.

De venditione immobilium, re lege nostra satis implexa, sufficit pauca excerpere ex Encyclopœdia of the Laws of England, s.v., Vendor and Purchaser.

I. Primo statuitur quinam vendere vel emere immobilia possint.

"The general rule as to who may be parties to a contract of sale and purchase of land may be conveniently expressed in the form of two propositions: (1) Any owner of an estate in land has power to sell and effectually convey the land to the extent of that interest, but no further. (2) Any person or corporate body legally capable of owning land has power to purchase and take an effectual conveyance of it."

Quibus tamen regulis plures ibidem dantur exceptiones.

II. Contractus hic, præter alia ex natura contractus requisita, debet esse in scriptis, quæ cum nominibus contrahentium continent ea quæ sunt majoris momenti, ut rem certam venditam, ejusque pretium. Est aliquatenus contractus uberrimæ fidei, et si de eo in judicio agitur, debet esse a reo, vel ab ejus negotiorum gestore subscriptus.

III. Effectus ipsius contractus habentur verbis Jessel, M.R., in *Lysaght* v. *Edwards:* "The moment there is a valid contract for sale, the vendor becomes in equity a trustee for the purchaser of the estate sold, and the beneficial ownership passes to the purchaser, the vendor having a right to the purchase money, a charge or lien on the estate for the security of that purchase money, and a right to retain possession of the estate until the purchase money is paid, in the absence of express contract, as to the time of delivering possession."

IV. Ex quo contractu oriuntur, ipsa lege ita disponente nisi expresse a partibus excluduntur,

hæc officia partium inter alia quibus contractus completur:—

A. Duties of the Vendor:—

(*a*) He is bound to both show and make a good title in accordance with the contract.

(*b*) Upon being paid the purchase money and any interest upon it that may have become payable, the vendor is bound to execute, and procure the execution by all other necessary parties (if any) of a proper deed of conveyance vesting the legal and equitable estate in the purchaser.

(*c*) He must, in, or concurrently with the conveyance, enter into proper covenants for title and sometimes into certain other covenants.

(*d*) Upon completion he must hand over to the purchaser all title-deeds in his possession or power.

(*e*) Upon completion, possession of the property, if not already obtained, must be given by the vendor to the purchaser.

(*f*) He must do all things necessary for completion within the time agreed upon, if time is essential, or otherwise within a reasonable time.

B. Duties of the Purchaser:—

(*a*) Correlatively with the first duty of the vendor above mentioned, the purchaser is bound to peruse the abstract when received, inspect the title-deeds produced, and make all objections and requisitions in due course.

(*b*) He must prepare the conveyance and tender it to the vendor for execution.

(*c*) Upon completion he must pay the persons properly entitled to receive it, the purchase money

and any interest upon it which may have become payable, and where equities or encumbrances exist of which he has notice, he is, unless the necessary parties capable of giving receipts concur, bound to see to the proper application of the purchase money.

(*d*) He must pay to the vendor all proper costs and expenses incurred by the vendor, the liability for which is by law imposed upon the purchaser.

(*e*) He must, upon completion, take possession of the property so as to relieve the vendor from all future liabilities incident to the ownership.

(*f*) He must, like the vendor, do all things necessary for completion within the time agreed upon, or, if none, within a reasonable time.

Articulus VI.

DE VENDITIONE SUB HASTA.

Venditio sub hasta (*auction*) est venditio per concursum ita ut res plurimum offerenti cedi debeat, juxta conditiones contractus.

Ordinarie qualitates rei vendendæ et contractus conditiones, ut si venditor sibi reservat jus licitandi, vel pretium aliquod rei infimum, tum scriptis tum voce præconis innotescunt.

I. Contractus hic sine fraude initus est licitus etiamsi pretium crescat supra summum vel decrescat infra infimum, nam publica potestas approbat pro justo pretium illud quod concursu emptorum publice probatur. S. Alphonsus, III. n. 808.

II. Injuste agit venditor si occulte licitatores ad pretium augendum immittat, sicut et licitatores qui conspirant ad non licitandum ut pretio infra infimum res vendatur. Si tamen expresse est conventum licebit venditori ipsi vel uni alteri cui id commisit licitari ex lege et consuetudine nostra. Encyclop. of Laws, s.v. Auction.

III. Non videtur esse illicitum si pauci, aliis licitatoribus remanentibus, inter se conveniunt ne contra se invicem licitentur; alii enim remanent quorum concursu venditor pro re justum pretium accipiat, nec quisquam mediis injustis prohibetur quominus licitetur. Quod approbat apud nos consuetudo. Encyclop. of Laws, s.v. Auction; Bucceroni, I. n. 1164.

IV. Ut contractus valeat requiritur ut ultimæ licitationi accedat acceptatio præconis, quæ ordinarie ictu malleoli significatur; et sæpe ut actio detur in curiis nostris requiritur ut contractus scriptis probetur nomine emptoris vel ejus negotii gestoris subsignatis. Encyclop. of Laws, s.v. Auction.

Articulus VII.

DE MONOPOLIO.

Monopolium generatim est cum mercatores id curant et efficiunt ut pauci ipsi soli vendant aut ut quotquot sunt certo pretio vendant. Ballerini, VIII. pt. iii. n. 418, p. 707; Vermeersch, Quæstiones de Justitia, n. 354.

I. Monopolium est illicitum quatenus impedit

alios quominus comparent sibi vitæ necessaria vel utilia, et eorum pretia perturbat. (D'Annibale, II. n. 470.) Hinc monopolium earum rerum quæ pertinent ad luxum vel delicias, ut gemmæ, picturæ, equi generosi, non est illicitum. S. Alphonsus, III. n. 816.

II. Nec est illicitum monopolium in rebus vitæ necessariis vel utilibus ut tritico, *cotton*, si fiat ad moderatum lucrum obtinendum; ad hoc enim jus habent mercatores. Idem dicendum est de operariis qui operas suas vendunt.

III. Nec est illicitum monopolium legitime a principe concessum; convenit tamen ut pretium rerum tunc ipse taxet. (Ballerini, VIII. pt. iii. n. 422, p. 708.) Quoad legem Anglicam consulatur Encyclopœdia of English Laws, s.v. Monopoly.

IV. Si vero mercatores impediant vi, fraude, mendaciis, quominus aliæ merces advehantur, ut ipsi suas carius vendant, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur; quia mediis injustis damnum inferunt reipublicæ. S. Alphonsus, III. n. 815.

V. Si plures inter se conspirent de pretio ut non minoris vendant vel pluris emant, non erit contra justitiam si sit intra limites justi pretii; erit contra justitiam si sit supra pretium summum vel infra infimum. Pretium autem justum est quod citra monopolium existeret, quod pendet ex æstimatione communi spectata copia vel raritate rerum, emptorum et venditorum, non ex voluntate mera vendentium vel ementium. (Ballerini, VIII. pt. iii. n. 420, p. 707.) Dictum est non esse contra *justitiam* si sit

intra limites justi pretii; videtur tamen fore contra caritatem si pretium summum cum damno aliorum exigeretur.

VI. Si unus vel plures cöemunt omnes vel fere omnes merces alicujus generis ut crescente pretio vendant cum magno lucro, peccant certo contra caritatem; immo communis sententia dicit eos peccare contra justitiam si vendant pluris pretio summo quod citra monopolium existeret, ut in priori casu; quod tamen Lessius, Molina aliique negant eo quod semper emant et vendant pretio currente. Ballerini, VIII. pt. iii. n. 423, p. 709; D'Annibale, III. n. 470.

Articulus VIII.

DE CONTRACTU QUI VOCATUR "BAILMENT."

Bailment est contractus quo res alteri traditur ad finem et scopum determinatum quem alter vi contractus procurare pro viribus tenetur. Encyclop. of Laws, s.v. Bailments.

Quædam *bailments* sunt exclusive in commodum ejus qui rem alteri tradit, qui vocatur *the bailor*, ut *depositum* et *mandatum*.

Alia sunt exclusive in commodum ejus cui res traditur, qui vocatur *the bailee*, ut *commodatum*.

Alia sunt partim in commodum rem tradentis, partim in commodum ejus cui res traditur, ut *locatio rei*, *vadium* vel *pignori acceptum*, et *locatio operis faciendi*.

Is cui res traditur tenetur uti diligentia in contractu exequendo, et si ipse exclusive commodum

inde accipiat tenebitur de levi negligentia; si *the bailor* commodum exclusive accipiat, *the bailee* tenebitur tantum de crassa negligentia; si uterque commodum accipiat, the *bailee* tenebitur de negligentia ordinaria.

Ordinaria vero negligentia est omissio istius curæ quam homines ordinarie prudentes de suis rebus exercent; negligentia *crassa* est omissio istius curæ quam homines ordinarie prudentes quamvis inattenti de suis rebus exercent; negligentia *levis* est omissio istius curæ quam prudentissimi et cautissimi de suis rebus exercent. Chitty, p. 412; Stephen, II. p. 92.

Quæ quidem lege ipsa statuuntur, ita tamen ut si partes velint, specialem contractum de gradu curæ adhibendæ inire possint, quem deinde lex urgebit. Alterum etiam est addendum; etiamsi *the bailee* nullum commodum accipiat, si tamen scientiam vel artem habeat quam negligit exercere in contractu exequendo, hoc ei imputabitur in crassam negligentiam; unde si medicus gratis curam infirmi suscipiat, nisi curam ordinariam exerceat, tamquam reus crassæ negligentiæ tenebitur. Chitty, p. 415; Indermaur, p. 117.

Breviter de singulis speciebus hujus contractus (*bailment*) nunc est agendum.

§ 1. *De Deposito.*

Depositum est contractus, quo res alicui gratis custodienda traditur ea lege ut eadem quandocumque restituatur. L 1. ff. *Depositi.*

Depositarius generaliter non potest re deposita uti, nam traditur ei gratis custodienda; debet eam curam gerere de re deposita quam de suis gerit; tenebitur vero tantum de crassa negligentia, nisi officiose et spontanee sese obtulit ad depositum custodiendum, tunc enim etiam de ordinaria negligentia tenebitur; quod idem dicendum si commodum e deposito accipiat. Chitty, p. 413.

Depositarius nulla obligatione tenebitur si quid majore vi prævalente contingat, ut ex rapina, actu Dei (*act of God*). Chitty, p. 413.

Caupones censentur depositarii earum rerum quas itinerantes afferunt ad eorum diversorium; unde generaliter de damnis et furtis tenentur illatis vel a domesticis vel ab extraneis. V. infra, § 6.

§ 2. *De Mandato.*

Mandatum est contractus quo mandatarius suscipit obligationem gratis aliquid circa rem mandatam faciendi, vel eam portandi.

Nemo tenetur mandatum suscipere sed si quis suscipiat, illud exequi tenetur.

Mandatarius tenetur tantum de crassa negligentia; et cetera quæ sunt supra dicta de depositario applicari possunt mandatario. Indermaur, p. 116.

§ 3. *De Commodato.*

Commodatum est alicujus rei ad solum et determinatum usum, certumque tempus gratuita concessio.

Quum commodatarius exclusive commodum e re commodata accipiat, etiam de levi negligentia tenebitur; nec ad alium usum præter eum in quem concedebatur, nec ultra tempus concessum re uti potest. Sic Caius cui commodatur equus ad equitandum, non licite tradit equum suo famulo equitandum. Chitty, p. 416; Indermaur, p. 117.

§ 4. *De Locatione rei.*

Locatio rei est contractus quo conceditur alteri usus alicujus rei pro pretio ad tempus determinatum.

Quatenus contractus est in commodum tum locatoris tum conductoris, hic tenetur de negligentia ordinaria. Non tenetur de casu fortuito, v.g., incendio.

§ 5. *De Pignore.*

Pignus est contractus quo debitor rem mobilem creditori tradit in assecurationem crediti. Hic contractus dat jus qualificatum in re pignus accipienti cum jure limitato possessionis; distinguendum est hoc jus a *lien*, quod tantum jus dat rem retinendi; et ab *hypotheca* (*mortgage*) quæ tradit rei dominium hypothecario. (Indermaur, p. 119.) Creditor tenetur de negligentia ordinaria circa rem oppignoratam. Non debet re uti, nisi forte usus ipsi rei prosit, vel ad compensandum sibi pro expensis, ut si debeat animal oppignoratum sustentare. Tempore elapso intra quod debitum erat solvendum, creditor potest vel nuntiatione debitori

data vendere pignus, vel actionem debiti contra debitorem intendere, vel potest vendere pignus et si pretium acceptum debito non adæquat, ad id quod remanet recuperandum actionem intendere potest.

Creditor jus habet ad debitum recuperandum, etiamsi res citra ejus culpam sit amissa, vel perierit, vel vi ablata fuerit.

Ab anno 1872, the Pawnbrokers' Act pignora minoris valoris regit, quorum scilicet valor non excedit decem libras sterlinas. Quæ lex præscribit ut si pignus non sit redemptum intra annum et septem dies fiat absolute creditoris, si ejus valor non excedit decem shillingos; ut pignora vendantur sub hasta; ut creditor teneatur de damno pignori incendio etiam fortuito illato, contra quod sibi cavere potest pignora assecurando; ut creditor pignus tradere possit illi qui tesseram (*the pawn-ticket*) et pecuniam debitam offert. Indermaur, p. 119.

§ 6. *De Locatione Operis.*

Locatio operis faciendi est contractus quo aliquid de rebus suscipitur faciendum pro pretio.

Cujus contractus duplex est species; prima habetur quando res traditur personæ privatæ, ut illis qui dicuntur *factors* et *wharfingers;* altera quando res traditur alicui qui officium publicum gerit ut *carrier*, cauponi.

Primi tenentur ordinariam diligentiam adhibere in re de qua contraxerunt facienda; non tenentur de rapinis quæ citra eorum culpam fiunt.

Locatarii tamen qui publicum officium gerunt,

lege communi tamquam assecuratores rerum sibi commissarum habiti fuerunt, ita ut tenerentur de omnibus damnis præter ea quæ *by the Act of God, or the Queen's enemies, or from inherent defects*, ut dicitur, fuerunt illata. Indermaur, p. 121.

Lege statuta nunc hæc modificantur præsertim quoad *common carriers* et caupones, de quibus pauca sunt dicenda.

A common carrier est qui contrahit cum locatoribus ad eorum bona de loco ad locum transportanda pro pretio.

Locator et locatarius specialem contractum de suis obligationibus inire possunt, quem lex deinde urgebit.

Si nullum specialem contractum inierunt *The Carriers' Act*, 1830 (1 Will. IV. c. 68), statuit ut nullus *carrier* teneretur de damnis rebus quibusdam pretiosis illatis, v.g., auro, argento, horologiis, etc., quarum valor decem libras sterlinas excederet, nisi earum valor et natura ipsi fuerint manifestati quando traderentur, et esset conventum de majori pretio solvendo. In aliis casibus obligationes lege communi impositæ adhuc manent.

Societates viæ ferreæ sunt *common carriers*, attamen varia de iis specialiter sunt statuta per Railway and Canal Traffic Act, 1854; Railway Regulations Act, 1868; Railway Clauses Consolidation Act, 1845; Railway and Canal Traffic Act, 1888, &c. Indermaur, pp. 124, seq.

Caupo (*innkeeper*) est qui hospitium habet quo viatores omnia quibus indigent itinerantes obtinere possunt.

Tenetur caupo omnes qui ad ipsum veniunt hospites eorumque bona recipere, dummodo expensas solvunt, nec sunt ebrii, nec pacis perturbatores, nec morbo contagioso infecti.

Tenetur etiam lege communi ad omnia damna hospitum bonis illata resarcienda nisi accidebant *by the Act of God, the Queen's enemies*, vel ipsius hospitis culpa.

Quibusdam tamen conditionibus impletis cauponis obligationes fuerunt restrictæ aliquatenus per Innkeepers' Act, 1863. Indermaur, p. 132.

Cauponi non licet hospitem ipsum detinere propter expensas non solutas, habet tamen jus ejus bona detinendi donec expensæ solvuntur, quibus non solutis potest bona detenta vendere ad sibi compensandum ex Innkeepers' Act, 1878. Indermaur, p. 98.

Articulus IX.

DE NEGOTIORUM GESTIONE.

Negotiorum gestio (*Agency*) lege nostra est pactum quo unus auctoritatem ab altero accipit ut pro eo contractus cum aliis ineat.

Plures sunt species negotiorum gestorum; *primo* enim est gestor negotiorum *universalis* qui auctoritatem habet ab alio omnia ejus negotia gerendi.

Secundo, gestor negotiorum *generalis* qui negotia alterius in quodam genere gerit.

Tertio, gestor negotiorum *specialis*, qui in re particulari negotia alterius gerit.

Factor vocatur qui vendit res alterius quarum

possessionem habet; si earum possessionem non habet vocatur *broker*. Indermaur, p. 144.

Gestor negotiorum *del credere* spondet auctori (*principal*) pro pretio rerum ejus a se venditarum.

Oritur hic contractus vel verbis expressis vel tacite, veluti si quis ordinarie permittat ut uxor vel famulus necessaria familiæ emat, ejus negotiorum gestor fit generalis; aliquando lege nostra tantum *by deed* constituitur negotiorum gestor, ut si quis deputandus sit ad *deed* conficiendum. Fit etiam alterius negotiorum gestor illius ratihabitione actus jam facti, nam—Omnis ratihabitio retrotrahitur et mandato priori æquiparatur. Encyclop. of Laws, s.v. Principal and Agent.

Quæcumque quis per se facere potest hæc potest facere per gestorem negotiorum; et omnes, etiam minores qui pro se contrahere nequirent, institui possunt gestores negotiorum.

Auctor tenetur justum salarium negotiorum gestori solvere, et eum indemnem præstare pro omnibus damnis et obligationibus quæ in negotiorum gestione incurrit.

Negotiorum gestor tenetur pro auctore negotium gerere, hinc tenetur rationem omnium acceptorum ei reddere; in negotio tractando ordinariam diligentiam adhibere; si specialem peritiam profitetur hanc quoque exercere tenetur. Anson, p. 338.

Lege igitur nostra non licet negotiorum gestori præter salarium emolumentum aliquod ab aliis quibuscum contrahit accipere; quæ quidem lex in conscientia etiam ordinarie est servanda, nam ipse non rem suam sed alterius gerit. Non tamen

videtur in conscientia prohiberi quominus fructus industriæ retineat, si labore indebito et extraordinario aliquid acquirat, v.g., vendendo carius vel emendo vilius; sicut et in conscientia retinere potest dona ei facta ab aliis contrahentibus eo quod sæpe cum eis negotietur, vel ad eum alliciendum vel retinendum, nisi propter talia dona pretium pro auctore augeatur emente vel minuatur vendente. Ballerini, VIII. n. 447, p. 722.

Non licet negotiorum gestori pro se agere, v.g., emendo ab alio ut vendat auctori, vel vendendo sibi ut vendat carius cum lucro proprio alteri; tenetur enim ex natura contractus nomine auctoris rem gerere; nisi tamen fiat sine damno et cum consensu auctoris. Anson, p. 340.

Nec potest negotiorum gestor suam auctoritatem alteri delegare nisi ex consensu expresso vel implicito auctoris, nam delegatus non potest subdelegare. Encyclop. of Laws, s.v. Principal and Agent.

Si negotiorum gestor ut talis contractum iniit nominando auctorem, nec limites auctoritatis sibi commissæ transgrediendo, quatenus fuit tantum medium inter partes revera contrahentes, ipse nec jura nec obligationes ex contractu acquirit. (Anson, p. 343.) Excipitur lege nostra negotiorum gestor auctoris externæ nationis, ipse enim tamquam auctor habetur. Ib. p. 347.

Si vero negotiorum gestor limites auctoritatis sibi commissæ transgrediatur, vel fingat auctoritatem qua non gaudet, actio ad damna contra eum intentari potest. Anson, p. 348.

Si negotiorum gestor nec ut talis expresse agit,

nec nominat auctorem, tum ipse lege nostra tum auctor contractu tenetur. Anson, p. 349.

Similiter si negotiorum gestor tamquam auctor rem gerit, nec manifestat esse auctorem alium, altera pars quæ cum eo contrahit, si verum auctorem detegat, eligere potest quem velit teneri contractu. Ib. p. 351.

Lege nostra tenetur auctor de dolo et fraude gestoris negotiorum commissis intra limites suæ auctoritatis; secus quando hos transgrediatur. Anson, p. 353.

Cessat contractus negotiorum gestionis:

(1) Mutuo consensu partium.

(2) Lapsu temporis determinati, vel negotio peracto.

(3) Revocatione auctoris, vel renunciatione consensu auctoris officii ex parte gestoris negotiorum.

(4) Cessione bonorum ab auctore facta.

(5) Morte auctoris. Cf. Anson, p. 356.

Articulus X.

DE EMPHYTEUSI.

Emphyteusis (*lease*) lege nostra est contractus quo transfertur jus possidendi et fruendi rebus immobilibus (*real property*) ad tempus determinatum, vel ad arbitrium partium pro compensatione periodice solvenda.

Quidam contractus emphyteutici lege nostra debent esse in scriptis, imo *by deed* eos iniri oportet: "By the first section of the Statute of Frauds, all leases, estates, interests of freehold, or term of

years, or any uncertain interest of, in, or out of land, must be in writing signed by the persons or their agents authorized by writing, or shall have the force and effect of estates at will only.

The second section excepts from this provision leases not exceeding three years from the making thereof, at two-thirds of the full improved value. And by the third section all assignments of leases (not being copyhold or customary property) must in a like way, as is provided in the first section as to leases, be in writing.

By 8 and 9 Vict. c. 106, every lease required by law to be in writing, and assignments of leases (not being copyhold), shall be void at law unless made by deed." Indermaur, p. 61.

Contractus igitur emphyteutici tales quales hac lege in scriptis esse debent, non tamen in scriptis exprimuntur, emphyteuses ad arbitrium partium sunt censendæ; si vero emphyteuta (*tenant*) possessionem accipiat et reditum (*rent*) solvat, a curiis reputatur annuus emphyteuta, cui antequam emphyteusis terminari potest a domino tempore rationabili scil. ante dimidiam partem anni, i.e., dies centum et octoginta duos, notitia ut discedat est danda, quod et ipse erga dominum servare tenetur si contractum terminare vult. Ante annum integrum notitia est danda si tenet sub Agricultural Holdings Act, 1883. Indermaur, p. 62.

Ad terminandum emphyteusim menstruam vel hebdomadariam notitia danda videtur respective ante mensem vel hebdomadam. Indermaur, p. 62.

Annuus emphyteuta tenetur omnia sarta tecta

tantum servare, et damna negligentia sua voluntaria facta resarcire. Non tenetur alia damna, v.g., ex incendio fortuito, usu et lapsu temporis, præstare, nisi speciali contractu se ad illud obligavit.

Annuus emphyteuta agrorum tenetur *to use the farm in a husbandlike manner*, eosque colere juxta loci consuetudinem.

Regulariter vectigalia (*rates and taxes*) sunt ab emphyteuta solvenda, nisi specialem de eis contractum cum domino iniit. Excipiuntur *property tax*, et ordinarie *land tax* et *sewers rate*. Decimæ (*tithe rent charge*) agris ipsis imponuntur, ac sunt solvendæ a domino. (Indermaur, p. 66.) Ordinarie tamen specialis contractus initur quo emphyteuta solvere debet omnia vectigalia (*all rates, taxes, and assessments*). Ab anno tamen 1891 omnis specialis contractus quo emphyteuta decimas solvere tenetur irritus est.

Dominus non tenetur reparationes facere nisi ex speciali contractu.

Fixtures, i.e., *things affixed to the freehold* sequebantur regulam — Quicquid plantatur solo, solo cedit. A qua tamen regula multo nunc legibus particularibus est derogatum, ita ut nunc *fixtures erected for the purposes of trade, ornament, or domestic use, and also agricultural fixtures* auferri possint ab emphyteuta servatis conditionibus lege præscriptis. Indermaur, p. 67.

Si compensatio seu reditus non solvitur præter alia remedia dominus potest bona emphyteutæ distringere (*levy distress*), quod tamen jus pluribus limitibus lege hodierna circumscribitur. Indermaur, p. 71.

Articulus XI.

DE ASSECURATIONE.

Assecuratio est contractus quo assecurator se obligat ad præstandam hypothetice alteri indemnitatem, scil. si ipsius res in hoc vel illo periculo pereat vel damnum patiatur; assecuratus vero ad certam taxam absolute solvendam sive unica vice pro certo periculo, sive quotannis pro periculis et infortuniis semper impendentibus. Lehmkuhl, I. n. 1131.

Tres præcipuæ sunt species, assecuratio contra incendium (*Fire insurance*), contra pericula maris (*Marine insurance*), et vitæ assecuratio (*Life insurance*).

Assecuratores ordinarie sunt societates, sæpe tamen in assecuratione contra pericula maris sunt individui (*underwriters*), qui subscribunt sua nomina documento vocato *the policy*, et apponunt summam ad quam solvendam se obligant si infortunium accidat.

Sæpe assecuratores tum societates tum individui iterum assecurant apud alios, ita ut si damnum sit præstandum plures sint qui hoc participent.

Assecuratus debet habere interesse pecuniarium (*a money interest*) in re assecurata, nec pro summa majore hoc interesse eam assecurare potest. Non tamen prohibetur quominus pluries apud diversos rem eamdem assecurandam curet, et quidem apud singulos ad valorem totalem, non vero potest plus quam quod damno passo æquivalet recuperare;

quod si ab uno assecuratore summam totalem receperit, hic contra alios assecuratores recursum pro rata habet. Stephen, II. p. 139.

Assecurare quis potest propriam vitam ad summam quamcumque velit, necnon vitam alterius, veluti debitoris, in qua interesse habet pecuniarium, intra tamen limites hujus interesse. Uxor censetur interesse pecuniarium habere in vita mariti, quam proinde æque ac propriam assecurare nunc potest ad proprium commodum. Summa pecuniæ assecurata pro vita aliis nunc assignari potest, ita ut hi jus acquirant ad pecuniam accipiendam post mortem assecurati.

Assecuratio contra incendium et alia infortunia, ac contra pericula maris est contractus indemnitatis, ita ut si infortunium contra quod quis assecuratur occurrat, plus quam quo damnum passum præstetur recipere nequeat vi contractus.[1]

Ad essentiam contractus hujus pertinent res assecurata, periculum, cautio habendæ indemnitatis pro casu quod infortunium acciderit, pretium justum pro suscepta obligatione præstandæ indemnitatis (*premium*): in quibus omnibus injustitia committi potest. Plures autem conditiones apponi contractui solent vel a partibus contrahentibus, vel lege, vel

[1] E contra—"The contract of life assurance is not, like that of fire insurance or marine insurance, a contract of indemnity, but is a contract by which the insurer undertakes to pay a given sum upon the happening of a particular event contingent upon the duration of human life, in consideration of the immediate payment of a smaller sum—or certain equivalent periodical payments—by another. The event may be either the death of the assured, or his attaining a certain age, or his surviving or not surviving some other person." Encyclop. of Laws, s.v. Life insurance.

consuetudine, quibus non servatis, datur saltem jus assecuratori a contractu resiliendi.

Præterea hic contractus est uberrimæ fidei ut dicitur, ita ut non tantum si fraus et dolus adhibeantur ad celandum factum quod scire assecuratori prosit ut periculum æstimet, sed etiamsi tale factum non reveletur ab assecurato qui id sciat, detur assecuratori jus a contractu resiliendi. Stephen, II. p. 147; Indermaur, p. 197.

Articulus XII.

DE CONTRACTU SOCIETATIS.

Societas (*Partnership*) lege nostra est contractus quo aliqui conveniunt de re in communi gerenda lucri intuitu; seu Anglice:—"The relation which subsists between persons carrying on a business in common with a view of profit. Business includes every trade, occupation, or profession." Encyclop. of Laws, s.v. Partnership.

Socii qui talem societatem inierunt vocantur *a firm*, et nomen sub quo negotia gerunt vocatur *the firm name*.

I. Quilibet socius in genere, seclusa speciali conventione contraria sociorum inter se, auctoritatem habet, tamquam negotii gestor (*agent of the firm*), res societatis gerendi, ita ut possit nomine societatis debita recipere et solvere, bona emere et vendere, famulos conducere, pecuniam mutuare, aliasque suscipere obligationes. Encyclop. of Laws, s.v. Partnership.

II. Societas præstare tenetur damna aliis illata a sociis fraudibus injuriisque in rebus societatis gerendis.

III. Omnes socii in communi tenentur ad debita societatis solvenda; creditor autem quivis societatis potest sua a quocumque socio recuperare, huic jure relicto ratam partem a ceteris sociis vindicandi.

IV. Jura et obligationes sociorum inter se ordinarie reguntur speciali contractu; quo deficiente supponentur esse æqualia, quamvis forte inæqualiter bonis societatis contribuissent. Socii vero tenentur omnia gerere bona fide et in bonum societatis commune, non in commodum privatum.

V. Societas dissolvitur mutuo sociorum consensu, tempore pro quo contractus iniebatur elapso, renunciatione unius ceteris manifestata, alicujus socii morte vel cessione bonorum; et ex causa legitima dissolvi a curia potest.

Articulus XIII.

DE LOTERIA.

Loteria (*Lottery*) est contractus quo certo pretio soluto participatio conceditur in sortitione certarum rerum aut certæ pecuniæ summæ; quo fit ut aliqui plus quam solverint recepturi sint, alii minus, alii nihil. Lehmkuhl, I. n. 1137.

I. Loteria, cum sit emptio rei incertæ, debitis conditionibus servatis, est licita de jure naturali.

Dicitur *de jure naturali*, nam lex municipalis prohibet loteriam quæ fit pura sorte, non arte, vel peritia,

vel ab *Art Unions* juxta conditiones præscriptas lege statuta, *The Art Unions Act*, 1846. Encyclop. of Laws, s.v. Lotteries.

II. Conditiones ut hic contractus sit licitus requisitæ sunt: 1. Ut absit fraus in schedulis educendis et in præmiis solvendis. 2. Ut servetur proportio inter parvitatem pretii et incertitudinem ac magnitudinem præmii; seu quatenus spes lucri est causa contractus, debet esse debita proportio inter hanc spem et ejus pretium; nisi tamen quasi gratuito contribuens pretium dare censeatur, ut fieri potest quando agitur de loteriis ad causas pias promovendas. Bucceroni, I. n. 1258.

Articulus XIV.

DE SPONSIONE.

Sponsio (*Betting*) est contractus, in quo duo vel plures de veritate aut eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit qui veritatem fuerit assecutus. S. Alphonsus, III. n. 869.

I. Per se et debitis servatis conditionibus sponsio est licita. Facile tamen evadit illicita eo quod sine justa causa et irrationabiliter bona dissipantur.

Quædam species sponsionis, præsertim in viis publicis, prohibentur lege nostra, quæ tamen pœnalis videtur. Encyclop. of Laws, s.v. Betting.

II. Ut sponsio sit in conscientia licita et valida, requiritur: 1. Ut sit de causa licita, unde sponsio quæ incitat ad peccandum, vel ad optandum peccatum alienum est illicita. 2. Ut res utrimque sit

dubia; attamen si non obstante certitudine, alter in sponsione persistere velit, non erit illicitum cum certitudine spondere. 3. Ut sponsio utrimque eodem modo intelligatur, ita ut uterque sit paratus solvere ei qui vicerit.

III. Sponsioni fere accedunt illæ transactiones bursæ (*exchange*) quæ versantur circa emptiones et venditiones futurorum (*futures*), sæpe cum intentione solam differentiam pretiorum solvendi. Sæpe talis transactio est illicita, vel quia bona quibus ipse spondens ejusque familia sustentantur periculo dilapidationis exponuntur, vel quia perturbantur pretia rerum ad victum necessariarum cum magno damno publico, vel quia fraude procuratur ut pretia vel minuantur vel augeantur in commodum spondentis. Lehmkuhl, I. n. 1136.

Articulus XV.

DE LUDO.

Ludus (*Gaming*) est contractus quo ludentes inter se conveniunt ut certa res exposita victori tribuatur.

Ludus est vel *industrialis* qui potissimum regitur industria ludentium; vel *aleatorius* qui potissimum pendet a sorte; vel *mixtus* qui partim a sorte partim ab industria dependet.

I. Hic contractus per se et ex jure naturali est licitus et validus dummodo requisitæ conditiones adsint; nam sicut dominus rem suam potest alteri

libere donare, ita ad eam sub conditione dandam contrahere potest.

Jure quidem municipali prohibentur ludi aleatorii et mixti plures, saltem si in ædibus ad id destinatis (*Gaming houses*) fiunt; contractus etiam omnes circa ludos prohibitos declarantur nulli et irriti; ad repetendam vero pecuniam ob ludum solutam non datur actio. Leges istæ pœnales censentur nec conscientiam afficiunt. Encyclop. of Laws, s.v. Gaming.

Quid clericis circa ludos prohibeatur videndum est in tractatu de statibus particularibus.

II. Ut ludus sit licitus requiritur: 1. Ut absit fraus et dolus; permittuntur vero astutiæ consuetæ juxta consuetudinem et regulas ludi adhiberi solitæ. Si fraus vel dolus adhibeatur, justitia læditur cum onere restitutionis juxta spem lucri quam victus habebat. 2. Ut utrimque moraliter idem sit periculum; qui vero sciens volens cum multo peritiore ludit non potest de injuria conqueri. 3. Ut absit omnis coactio ad ludendum. 4. Ut ludentes liberam pecuniæ dispositionem habeant quam exponunt. Lehmkuhl, I. n. 1139.

III. Quamvis per se ludus sit licitus, ut est dictum, sæpe tamen ob excessum et inde sequentem jacturam et temporis et pecuniæ ad statum imo et ad victum necessariæ, ob multa etiam alia mala ex pravis sociis et aliunde orta fit illicitus. Multo magis videtur illicitum ædes lusorias præbere quas perditissimi ad ludendum frequentare possint. Lehmkuhl, I. n. 1140.

Pars II.

De Læsione Justitiæ.

CAPUT I.

DE INJURIA IN GENERE.

Injuria est voluntaria læsio juris alterius eo rationabiliter invito.

Dicitur *voluntaria* quatenus agitur præsertim de injuria *formali*, habetur enim injuria *materialis* si involuntaria sit.

Juris,—scilicet quod est objectum justitiæ commutativæ. Nam læsio justitiæ legalis est inobedientia, vel saltem practice vix ab inobedientia distinguitur, læsio justitiæ distributivæ est acceptio personarum. Lessius, II. c. 1, n. 19; c. 32, n. 1.

Rationabiliter invito,—nam Scienti et volenti non fit injuria, nisi sit in materia in cujus læsionem quis non potest valide consentire, ut in adulterio mariti vel uxoris, in morte propria. Injuria etiam fit consentienti tantum ex errore, metu aut necessitate, nam non libere juri cedit; ut mutuanti ab usurario.

Injuria locum habet vel in bonis famæ et honoris, vel in bonis corporis et vitæ, vel in bonis fortunæ.

Injuria *realis* fit contra bona externa, *personalis* fit contra bona intrinseca corporis vel animæ.

Injuria iterum est vel injuria *mera* absque damno alterius, ut in adulterio occulto quin proles concipiatur, vel injuria *damnosa*, quæ sola restituendi onus infert. Lacroix, III. pt. 2, n. 16.

Injuria tamen mera aliquando lege municipali dat jus actionis injuriam passo, et post sententiam judicis huic est standum etiam in conscientia. Indermaur, p. 3.

Injuria realis est potissimum triplex, *simplex damnificatio*, *rapina*, et *furtum*.

Simplex damnificatio est quando damnum infertur domino rationabiliter invito quin aliquid a damnum inferente accipiatur.

Rapina differt a furto eo quod continet tum injuriam realem tum injuriam personalem.

Quæstio igitur præcipua agitur de furto.

CAPUT II.

DE FURTO.

Furtum est occulta ablatio rei alienæ. S. Thomas, II-II. q. 66, a. 3.

Occulta,—ut distinguatur a rapina, quæ est ablatio rei alienæ per vim seu violentiam personæ illatam, et continet etiam injuriam contra personam alterius.

Ablatio,—quæ comprehendit etiam *detentionem* rei alienæ et *contrectationem* seu *usum*. Equidem furtum l. 1 ff. *de furtis*, definitur—*Contrectatio fraudulosa lucri faciendi causa, vel rei, vel usus illius, vel possessionis*,—quæ definitio ab aliquibus theologis usurpatur. "Non solum committitur furtum," ait Molina, "si res omnino alterius . . . integre lucri faciendi gratia usurpetur; sed etiam si accipiatur quoad solum usum; aut si quoad possessionem, aut tentionem, quæ ad alterum spectat, accipiatur eo invito. . . . Unde si quis rem aliquam commodatam habeat ad certum usum, et ea utatur ad alium, aut per longius tempus, vel spatium, invito domino, committit furtum in ea contrectatione." Molina, *De Just. et Jure*, tract. ii. d. 681, n. 8.

"Quocirca nihil opus est exprimere rei vel usus: nam qui re aliena invito domino utitur, rem quodammodo alienam capit, hoc est, usurpat." (Sotus, l. v. q. 3, a. 1; cf. S. Raym. *Sum.* l. ii. de furtis; Lugo, XVI. n. 8; Ballerini, VIII. pt. 2, n. 11.)

Unde patet quid sit dicendum de eo qui iter faciat via ferrea quin pretium solvat, societate invita.

Ut adsit furtum debet dominus rei ablatæ esse rationabiliter invitus, unde in extrema necessitate constitutus si quo indiget arripit invito domino furtum non committit, quia dominus non est invitus rationabiliter.

I. Furtum est peccatum ex genere suo mortale. Nam est contra justitiam quæ sicut caritas sub gravi obligat. (S. Thomas, II-II. q. 59, a. 4.) Quatenus læsio caritatis est quasi mensura læsionis justitiæ, quando in eodem actu utraque virtus violatur, illud erit grave peccatum contra justitiam quod ex natura sua aptum est ad graviter contristandos homines, temperato judicio atque affectu utentes. In materia enim justitiæ quæ æqualitatem rei ad rem servandam præscribit, ut regulam de gravitate peccati statuamus, rem in se et objective, et ut communiter usuvenit considerare debemus, non affectum alicujus personæ particularis.

II. Admittit furtum parvitatem materiæ propter quam erit tantum veniale. Hinc regula aliqua est statuenda ut dignoscamus quænam sit materia gravis. Materia autem est vel *absolute* gravis vel *relative* gravis. Materia *absolute* gravis est cujus ablatio rationabiliter invito domino semper erit peccatum mortale. Materia *relative* gravis est cujus ablatio, spectata persona cui aufertur, erit peccatum mortale.

III. Ad statuendam quænam materia sit censenda absolute gravis provocare possumus vel ad rationes intrinsecas, vel ad auctoritatem Doctorum.

1° Ex rationibus intrinsecis. Illa materia in furto est gravis, cujus ablatio sub gravi prohiberi debet, ne grave nocumentum societati inferatur, et cujus ablationem etiam ditissimi rationabiliter graviter ferunt, quia pluribus usibus et necessitatibus inservire ea quantitas possit. In præsentibus rerum circumstantiis, et in hac regione, una libra sterlina videtur esse talis quantitas.

2° Ex auctoritate theologorum. Summam fere æqualem uni libræ sterlinæ esse gravem materiam consentiunt plerique recentiores theologi. Ita P. Bucceroni et Card. D'Annibale statuunt 20—30 libellas; Sabetti, n. 404; Ballerini-Palmieri, VIII. pt. II. n. 66; Crolly, III. n. 284, consentiunt. P. Lehmkuhl, I. n. 931 auget quantitatem pro Anglia usque ad $1\frac{1}{2}$—2 libras sterlinas.

IV. Materia furti relative gravis per se loquendo est summa quæ requiritur ad sustentationem competentem unius diei illius personæ ejusque familiæ cui aufertur. (S. Alphonsus, III. n. 527, cum communi.) Ratio, quia quilibet rationabiliter est graviter invitus quominus tale damnum ipsi inferatur. Putat Crolly, III. n. 281, sex denarios (6d.), esse materiam relative gravem quoad mendicantes; duos shillingos cum dimidio quoad operarios; quinque shillingos quoad artifices et ita porro.

V. Materia furti gravis potest fieri respective levis ex triplici capite: 1° Propter gravem necessitatem auferentis; 2° Propter conditionem personæ, ut si fur est filius vel uxor; 3° Si fit per plura furta minuta et successiva. Quoad furta filiorum et uxorum vix potest regula universalis statui; desumenda erit ex

variis circumstantiis, ut ex statu, opulentia, liberalitate, affectu parentis vel mariti, necnon ex usu bono vel malo rei ablatæ. Ex his enim capitibus contingere solet ut pater vel maritus sit magis vel minus invitus contra furta filiorum vel uxoris. Bucceroni, I. n. 1303.

Juxta graves theologos requiritur summa parte dimidia major ad gravem materiam constituendam furata eidem per plura furta minuta; et duplo major furata diversis, si tamen ista furta coalescunt. Minoris enim talia furta æstimantur. S. Alphonsus, III. n. 530.

VI. Furta vero minuta certo coalescere possunt, ut constat ex prop. 38 damnata ab Inn. XI.; et ex eo quod per ea grave damnum inferri potest vel eidem vel saltem communitati. Coalescunt autem vel per intentionem perveniendi ad materiam gravem, vel per conspirationem, vel per accessionem rei furtivæ ad rem furtivam, vel his deficientibus, si intervallum inter furta non sit nimis magnum, v.g., ultra duos menses. Bucceroni, I. n. 1308.

VII. Non est peccatum si in extrema necessitate constitutus quis surripit quod requiritur ad necessitatem sublevandam; quia, ut doctores aiunt, tunc omnia fiunt communia. Scilicit Deus creavit omnia in hominum necessitatem principaliter, ac proin homines res tamquam proprias possident ea conditione, ut si quis sit constitutus in extrema necessitate possit sibi sine injustitia providere ex alienis, quarum domini cessant esse domini quando pauper eas occupavit. (Lugo, XVI. n. 144.) Juxta multos hæc doctrina potest extendi ad eam gravem necessitatem

quæ mox fiet extrema, nec videtur hæc sententia condemnata prop. 36, Inn. XI. V. Ballerini, VIII. pt. II. n. 23 ss.; Lehmkuhl, I. n. 936.

Quamvis lex Anglica titulum necessitatis non agnoscat ut furem excuset, practice tamen probata necessitate judices mitissime cum tali agunt.

VIII. Qui aufert alteri rem exigui valoris sed valde caram ita ut alter graviter contristetur, peccat graviter contra caritatem, leviter vero contra justitiam, quæ, ut dictum est, potius objectivas rationes respicit quam affectum particularem.

Pars III.

De Injustitiæ Reparatione.

CAPUT I.

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

Restitutio in hac materia est actus justitiæ commutativæ quo reparatur læsio juris alieni.

Quando enim læditur justitia commutativa adest obligatio læsionem reparandi; nam justitia commutativa præscribit ut suum unicuique tribuatur, ut æqualitas rei ad rem servetur, ne res aliena auferatur nec detineatur domino invito. At vero quando jus alterius violatur, tamdiu retinetur alienum, tamdiu manet inæqualitas, quamdiu reparatio non est facta. Ergo justitia commutativa obligat ad restitutionem faciendam quando est violata.

Quæ obligatio est propria justitiæ commutativæ, nec oritur ex aliis virtutibus violatis, ne quidem ex læsione justitiæ legalis vel distributivæ. Nam quamvis objectum seu motivum formale caritatis, verbi gratia, obligat ad proximo succurrendum in necessitate posito, post necessitatem transactam non amplius istud motivum urget; seu quamvis non

succurrendo quis peccaverit, postea qui peccavit non tenetur proximo succurrere ratione necessitatis præteritæ, seu aliis verbis caritas læsa non infert obligationem restitutionis. Idem est de aliis virtutibus præter justitiam commutativam. Lugo, disp. i. n. 51.

Aliquis obligari potest ad restitutionem faciendam ex variis capitibus, ut, 1° Ex injusta acceptione rei alienæ; 2° Ex re aliena possessa; 3° Ex eo quod quis injuste factus sit ditior ex re aliena; 4° Ex injusta alterius damnificatione; 5° Ex contractu; 6° Ex lege vel judicis sententia; 7° Ex injusta cooperatione; quæ tamen omnia possunt reduci ad duo capita: 1° Ex acceptione rei alienæ, 2° Ex injusta damnificatione; quibus ratione majoris commodi addi potest cooperatio in una vel altera. Hæ vocantur *radices* restitutionis. Igitur tractandum est primo, de obligatione restitutionis faciendæ ob acceptionem rei alienæ, postea de eadem obligatione ob injustam damnificationem, denique de injusta cooperatione.

CAPUT II.

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

Articulus I.

DE ACCEPTIONE REI ALIENÆ.

Acceptio rei alienæ significat hic radicem restitutionis ortam ex eo quod quis habeat rem alienam.

Potest vero quis habere rem alienam in bona fide ignorans esse alienam, vel in mala fide, vel in dubia fide, cujus obligationes erunt diversæ pro diversis his circumstantiis. Hinc dicendum est de possessore bonæ fidei, de possessore malæ fidei, de possessore dubiæ fidei.

Sectio Prima.

DE POSSESSORE BONÆ FIDEI.

I. Possessor bonæ fidei quando detegit rem a se possessam esse alienam, tenetur eam reddere domino, vel saltem dominum monere ut suis expensis eam auferat. Ratio est, quia suum cuique est tribuendum, et Res clamat domino.

II. Si durante bona fide possessoris, res perit quomodocumque, nec nunc existit in se nec in æquivalenti, res perit domino.

Fructus alicujus rei sunt naturales, industriales,

mixti vel civiles. Naturales sunt qui nascuntur sine hominum labore; industriales qui hominum industriæ debentur; mixti ex utroque; civiles qui profluunt ex locatione domorum, jumentorum, etc.

III. Fructus naturales, civiles, et mixti ex ea parte qua sunt naturales, rei alienæ, qui existunt adhuc in se vel in æquivalenti, sunt domino restituendi; quia res fructificat domino. Si bona fide possessor eos consumpserit quin ditior evaserit ad nihil tenetur. Attamen legi municipali quæ aliquando dat actionem ad tales fructus recuperandos, post sententiam judicis erit obediendum. Stephen, III. p. 428; Encyclop. of Laws, s.v. Limitation.

IV. Fructus industriales et mixti, ex ea parte qua sunt industriales, sunt fructus laboris et pertinent ad laborantem.

V. Possessor bonæ fidei qui rem a fure emptam alteri vendiderit per se ad nihil tenetur, quia nunc nec habet rem in se nec in æquivalenti. Per accidens tamen aliquando obligationes oriuntur, quando dominus vindicaverit rem ut suam, vel quando emptor ei rem spontanee restituerit, hinc varii casus sunt distinguendi. Nam aut res vendebatur in foro publico (*market overt*), aut non; et in utroque casu aut dominus rem suam vindicabat aut non:

1. Si vendebatur in foro publico, et dominus rei furem non est prosecutus, venditor ad nihil tenetur, nam lex municipalis dominium rei emptori in bona fide existenti transfert. Crolly, III. n. 516; Stephen, II. p. 80; Indermaur, p. 323; Sale of Goods Act, 1893, sec. 22, cf. c. vi. art. 5, sec. 1, § 4, p. 396.

2. Si dominus rei prosecutus est furem usque ad

condemnationem, rem suam recuperat, et emptor indemnis fit ex bonis furis si quæ habet. Sale of Goods Act, sec. 24; Encyclop. of Laws, s.v. Stolen Goods.

3. Si res non vendebatur in foro publico, extra casum evictionis vel spontaneæ restitutionis, ad nihil tenetur venditor, saltem probabiliter, quia nec tenetur ratione rei alienæ acceptæ, nec ratione injustæ damnificationis. Dominium enim pecuniæ acquiritur ab eo qui eam accipit bona fide, et ut dicitur *for value*.[1] Sabetti, n. 418; Stephen, II. p. 60.

4. In casu evictionis, quando res non vendebatur in foro publico, emptor potest a venditore pretium recuperare, quia in contractu venditionis emptionis conditio de jure vendendi, et cautio de pacifica possessione habenda implicite continentur, nisi contrarium fuerit expressum. Stephen, II. p. 83; Indermaur, p. 105; Sale of Goods Act, secs. 12 and 62; contra Crolly, III. n. 523.

[1] "There are exceptional cases, in which a man may confer property in chattels, of which he is not himself the owner, and of which he is not even authorized to make a disposition. For if current coin of the realm be paid over for valuable consideration to an innocent party, his title thereto will be complete, although it should have been wrongfully obtained by the party who made the payment. And the case is the same with respect to notes of the Bank of England, and to the transfer, in regular course, of bills of exchange, promissory notes, and of such other negotiable instruments as are transferable by mere delivery; and also with respect to goods sold in open market, or (as it is expressed in the language of the law) in *market overt*." (Stephen, II. p. 60.) Videtur igitur dicendum lege nostra et naturali, quod tradunt theologi jure Romano innixi, dominium pecuniæ acquiri quando juste et bona fide accipitur cum animo domini et miscetur cum suis. Ballerini, VIII, pt. 2, n. 210.

Eædem solutiones videntur dandæ saltem ut probabiles contra communiorem sententiam, quando venditor rem gratuito acceperat. Nam quamvis venditor tunc ex re aliena ditior evaserit, non tamen injuste factus est ditior, nec tenetur ratione rei acceptæ, nec ratione injustæ damnificationis. Bucceroni, I. n. 1341.

Probabilis est sententia juxta quam is, qui bona fide emit rem furtivam, detecta rei veritate, potest illam furi reddere ad suum pretium recuperandum, si unicum medium hoc est suum recuperandi; non enim ponit rem in statu pejori quam illam invenit, vel si ponit eam in statu pejori hoc juste permittit rescindendo contractum ad quod jus habet. S. Alphonsus, III. n. 569.

Sectio Altera.

DE POSSESSORE MALÆ FIDEI.

Possessor malæ fidei rei alienæ tenetur restituere, 1° Rem in se vel in æquivalenti existentem; 2° Omnia damna quæ passus est dominus ex injusta rei possessione; 3° Omnia in quibus injuste factus est ditior ex injusta rei alienæ detentione.

Potest tamen possessor malæ fidei retinere fructus omnes industriales, et deducere expensas necessarias et utiles, quia non tenetur restituere domino plus quam quod ejus est.

Fur qui surripuit rem certo aliter perituram, tenetur illam domino restituere, quia manet res domini; habet vero jus ad compensationem. Si res

perit in manibus furis propter furis culpam, tenetur fur dominum indemnem præstare, secus, si periisset eodem tempore et periculo etiam in manibus domini.

Sectio Tertia.

DE POSSESSORE DUBIÆ FIDEI.

Dubia fides vel incipit post possessionem bona fide adeptam, vel est ab initio possessionis.

I. Si incipit dubia fides post possessionem adeptam, possessor tenetur inquirere de domino, quia aliter se exponit periculo rem alienam retinendi. Post inquisitionem factam, et dubio perseverante, potest rem retinere, quia favet ei possessio bona fide incepta.

Qua ratione videtur eum posse uti ad rem retinendam, etiam post inquisitionem culpabiliter neglectam, et dein frustra factam. Bucceroni, I. n. 1353.

II. Si dubia fides erat ab initio, et cum dubia fide quis privabat alterum possessione quam habebat, juxta omnes peccabat contra justitiam, quia pacifica possessio alteri jus tribuit, et tenetur ad restitutionem.

III. Si cum dubia fide rem accipiebat titulo, v.g., emptionis, donationis, posset tunc uti bona fide prædecessoris, vel præsumptionibus, v.g., neminem malum præsumendum, ad conscientiam efformandam et rem retinendam. Si hoc non potest facere, tenetur inquirere et, dubio permanente, tenetur juxta communem sententiam restituere pro rata

dubii, quia spes alterius aliquid valet quo non potest juste privari. Putant tamen Eminent. D'Annibale, II. n. 121, et Bucceroni, I. n. 1354, posse possessorem in hoc casu sibi rem retinere, dummodo sit paratus illam domino reddere si compareat, quia non constat rem esse alienam, et sibi favet possessio.

Si nullus possidet et dubitatur cujusnam sit, debet res dividi.

Articulus II.

DE INJUSTA DAMNIFICATIONE.

Sectio Prima.

DE DAMNIFICATIONE IN GENERE.

Damnificatio est læsio juris alieni, quin ditior evadat damnificator.

Ut damnificatio inducat onus restitutionis debet esse culpabilis, nam nulla pœna sine culpa. Culpa vero est vel *theologica*, quæ includit offensam Dei, vel est *juridica*, quæ est omissio illius diligentiæ quam leges requirunt; plerumque hæc conjungitur cum culpa theologica, quæ si non adest, hoc est plerumque ex defectu advertentiæ ad obligationem diligentiæ adhibendæ.

Triplex est species culpæ juridicæ: "*Ordinary neglect* has been defined to be, the omission of that care which every man of common prudence, and capable of governing a family, takes of his own concerns; *gross neglect*, to be the want of that care which every man of common sense, however inattentive soever, takes of his own property; and

slight neglect, to be the omission of that diligence, which very circumspect and thoughtful persons use in securing their own goods and chattels." (Chitty, p. 412; Stephen, II. p. 92 and note; Crolly, II. n. 397; Lehmkuhl, I. n. 964.) Juxta naturam contractus et varias circumstantias reus tenebitur ex legibus nostris municipalibus aliquando de negligentia tantum gravi, aliquando de ordinaria, aliquando etiam de levi. V. Chitty, l.c. et supra, c. vi. art. 8, p. 407

Ut autem actio damnificans inducat obligationem restitutionis in conscientia, debet adesse culpa in conscientia, hinc requiritur *culpa theologica*, nec ante sententiam judicis sufficit mera culpa *juridica*, quamvis post sententiam huic obediendum est, si in executionem proceditur, quia leges juxta quas rei culpæ mere juridicæ condemnantur sunt justæ. Crolly, III. n. 740.

Præter culpam theologicam ut actio damnosa pariat onus restitutionis, requiritur ut in se et objective sit *injusta*, non tantum in intentione, quia intentio non potest efficere ut actio non objective injusta fiat injusta; et ut sit *causa* efficax damni, non mera occasio; nam auctor damni tantum tenetur damnum reparare.

Triplex igitur conditio requiritur ut actio damnificans pariat onus restitutionis, 1° Ut adsit culpa theologica, 2° Ut sit realiter injusta, 3° Ut sit effective injusta.

Injustus damnificator restituere tenetur, 1° Totum æquivalens rei damnificatæ, 2° Totum æquivalens aliis damnis prævisis, si quæ secuta sint.

Culpa venialis contra justitiam ob parvitatem materiæ inducit obligationem restitutionis sub veniali. Probabilius tamen nullum onus restitutionis oritur ex culpa veniali ratione solius inadvertentiæ ad damnum illatum sive indeliberationis; non sub gravi, quia obligatio gravis non habet proportionem cum culpa levi; non sub levi, quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. S. Alphonsus, III. n. 552; Lehmkuhl, I. n. 966.

Qui causam damni inculpabiliter posuit, tenetur ex justitia damnum impedire si potest, sine incommodo proportionate gravi; quia quivis tenetur ex justitia impedire ne actio sua damnum alteri inferat.

Hinc qui inadvertenter ignem injecerit in fœnum alterius, quando periculum advertit, tenetur ex justitia facere quod in se est ad incendium prohibendum, secus tenetur ad restitutionem.

Damnum per accidens illatum dum quis vacabat operi illicito non infert obligationem restitutionis ante sententiam judicis, utpote non voluntarium: adest obligatio post sententiam judicis ex lege Anglica. Stephen, IV. p. 56.

Qui pravo suo exemplo tantum induxit alios ad damnum inferendum quod præviderit, probabilius non tenetur ad restitutionem, occasio enim non causa damni ab aliis illati esse videtur. S. Alphonsus, III. n. 537.

Dicitur *suo exemplo tantum*, quia, ut patet, si etiam suasione vel aliis similibus mediis positive eos induxit, ad restitutionem tenetur.

Utrum quis teneatur ad restitutionem quia ejus actio injusta alteri et cum damno imputetur,

dependet ex quæstione utrum iste fuerit causa imputationis vel occasio tantum. Unde famulus iniquus cujus furtum ex errore alteri famulo imputatur, non tenetur ex justitia hujus dimissionem impedire, nisi errorem aliquo modo causavit, v.g., rem furatam in alterius cubiculo ponendo. S. Alphonsus, III. nn. 635, 636.

Communius dicitur non adesse obligationem restitutionis ex opere externo mala intentione quidem posito, si non fuerit vere probabile secuturum esse damnum; quia damnum sequitur tunc per accidens.

Unde ex hac sententia qui ponit laqueum in loco ubi rarissime transeunt homines, quamvis ea intentione ut capiantur si forte transeant, non tenetur ad damnum transeunti secutum reparandum.

Existimans ex errore invincibili minus esse damnum a se illatum quam revera est, non tenetur nisi de damno præviso; aliter est dicendum si totum damnum saltem in confuso præviderit.

Qui impedivit alium a consecutione boni ad quod habuit jus, tenetur ad restitutionem; sicut etiam qui mediis injustis, v.g., minis, vi, impedivit alium a bono consequendo ad quod jus non habuit; secus dicendum si hoc fecerit mediis non injustis.

Unde tenetur ad restitutionem qui impedit aliquem qui in concursu premium meruit quominus hoc obtineat, vel qui minis impedit alium quominus concurrat, quia jus habet ne ita impediatur; non vero tenetur ad restitutionem si ei suadet ne concurrat, quia tunc nullum jus violatur.

Qui dubitat utrum actionem damnificantem posuerit, vel utrum damnum sit secutum, ad nihil

tenetur. Imo satis probabiliter ad nihil tenetur si quis dubitat utrum sua actio an alterius revera damnum intulerit. Ratio est, quia nemo ad restitutionem tenetur, nisi omnino constet eum veram causam fuisse damni. Bucceroni, I. n. 1369; Marc. n. 950.

Unde adulter qui dubitat utrum infans sit suus an alterius adulteri, ex hac sententia non tenetur infantem alere.

Videtur dicendum illum teneri ad restitutionem qui intendens damnum inferre huic, ex errore intulit illi; nam omnes conditiones quæ sufficiunt ad obligationem restitutionis imponendam adsunt. Plures tamen et graves theologi eum excusant, eo quod damnum non fuerit formaliter injustum, quæ sententia videtur extrinsece probabilis. Lehmkuhl, I. n. 977.

Sectio Altera.

DE DAMNIFICATIONE IN SPECIE.

Pauca de damnificatione in specie sufficiunt.

I. Quicumque fraude, mendacio, vi, metu, vel alio medio injusto conatur alium privare bono animi spirituali vel naturali, tenetur, 1° Desistere, 2° Damna secuta reparare. Ex hoc capite tenetur ad restitutionem qui fraude aliove medio injusto induxit alterum ad peccandum, vel docuit alterum errorem præsertim practicum, vel a religione amplectenda alterum avertit. Ratio est, quia quivis jus strictum habet ne fraude aliove medio injusto

privetur aliquo bono; Scienti vero et volenti non fit injuria, unde qui suasione tantum prædicta faciat, quamvis contra caritatem peccet, non peccat contra justitiam.

II. Homicida et mutilator tenentur restituere omnia damna in bonis fortunæ quæ ex sua injusta actione necessario et per se sequuntur, si fuerint prævisa; non tamen probabilius damna in vita, membris, illa enim non sunt pretio æstimabilia.

Hinc ipsis mutilatis tenentur restituere expensas medicorum, damna ex lucro cessante ob vulnerationem; familiæ, ea quæ necessario perdidit; creditoribus damna prævisa.

Raro tamen aderit obligatio restituendi creditoribus, quia vel damnum non erit certe ex homicidio ortum, vel non erit prævisum. Lehmkuhl, I. n. 991.

Qui non coactus libere duellum perpetravit, et fuit vulneratus vel occisus, consensu suo impedivit quominus actio alterius esset contra se injuriosa, ac proinde quatenus haud injuriosa obligationem restitutionis non peperit. Secus est dicendum si libere non consensit. S. Alphonsus, III. n. 638.

III. Ob stuprum stuprator tenetur restituere damna in bonis secuta, et tenetur alere infantem si quis nascatur. Ob læsionem integritatis corporalis probabilius ad nihil tenetur, quatenus pecunia compensari nequit.

IV. Adulteri per se tenentur damna reparare quæ sequuntur ex sua injusta actione. Sæpe tamen ob dubiam paternitatem prolis quæ nascatur obli-

gatio restitutionis non potest imponi. Crolly, III. n. 1318.

V. Duces et principes tenentur primario et in solidum de omnibus damnis hostibus illatis in bello injusto. 2° Milites tenentur de damnis a se ipsis illatis, si tamen ipsis constat de belli injustitia.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE EX INJUSTA COOPERATIONE.

Ratione cooperationis ad restitutionem tenentur omnes qui quoquo modo sunt causa influens et efficax damni secuti; ac qui ex officio et obligatione justitiæ obligati ad damnum cavendum non caverunt.

Cooperatio novem modis fieri potest:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Jubens seu *mandans* dicitur qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo nomine alteri inferat.

Mandans, quatenus causa principalis totius damni, primario tenetur omne damnum, et quod vi mandati est secutum reparare; secus si damnum suo nomine factum solum approbet. Secundario, et in defectu mandantis, tenetur mandatarius.

Consulens peccat contra justitiam, quoties sciens et volens præbet iniquum consilium, quo alter efficaciter inducatur ad damnum injuste inferendum. (Cf. prop. 39 damn. ab Inn. XI.) Quatenus executor suo nomine et in propriam utilitatem agit, ipse primario ad restitutionem tenetur, consulens nonnisi secundario et in alterius defectu.

Non tenetur ad restituendum qui bona fide consilium damnosum dedit, vel si alter jam erat ad

agendum determinatus; secus qui ex officio et ex ignorantia graviter culpabili damnosum consilium dedit, uti confessarius.

Consentiens ad restitutionem tenetur quoties dat consensum efficacem in damnum proximi.

Hinc qui sententiam vel suffragium injustum et damnosum ferunt, tenentur ad restitutionem. Aliqui theologi excusant a restitutione ultimos suffragantes, quorum suffragium non requirebatur ad actum injustum.

Qui ex officio suffragium ferre debebat et abstinebat, potest teneri ad restitutionem damni inde secuti, nisi legitime excusabatur.

Palpo est qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnum alteri inferendum. De eo idem dic ac de consulente.

Recursum præbens, seu receptans qui latroni præbet assecurationem ita ut ad injuste agendum inducatur, tenetur ad restitutionem; sicut et qui scienter recipit res furtivas.

Participans potest esse vel in præda vel in actione damnosa. Prior tenetur restituere partem prædæ quam accepit. Alter tenetur etiam ordinarie restituere: aliquando tamen excusari potest ex principio duplicis effectus, et ex eo quod in extrema necessitate omnia fiunt communia, ut si faber ferrarius metu mortis compellatur ad januam obseratam aperiendam.

Mutus, non obstans, non manifestans sunt cooperatores negativi, qui peccant contra justitiam ex eo quod non faciunt quod ex pacto vel ex officio tenentur facere.

Non tenentur ad restitutionem ratione damni non impediti nisi qui ex justitia damnum impedire tenentur; imo relative grave incommodum subeundum ordinarie etiam hos excusat, quia non supponuntur se obligasse cum tanto incommodo. Famuli non custodientes quæ ipsorum curæ sunt commissa tenentur ad restitutionem; alia non custodientes etiamsi culpabiliter probabilius non tenentur ad restituendum. Lehmkuhl, I. n. 1013.

CAPUT IV.

DE VARIIS CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS.

Articulus I.

CUI SIT RESTITUENDUM.

Si rei dominus sit certus et notus, ipsi restitutio est facienda, si absque gravi difficultate et alterius injuria fieri potest.

Si incertus est dominus vel eum invenire non potes, et habes rem sine delicto, adhibita diligentia ad dominum inveniendum potes tibi retinere.

Si mala fide rem habes et dominus inveniri nequit, debes restituere pauperibus vel causis piis. In quo casu restituendum esse pauperibus aliqui doctores deducunt ex jure canonico c. *Cum tu, de usuris*, quo statuitur restitutionem esse faciendam pauperibus propter usuram et simoniam, quod isti doctores extendunt ad alios casus dominii incerti. Communis tamen sententia, juxta Lugo, VI. n. 144, obligationem restituendi pauperibus derivat ex ipso jure naturali, quatenus furto non solum læditur dominus rei particularis sed et societas; unde si domino particulari restitutio fieri nequeat, est facienda societati, quod meliori modo fieri non potest quam dando pauperibus, parti societatis magis indigenti. Lehmkuhl, I. n. 1022.

Si mercator ementes a se mensura vel pondere vel aliis modis defraudavit, domini non sunt prorsus

incerti, unde ementibus debet augere mensuram, pondus, vel diminuere pretium si potest. Si fraudans ipse sit pauper, et dominus ignotus, satisfacit aliquando sibi quasi restituendo. Lehmkuhl, I. n. 1023.

Articulus II.

QUANTUM SIT RESTITUENDUM.

Tantum est restituendum quantum damnum alter est passus. Si in spe tantum habebat, pro rata spei est restituendum.

Quando plures cooperantur in damno inferendo, pro modo cooperandi obligantur vel ad partem damni vel ad totum damnum reparandum. Quando singuli cooperatores sunt causa efficax totius damni, omnes et singuli tenentur ad totum damnum reparandum. Quando hoc accidit singuli dicuntur teneri ad restitutionem in solidum. Scilicet quum omnes sint causa totius damni, debent pro rata omnes suam partem restituere, quod si alii non faciant, quatenus etiam singuli sunt causa totius damni, debent singuli totum damnum reparare.

Aliquis autem sive physice sive moraliter est causa efficax totius damni—

1° Quando ponit actionem ad totum damnum necessariam et sufficientem; ut si quis consilio suo movet alterum ad damnum inferendum, aliter illud non illaturum.

2° Quando ponit actionem sufficientem et actu in totum effectum influentem, licet non necessariam, v.g., cum aliis conspirando.

3° Quando ponit actionem necessariam, licet insufficientem; ut quando quis adjuvat alios ad damnum inferendum quod soli inferre non potuissent. Disputant doctores utrum quis censendus sit causa totius damni si ponat causam sufficientem totius damni, licet non actu influat in totum. Utraque sententia affirmans et negans est probabilis. Bucceroni, I. n. 1426.

Unde si plures sine mutua conspiratione succendunt domum, probabiliter singuli tenentur tantum ad damnum reparandum quod ab ipsis fuit illatum.

Articulus III.

QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM.

Ordo hic consideratur primo ex parte debitorum, secundo ex parte creditorum.

I. Ex parte debitorum. Plures debitores vel pro rata parte restituere tenentur, et tunc nullus ordo est necessario servandus; vel in solidum tenentur. Qui in solidum tenentur sunt vel cooperatores in eadem specie et gradu, vel in diversa specie et gradu.

(*a*) Cooperatores in eadem specie et gradu singuli tenentur ratam partem restituere et ceteri in defectu aliorum, nec ullus ordo necessario est servandus inter ipsos. Si aliqui totum restituerint, recursum habent pro rata parte contra ceteros.

(*b*) Inter cooperatores tamen in diversa specie et gradu, tenentur primo loco causæ principales, et 1° Possessor rei; 2° Mandans; 3° Executor.

Secundo loco tenentur causæ secundariæ, et 1° Cooperatores positivi, consulens, consentiens, etc. 2° Negativi. Quorum si causæ principales restituerint, ceteræ ad nihil tenentur; in defectu enim primarum tantum tenentur.

II. De ordine servando inter creditores. Si debitor est solvendo nullus ordo necessario ex obligatione justitiæ est servandus. Si non est solvendo, post cessionem bonorum fere omnia debita pari passu pro rata sunt solvenda quibusdam exceptis.[1]

Bona debitoris mortui quæ non sufficiunt ad omnia ejus debita solvenda, creditore juxta leges petente, Curia præscribet ut administrentur sicut post cessionem bonorum. Encyclop. of Laws, s.v. Bankruptcy.

Aliter ordo lege præscriptus est ab executore vel administratore servandus.[2]

[1] "Although the policy of the law is an evenhanded distribution of the assets *pro rata*, there are certain classes of debts to which the legislature has thought fit, in the Preferential Payments Bankruptcy Act, 1888, to give priority.

These are—(1) Rates and taxes. . . . (2) The wages or salary of any clerk or servant, not exceeding £50, in respect of services rendered during four months prior to the receiving order. (3) Wages of any labourer or workman, not exceeding £25, for services—whether time or piece work—rendered during two months prior to the date of the receiving order. . . ."

"A secured creditor has four courses open to him—(1) He may rest on his security, and not prove; (2) He may realize his security, and prove for the deficiency; (3) He may value his security, and prove for the deficiency, after deduction of the assessed value; (4) He may surrender his security and prove for the whole debt." Encyclop. of Laws, s.v. Bankruptcy.

[2] "As to the payment of debts: The deceased's estate, both legal and equitable assets, must be applied in payment of, first, the funeral expenses; next, the expenses of probate or taking out administra-

Debitor qui cognoscit suum statum labilem potest satisfacere creditori solutionem petenti, si tempus solutionis advenit. Communis sententia est debitorem talem non posse monere creditorem ut petat vel voluntarie solvere non petenti, quæ sententia quamvis non careat difficultate, inspecta sola lege naturali, videtur esse sequenda ex lege Anglica. "An express provision is inserted in the Bankruptcy Act, 1883, similar to one in the Bankruptcy Act, 1869, to the following effect:—that every conveyance or transfer of property or charge thereon made, every payment made, every obligation incurred, and every judicial proceeding taken or suffered, by a person unable to pay his debts as they become due from his own moneys, in favour of any creditor, or of any trustee for such creditor, with a view to giving such creditor a preference over the other creditors, shall, if the insolvent become bankrupt within three months afterwards, be deemed fraudulent and void as against the trustee; but this section is not to affect the rights of any person making title in good faith and for valuable consideration through or under a creditor of the bankrupt." Stephen, II. p. 171; Encyclop. of Laws, s.v. Bankruptcy; cf. Lehmkuhl, I. n. 1027;

tion, including the costs of an administration action and other executorship expenses; and then the debts of the deceased are payable out of legal assets in the following order: (a) Crown debts due by matter of record—a surety to the Crown having the like priority; (b) debts having priority by statute, *e.g.*, under the Friendly Societies' Act, 1896, s. 35; (c) debts of record, consisting of judgments in Courts of record and recognizances; (d) debts by specialty and simple contract." Encyclop. of Laws, s.v. Executors and Administrators.

Kenrick, II. n. 206; Laym. l. iii. tr. ii. c. 11, assert. vii.; Crolly, III. nn. 1223, 1136, 1137.

Lege Anglica igitur datur rescissio solutionis integræ factæ sic fraudulenter uni creditori; quæ dispositio legis utrum in conscientia obliget ante sententiam non videtur esse certum: nam quod suum est creditor recepit, et poterat petere solutionem et tunc integram solutionem accipere, et lex Anglica non directe creditorem sed debitorem respicit.

Articulus IV.

QUOMODO SIT RESTITUENDUM.

Requiritur et sufficit ut restitutio fiat eo modo quo læsus fiat indemnis. Hinc potest fieri palam vel occulte, nesciente domino vel sciente, per debitorem vel per alium.

Si res debetur ex contractu, contractus est servandus quoad locum, expensas, etc., rem tradendi. Si debetur a possessore rei alienæ bona fide, restitutio est facienda expensis creditoris, si a debitore ex delicto expensis debitoris, dummodo expensæ non sint duplo majores quam rei pretium, irrationabiliter enim vellet creditor ut cum tantis expensis res sua restitueretur; quæ si fuerint dimidio majores, posset solutio fieri in alia specie, v.g., pecunia pro equo.

Possessor bonæ fidei qui mediis ordinarie securis rem ad dominum transmisit ad nihil tenetur si in via res perit, quia perit domino: nec debitor ex delicto si media restitutionis ab ipso domino fuerunt

designata: nec probabiliter si fuerunt electa a debitore ex delicto et ordinarie secura, quia creditor præsumitur consentire ut media ordinarie tuta eligantur. Encyclop. of Laws, s.v. Payment.

Articulus V.

QUANDO SIT RESTITUENDUM.

Quoad debita ex contractu standum est terminis contractus quoad tempus. Generatim quoad omnia debita, restituendum est quamprimum fieri potest sine gravi incommodo; et debitor ex injuria tenebitur ad damna quæ sequuntur ex dilatione etiam inculpabili.

CAPUT V.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

A restitutione excusant omnia ea quæ faciunt ut creditor rationabiliter debeat esse contentus. Unde:—

1° Remissio expressa vel tacita a creditore libere facta, vel rationabiliter præsumpta.

2° Impotentia physica vel moralis quamdiu durat; ut si nequeas restituere sine periculo vitæ, notabili bonorum aut famæ detrimento.

3° Cessio bonorum, *if the discharge is absolute and unconditional*, ex lege Anglica.[1] Stephen, II. p. 183; Crolly, III. n. 1232; Lehmkuhl, I. n. 1035; Kenrick, II. n. 207; Marc, n. 1022.

Quæ dispositio legis est ad bonum commune, favet negotiationi, et quantitas fœnoris tali legi se accommodat.

[1] "A bankrupt duly discharged, is entitled (when the discharge is absolute and unconditional) to enjoy, free from the claims of his creditors (other than those before mentioned as continuing, and other than his new creditors), all future acquisitions of property; so that, in the language often applied to the case of a discharge under former statutes, 'he becomes a clear man again.'" Stephen, II. p. 183.

"This principle does not, however, apply to a debt from which a bankrupt is released by his order of discharge, for no promise to pay such a debt can be enforced unless supported by a new and valuable consideration, for the debt is in fact extinguished." Indermaur, p. 43.

Idem videtur dicendum de cessione voluntaria seu *Composition* seu *Scheme of arrangement.*[1]

4° Ingressus in religionem si quis non debet certis personis, vel si nequit facile vel brevi tempore debitis satisfacere. Sixtus V. Const. *Cum de omnibus*, Kal. Dec. 1587; et Clemens VIII. 19 Mart. 1603, prohibuerunt ingressum nimis ære alieno gravatis, scil. si manendo in seculo satisfacere possent.

[1] "Under the Bankruptcy Act, 1890, a statutory majority of creditors may, as therein provided and subject to the Court's confirmation, agree to accept a composition in satisfaction of their debts, which will be binding on the other creditors, and the payment of which composition will discharge the debtor." Indermaur, p. 251; Anson, pp. 88, 195; Encyclop. of Laws, s.v. Bankruptcy.

CAPUT VI.

DE OCCULTA COMPENSATIONE.

Occulta compensatio est æquivalens rei propriæ recuperatio occulta. Distinguenda est a compensatione legali, seu *Set-off*, quod est "a claim which a defendant has upon a plaintiff, and which he sets up or places against the plaintiff's demand." Indermaur, p. 264.

Compensatio occulta, datis quibusdam conditionibus, est licita; quia nihil aliud est quam defensio ab injuria qua debitor continuo vexat creditorem, injuste detinendo rem ejus, vel id ad quod jus ex justitia habet.

Ut autem occulta compensatio sit licita, sequentes conditiones sunt requisitæ: 1° Ut debitum sit certum: 2° Ut præcaveatur damnum debitoris, ne scilicet bis solvat: 3° Ut fiat quando recursus ad judicem non est facilis: 4° Ut sumam rem mihi debitam in eadem specie, quantum fieri potest. (Lehmkuhl, I. n. 938.) Conditiones quæ tertio et quarto loco sunt positæ obligant ordinarie tantum sub levi, unde ab omni culpa mediocris difficultas excusat si non observentur.

Secunda conditio obligat ex caritate non ex justitia; prima est præcipua, et juxta communem sententiam est servanda, quia si alter bona fide possidet, non licet eum re privare cum sola juris probabilitate.

Servatis autem conditionibus, licet uti occulta compensatione non tantum quando quis habet jus in re, sed etiam cum jure ad rem. Bucceroni, I. n. 1477.

Sectio VIII.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

Octavum Decalogi præceptum est—*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Exod. xx. 16. Hoc præceptum quatenus negativum prohibet falsum testimonium præsertim in judicio. Secundario vero prohibet omnem injustam læsionem famæ proximi per judicium temerarium, detractionem, calumniam, contumeliam, mendacium. Quatenus est virtualiter affirmativum præscribit veritatem dicendam.

CAPUT I.

DE JUDICIO TEMERARIO.

Judicium temerarium est si quis sine sufficienti motivo elicit determinatum judicium de vitio alterius absque formidine de opposito.

Distinguitur ab opinione, suspicione temeraria.

I. Judicium temerarium est peccatum mortale ex genere suo. Ratio est, quia quilibet habet jus ne malus judicetur sine ratione sufficienti. Ergo judicium temerarium est peccatum contra justitiam, quæ sub gravi ex genere suo obligat. Luc. vi. 37; Jac. iv. 11.

II. Attamen ut sit in individuo mortale debet esse: 1° Firmum judicium et deliberatum; 2° In

materia gravi; 3° Temere conceptum, et ut tale apprehensum.

"Unde bene Molina disp. 13, n. 4 notat, viros timoratæ conscientiæ raro incidere in culpam lethalem judicii temerarii, licet plerumque scrupulis agitentur in hac materia: quia vel deest actus voluntatis, vel advertentia plena ad malitiam, et ad temeritatem." Lugo, XIV. n. 17.

III. Dubium positivum, suspicio aut opinio temeraria de crimine alterius est per se tantum peccatum veniale. Ratio est, quia per se talia gravem injuriam non inferunt, secus enim dicendum si gravis injuria infertur. S. Alphonsus, III. n. 963.

IV. Nemo tenetur in defectu rationum positive judicare alium esse innocentem, sed judicium suspendere licet; imo valet tunc axioma: "In ordine cautelæ præsumenda sunt pejora, in ordine caritatis et justitiæ meliora."

CAPUT II.

DE DETRACTIONE.

Detractio est alienæ famæ occulta et injusta violatio, præsertim crimen verum manifestando; quæ si fit falsum crimen alteri imponendo est *calumnia*.

Variis autem modis detractio fieri potest, "quandoque directe, quandoque indirecte: directe quidem quadrupliciter: uno modo, quando falsum imponit alteri; secundo, quando peccatum adauget suis verbis; tertio, quando occultum revelat; quarto, quando id quod est bonum dicit mala intentione factum. Indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitiose reticendo, vel minuendo." S. Thomas, II-II. q. 73, a. 1, ad 3; Lugo, XIV. n. 35.

Si autem finis detractoris sit ad dissolvendam veram amicitiam speciale committitur peccatum detractione gravius quod dicitur *susurratio*. S. Thomas, II-II. q. 74.

I. Detractio est peccatum grave ex genere suo, quia est contra justitiam. Nam etiamsi verum sit crimen occultum quod manifestatur vel defectus, adhuc tamen detractus possidebat suam famam, qua privari sine injustitia non poterat.

Revelare peccatum mortale alterius est peccatum mortale quando propterea grave detrimentum famæ patitur, non vero quando patitur solum leve detri-

mentum; nec per se est mortale peccatum quando peccatum veniale vel defectus naturales manifestantur, nisi inde grave damnum sequatur detracto.

II. Etiam mortui jus ad famam retinent, nam nemo totus moritur, et sæpe infamia mortui in vivos redundat. Aliquando tamen licet mortuum infamare, (a) Ut innocenti fama restituatur; (b) Ut auctoritas et influxus hominis pessimi minuatur; (c) Si agatur de homine apud bonos perditæ famæ, nihil est si diffamatio augeatur. Lehmkuhl, I. n. 1183; Lugo, XIV. n. 44. Cfr. Indermaur, p. 385.

Licet parentibus sibi invicem manifestare filiorum defectus ad eos corrigendos; ita iis quoque, ut videtur, qui loco parentum sunt, caute tamen. Lehmkuhl, I. n. 1182.

III. Nunquam licet falsum crimen alteri apponere; licet tamen justa de causa crimen alterius occultum etiam cum jactura ipsius famæ manifestare.

Ratio primæ partis patet quia esset mendacium, et ex prop. 44 ab Inn. XI. damnata. Ratio autem secundæ partis est quia in conflictu jurium jus quod est potius est præferendum.

Causæ sequentes admittuntur ut justæ ob quas licet manifestare crimen occultum alterius, scilicet, utilitas notabilis revelantis aut delinquentis, utilitas publica ut ad mala reipublicæ vel religioni vel communitati imminentia impedienda, denique utilitas audientium ut a malis gravibus liberentur.

IV. Probabiliter non est grave revelare mortale peccatum alterius uni viro prudenti etiamsi eum apud istum prudentem graviter dedecoret, quia

grave damnum ordinarie non infertur. Quod tamen alii communius negant, eo quod graviter ferant homines infamationem apud etiam unum prudentem.

V. Licet crimen publicum revelare nescientibus, quia criminosus jus ad famam tunc amisit. Quod praxis quotidiana confirmat.

Publicum autem est crimen tripliciter; (a) *Jure*, per confessionem rei in judicio publico, vel per sententiam publicam judicis; (b) *Facto*, per ipsam facti evidentiam apud tot ut judicio prudentium nulla tergiversatione celari possit; (c) *Fama*, si rumor ex sufficientibus indiciis ortus pervenerit ad majorem communitatis partem. Lacroix, III. pt. 2, n. 1219.

VI. Si crimen sit publicum in uno loco, non autem in alio, licitum est illud in hoc loco revelare si breviter illius notitia illuc sit perventura, quia nullum damnum proximo sequitur. Si agatur de loco ubi notitia non sit perventura, et si agatur de notorietate juris, licet illud revelare, quia ad bonum commune sententia judicis eum jure famæ privavit; si agatur de notorietate facti, controvertitur; sed probabilis est sententia affirmans licere ad bonum commune illud revelare. Nec valet dicere non licere uti opinione probabili cum periculo damni alterius, nam in illo casu alterius jus non est certum, et communitas jus habet ut de fure aliove criminoso moneatur ne ex ignorantia detrimentum patiatur. S. Alphonsus, III. n. 974.

Quæ tamen sententia est intelligenda de crimine *absolute* publico, non tantum publico in communitate clausa, collegio, ordine religioso, et secluso alio

damno secuturo præter infamiæ divulgationem. Lehmkuhl, I. n. 1181.

VII. Qui ita audit detrahentem ut eum efficaciter inducat ad detrahendum peccat graviter contra justitiam et contra caritatem. Aliter privata persona quæ audit detractorem non peccat contra justitiam, et sæpe excusatur a peccato contra caritatem, similiter ac dictum est de correctione fraterna; strictius tamen obligatur superior, quatenus ipsi specialis obligatio incumbit corrigendi subditos detractione delinquentes, vel subditorum famam quæ læditur protegendi.

VIII. Quatenus detractio et calumnia violant justitiam commutativam, inducunt obligationem restitutionis (1) famæ, (2) omnium damnorum aliquo modo prævisorum. Quoad hanc obligationem eædem regulæ valent ac in materia restitutionis in genere, et similes causæ excusantes admittuntur.

Quoad modum obligationem implendi, detractor quamvis non possit crimen negare manifestatum, potest laudando detractum ejus famam aliquatenus reparare, calumniator autem tenetur per se calumniam revocare. S. Alphonsus, III. n. 991.

CAPUT III.

DE CONTUMELIA.

Contumelia est injusta violatio honoris personæ præsentis. Fit verbo, scripto vel opere, quæ tamen species materialiter tantum differunt.

I. Contumelia est peccatum grave ex genere suo, quia est contra justitiam et caritatem.

Constat etiam ex Sacra Scriptura, Matt. v. 22; ubi *Raca* significat hominem vituperabilem sive sputo dignum; in *Concilio*, de quo l.c. mentio fit, tantum de gravibus criminibus agebatur.

II. Contumelia inducit strictam obligationem restituendi honorem læsum et damna subsecuta.

Illa quidem satisfactio requiritur quæ censetur sufficiens ad manifestandam æstimationem, juxta conditionem personæ offensæ. "Ceterum, quoad praxim diligenter advertendum puto, quod multoties expedire continget, ut confessarius omittat monere pœnitentem in bona fide existentem, qui alium inhonoravit, de satisfactione præstanda, in pluribus casibus: et 1. Si prævideat monitionem non profuturam, imo potius obfuturam. 2. Si probabiliter putet dehonoratum magis recusare, quam cupere illam publicam satisfactionem. 3. Idem dicendum si probabile periculum sit, quod in actu satisfactionis odia inter offensum et offensorem renoventur. 4. Si ex signis manifeste appareat remissio facta ab offenso." S. Alphonsus, III. n. 988.

III. Aliquando non erit peccatum contumeliam inferre, ut quando leves defectus alicui objiciuntur per convenientem recreationem quin ad tristitiam vel iram provocetur, vel quando fit a superiore ut subditus corrigatur. S. Thomas, II-II. q. 72, a. 2, ad 1 et 2.

CAPUT IV.

DE MENDACIO.

Mendacium est locutio contra mentem. S. Thomas, II-II. q. 110, a. 1.

Voluntas alterum decipiendi est potius effectus mendacii, qui pertinet ad ejus perfectionem, et qui ordinarie intenditur, nec ad ejus essentiam pertinere videtur; quia potest quis mentiri ne convinci possit, quamquam scit alterum minime credere; equidem homo potest Deo mentiri; imo esset mendacissimus qui bene sciret neminem sibi quasi semper mentienti credere, nec haberet voluntatem fallendi. Lugo, De Fide, IV. nn. 11, 14; Lessius, lb. ii. c. 47, n. 33; Laymann, lb. iv. tract. iii. c. 13; Newman, Apologia, Append. 8.

Dicitur *locutio* contra mentem, quæ comprehendit actiones et quæcumque signa quibus sensus mentis manifestantur. Mendacium factis prolatum vocatur *Simulatio.*

Dividitur mendacium in jocosum, officiosum, perniciosum.

Jocosum est quod nec prodest nec obest, sed profertur ut delectet. Ut sit peccatum debet esse aptum ad decipiendum, et prolatum cum intentione falsum dicendi.

Officiosum quod prodest sine alterius injuria.

Perniciosum quod fit cum alterius injuria.

I. Mendacium est intrinsece malum, ita ut ne ad mundum quidem salvandum mentiri liceat.

Est theologorum doctrina communis, et probatur ex Sacra Scriptura, *Nolite mentiri invicem.* Col. iii. 9. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Eph. iv. 25. Aliisque locis: unde Inn. III. c. *Super eo, De Usuris,* dicit: "Quum Scriptura Sacra prohibeat, vel pro alterius vita mentiri."

Aliqui Patres Græci contrariam sententiam non semper illicitum sed aliquando propter inevitabilem necessitatem licitum esse mentiri tradebant. Quam sententiam Patrum Græcorum resuscitaverunt hoc seculo Van der Velden, I. p. 338; Bolgeni; aliique pauci. Etudes, Dec. 1899, p. 835.

Ratione autem probatur; 1. Quia est abusus signorum quæ data sunt ad sensus aliis communicandos, et quorum abusus mutuam fiduciam impedit, suspiciones ingerit, amicitiam et politicam conversationem offendit.

2. Quia in mendacio adest contradictio inter mentem et linguam, quæ turpis est utpote quædam hypocrisis, et est contra virtutem veracitatis quæ facit ut, quando mens est patefacienda, oratio menti sit conformis.

II. Si mendacium damnum alteri non infert, non videtur esse inordinatio gravis sed tantum veniale peccatum. Solum igitur mendacium perniciosum est ex genere suo grave. Lessius, l.c. n. 40.

Restrictio mentalis est actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum quam naturalem et obvium restringentis; ut si quis interroget—Num

Titius est domi? Respondeatur: Non *Est;* intelligendo—Non *comedit.* Est *pure mentalis* vel *late mentalis.* Pure mentalis est si sensus loquentis nullo modo percipi possit. Late mentalis si sensus ex adjunctis colligi possit. Aliis verbis, si verba prolata neque in se neque ex circumstantiis sed tantum per additionem mente factam habent talem significationem, habetur restrictio pure mentalis et mendacium. Late mentalis si verba in se sint ambigua vel ex circumstantiis talem significationem habent, ut si quis de secretis interrogatus dicat—Nescio, i.e., de scientia communicabili; vel accusatus in judicio dicat—Non sum reus, i.e., donec crimen probetur; vel famulus dominum quærenti respondeat —Non est domi, i.e., ad visitatores recipiendos.

III. Restrictio pure mentalis est mendacium et nunquam permittitur; quia verba prolata non significant sensum mentis. Constat etiam ex prop. 26 damnata ab Inn. XI.

IV. Licet ex justa causa uti restrictione late mentali.

Probatur ex eo quod homines jus habent ad secreta celanda. Atqui aliquando non datur aliud medium ad secreta celanda; nec est mendacium, quia verba in se vel saltem ex circumstantiis menti sunt conformia, et si alio sensu ab auditore accipiantur ejus deceptio juste permittitur. Ergo.

Constat etiam Christum Dominum his restrictionibus esse usum: *Ego autem non ascendam ad diem festum hunc.* Joan. vii. 8. *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud.* Joan. ii. 19. *Lazarus amicus noster dormit.* Joan. xi. 11; Marc. xiii. 32.

Constat denique ex praxi communi medicorum, advocatorum, officialium pariter ac privatorum hominum.

V. Non est licita restrictio late mentalis sine justa causa, aliter enim periret sinceritas et fides inter homines; nec quando contractus ineuntur, qui eodem sensu ab utraque parte sunt accipiendi; nec quando interrogans jus habet ad nudam veritatem, ut legitime interrogans testem in judicio.

VI. Peccat contra veracitatem qui inconsiderate et temere aliquid affirmat vel negat, ita ut se exponat periculo falsum dicendi, quamvis stricte non mentiatur. Laymann, lb. iv. tract. iii. c. 13, n. 13.

Quæ sunt dicta de mendacio applicanda sunt simulationi.

Propter connexionem materiæ hic agitur de secreti obligatione.

Secretum est res quædam occulta alicui revelata, seu utcumque cognita, cum onere silentii.

Triplex autem distinguitur, naturale, promissum, commissum.

Naturale est occultum quod non potest revelari sine alterius mœrore vel damno.

Promissum quando promissio silentii accedit ad rei cognitionem, utrum sit secretum naturale necne. Lehmkuhl, I. n. 1196.

Commissum quod committitur alicui sub expressa vel tacita conditione silentii servandi.

De secreto sigilli alibi tractatur.

VII. Qui sine justa causa violat secretum naturale peccat contra justitiam, quia unusquisque

jus habet ne cum suo damno secreta revelentur. Lugo, XIV. n. 144.

VIII. Secretum promissum potest etiam esse naturale. Quatenus est tantum promissum obligat sicut promissio, cujus obligatio pendet proxime ex intentione promittentis. Scilicet, promittens potest se obligare vel tantum ex fidelitate, vel ex fidelitate simul et justitia. Si prius regulariter, secluso damno alterius, obligatio erit levis, sicut si Missam pro aliquo celebrare promitto; si alterum, ut in promissionibus mutuis, in materia gravi erit gravis obligatio.

IX. Secretum commissum obligat per se sub gravi ex justitia, et quidem strictius ac secretum mere naturale, imo ac promissum, quia obligat ex contractu oneroso.

X. Obligatio secreti naturalis, promissi, commissi cessat varias ob causas: 1° Ex recte præsumpto consensu ejus cujus est secretum. 2° Si jam divulgatum est. 3° Ob bonum commune, si damnum commune sequeretur ex silentio servando. 4° Si grave damnum tibi vel ei cujus est secretum, vel alteri innocenti, si agatur de secreto naturali aut promisso, aliter obveniret; si vero agatur de secreto commisso, hujus obligatio non cessat ob damnum alteri innocenti imminens, nisi proveniat ex eo cujus est secretum; ratio est quia aliter non consulerent homines alios in suis angustiis, quod ut tuto facere possint exigit jus naturale. Bucceroni, I. n. 1542.

Resolves: Si innocens accusetur criminis quod ex secreto commisso ab alio scias patratum, non potes secretum revelare nisi is qui crimen commisit

innocentis accusationem procuraverit, quæ actio injusta privat eum jure secreti. Si scias ex secreto commisso prægnantem intendere abortum procurare, potes revelare secretum ad crimen impediendum.

Probabilius et communius docetur te teneri servare secretum etiam cum vitæ jactura, quod servare promisisti cum discrimine vitæ, quum objectum talis promissionis sit honestum; aliqui tamen probabiliter dicunt talem promissionem non esse servandam, quum illicitum sit juxta eos bonum temporale proximi præferre vitæ propriæ. S. Alphonsus, III. n. 971.

XI. Legitime in judicio interrogatus debet revelare secreta naturalia et promissa, quia ex jure naturali obediendum est superiori legitime præcipienti; e contra non est revelandum secretum commissum, nisi quando juxta prædicta ejus obligatio jam cessavit, quia "servare fidem est de jure naturali; nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de jure naturali." S. Thomas, II-II. q. 70, a. 1, ad 2.

Quibus aliquatenus concordat lex nostra municipalis; res vero videtur determinanda ex præscriptis juris naturalis. Indermaur, pp. 473, seqq.; Stephen, III. p. 575; Encyclop. of Laws, s.v. Evidence.

XII. Litteras alienas aperire utpote contra justitiam, quia unusquisque jus habet ad suum secretum servandum, est ex genere suo grave peccatum. Excipe tamen: 1° Si aperiantur ex consensu præsumpto mittentis, vel ejus ad quem sunt missæ. 2° Si cognoscatur litteras continere res nullius momenti. 3° Ad damnum publicum vel

privatum avertendum, "ut si probabiliter scias eas scriptas esse in tuum injustum damnum, vel in injuriam tuam cedere, quam intendas avertere, quia potes tibi consulere." (Busembaum.) 4° Superiores religiosi licite ex regula litteras aperiunt suis subditis directas vel ab eis scriptas; excipiuntur tamen litteræ ad superiores mediatos datæ, necnon eæ quæ secreta conscientiæ continent, quæ ut superior sciat rationabiliter invitus est qui scripsit. Si autem superior merito suspicatur abusum hujus prætextus rem investigare ei licet. Ballerini, VI. sect. vii. n. 59; Génicot, I. n. 423.

Lege nostra dominium litterarum pertinet ad eum cui mittuntur, earum vero scriptor retinet jus prohibendi quominus publicentur nisi ad famam vindicandam. Indermaur, p. 202.

TRACTATUS VII.

De Præceptis Ecclesiæ.

Postquam actum est de præceptis divinis Decalogi, agendum nunc est de præceptis ecclesiasticis. Plurima quidem sunt Ecclesiæ præcepta, hic loquimur tantum de quibusdam quæ omnes fideles communiter obligant.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE SUSTENTANDI ECCLESIÆ MINISTROS.

Ex ordinatione Christi Domini et Ecclesiæ fideles juxta capacitatem tenentur contribuere expensis Ecclesiæ et pastorum sustentationi. "Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere." 1 Cor. ix. 14; Conc. West. I. d. xxiii. nn. 4, 5; II. d. viii. n. 9.

Ad idem etiam lege naturali ex justitia fideles obligantur, ut probat S. Thomas, II-II. q. 87, a. 1: "Quod enim eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret ratio naturalis dictat; sicut et his qui communi utilitati invigilant, scilicet principibus et militibus, et aliis hujusmodi, stipendia victus debentur a populo."

CAPUT II.

DE FESTIS DIEBUS OBSERVANDIS.

Aliud est præceptum ut fideles colant dominicos et festos quosdam dies ecclesiastica auctoritate institutos.

Jus tales dies instituendi pertinet exclusive ad Ecclesiam, et quidem ex disciplina vigenti ad Summum Pontificem, quatenus ex stylo curiæ et decreto S.R.C. 23 Jun. 1703, Episcopis denegandum videtur jus practicum nova festa de præcepto instituendi. Bouix, De jur. liturg. IV. c. 4, p. 356.

In Anglia festa ex obligatione colenda reducebantur decreto S.C. de P.F., 9 Mart. 1777, ac altero ejusdem Congregationis, 17 Maii, 1830 (ap. Conc. West. pp. 199, 201); ac nunc octo tantum recensentur, scilicet, festum Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi; Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ, et Omnium Sanctorum.

In Anglia nullos patronos habemus electos ad tramites Constitutionis Urbani VIII. 23 Mart. 1630 (Conc. West. p, 203), hinc nullum festum patroni de præcepto celebrandum. Habemus tamen patronos totius regni S. Georgium, S. Petrum, Beatam Virginem Mariam, aliosque diœcesis vel ecclesiæ particularis, de quibus varia statuuntur tum jure

communi tum provinciali, præsertim quæ Missam et officium spectant.

Jure communi Patronus commemorari debet in suffragiis Sanctorum, et in Missa in oratione *A Cunctis*. (Schneider, Man. sacerd. p. 253.) In Anglia vi specialis indulti fit solummodo commemoratio S. Georgii in officio, et nominatur tantum S. Georgius in oratione *A Cunctis*. (S.C. de P.F., 24 Maii, 1863, Conc. West. p. 203.) Juxta Wapelhorst (Comp. Sacræ liturg. n. 22, 2°), Regulares addere possunt nomen sancti Fundatoris sui. Cfr. S.C. de P.F., 24 Maii, 1863; Vermeersch, De religiosis institutis, n. 513.

CAPUT III.

DE ANNUA CONFESSIONE ET COMMUNIONE.

Annua confessio et communio præscribuntur Conc. Lat. IV. c. 21: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum."

Articulus I.

DE ANNUA CONFESSIONE.

Huic legi per se subjiciuntur omnes baptizati quando sunt capaces peccati mortalis, quod præsumitur post annum septimum completum.

Aliqui doctores cum S. Thoma tenebant eum qui sola venialia haberet hac lege obligari vi præcepti ecclesiastici; altera tamen sententia est jam communis et verior juxta S. Alphonsum, quia Ecclesia tantum determinavit legem divinam, quæ obligat solummodo ad mortalia confitenda, et erui videtur ex eo quod Concilium præscribit ut omnis *omnia* peccata confiteatur; Concilium autem noluit obligare

ad omnia peccata venialia confitenda. Ergo præceptum dabat tantum de mortalibus. S. Alphonsus, VI. n. 667.

Hoc præceptum non est annexum tempori paschali nisi per accidens ratione communionis annuæ, quæ tunc ex Lateranensi est suscipienda. Per se igitur posset annus variis modis computari. (1) Juxta Kalendarium ita ut si quis hoc anno satisfecerit intra Januarium et Decembrem, non teneatur iterum confiteri nisi ante finem anni sequentis. (Ballerini, X. sect. v. n. 1060.) (2) Ab ultima confessione. (3) A Pascha ad Pascham.

Non satisfit præcepto per confessionem invalidam, ut constat ex prop. 14 damnata ab Alexandro VII.; etiam involuntarie invalidam, quia Ecclesia præcipit confessionem per quam quis cum Deo reconciliatur.

Quilibet sacerdos qui habet jurisdictionem et approbationem Episcopi, est *proprius* sacerdos fidelium intra diœcesim in ordine ad eorum confessiones audiendas. Month, Nov. 1893, p. 341.

Communior sententia quæ ordinarie est sequenda tenet hoc præceptum poni ad urgendam, non ad finiendam obligationem. S. Alphonsus, VI. n. 668.

Articulus II.

DE ANNUA COMMUNIONE.

Præceptum de communione annua est quoad substantiam divinum, sicut et illud de confessione annua, ecclesiasticum est quoad determinationem temporis.

Quum in Anglia parœcias nondum habeamus, non urget lex quoad locum communionis paschalis faciendæ; unde apud nos satisfit præcepto in quacumque Ecclesia communio recipiatur; et quum in provincia Westmonasteriensi tempus præceptum implendi extendatur ultra septem hebdomadas, dilatio unius alteriusve diei non videtur notabilis, nec peccatum mortale. (Sabetti, n. 342.) Jus commune præscribit esse legi satisfaciendum intra quindecim dies, a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis; in hac regione tempus extensum est a Feria IV. Cinerum ad Dominicam in Albis inclusive (Conc. West. I. d. 18, n. 17); imo ex Episcopi vel parochi dispensatione tempus protrahi potest, et confessarius singulis pœnitentibus dilationem ex justa causa concedere potest.

Longe communior sententia, quam debet confessarius ordinarie sequi, dicit hoc præceptum poni tantum ad urgendam non ad finiendam obligationem. Lehmkuhl, I. n. 1206.

Præcepta obligant ad media ordinaria sumenda ut impleantur; utrum obligent ad impedimenta impletionis auferenda pendet ex eorum natura, mente legislatoris, judicio prudentum, et usu proborum. Censent Doctores præceptum Missæ audiendæ non obligare ad impedimenta auferenda, bene tamen annuæ Communionis præceptum. Lacroix, I. n. 794.

CAPUT IV.

DE ABSTINENTIÆ ET JEJUNII PRÆCEPTIS.

Articulus I.

DE ABSTINENTIA.

Præcipiuntur ab Ecclesia ad reprimendas concupiscentias carnis certis diebus abstinentia et jejunium. S. Thomas, II-II. q. 147, a. 8.

I. Carnes prohibentur non pisces, carnes nempe animalium in terra nascentium et respirantium; ut autem distinguantur carnes prohibitæ a piscibus non tantum natura sed attendenda quoque est æstimatio communis, judicium prudentum et consuetudo. Ballerini, VII. sect. 1, n. 6.

Resolves: Licet diebus abstinentiæ comedere limaces, testudines, cancros, ostreas, et locustas. Ballerini, VII. sect. 1, n. 12.

II. Totum autem animal prohibetur; unde lege communi non licet edere nec carnes, nec quæ a carnibus derivantur, nec partes quomodocumque constitutivas animalium.

In Anglia vi dispensationis concessæ 9 Maii, 1860 (Collect. Conc. West. p. 183), usus laridi permittitur diebus abstinentiæ. Nomine autem laridi comprehenditur adeps ex quocumque animali et butyrum. S.O. 1 Maii, 1889; 13 Maii, 1896.

III. Ex disciplina in Anglia vigente lex absti-

nentiæ obligat omnibus feriis sextis per annum, nisi isto die incidat festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et dominicis in Quadragesima, nisi dispensentur, præter dies jejunii.

Abstinentia quæ olim in Anglia observabatur die sabbati, diebus rogationum, et festo S. Marci, dispensata fuit pro Anglia decreto S.C. de P.F. 17 Maii, 1830. Collect. Conc. West. p. 201.

IV. Hæc lex omnes fideles per se obligat post septimum annum adeptum.

V. Quamvis præceptum utpote in gravi materia sub gravi obligat, admittit tamen parvitatem materiæ; quæ autem quantitas requiratur ad materiam gravem non consentiunt Doctores; debet saltem esse talis qualis notabiliter nutriat; juxta plures requiruntur et sufficiunt ad grave peccatum duæ unciæ cibi prohibiti.

VI. Excusant a lege hac impotentia physica vel moralis, seu magna difficultas, et dispensatio.

Hinc non tenentur abstinere pauperes mendicantes, ægrotantes, operarii qui quotidie operibus valde arduis incumbunt in fodinis, officinis vitreis et ferreis; viatores qui in itinere cibos licitos invenire nequeunt, non autem excusantur ratione solius itineris; milites in castris et contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti, non autem dum domi degunt. Excusantur qui sui juris non existentes alios cibos habere non possunt—scilicet jejunare non tenentur. Hinc sæpe famuli apud acatholicos et liberi pravorum catholicorum excusantur. Lehmkuhl, I. n. 1208; Cf. A.S.S. XXVIII. p. 318.

Summus Pontifex dispensare valet pro tota Ecclesia; Episcopi, prælati religiosi et parochi cum suis subditis et in singulis casibus; simplices confessarii, qui curam animarum non habent, dispensare valent cum suis pœnitentibus nonnisi ex facultate delegata.

Decreto autem S.O. 5 Dec. 1894, in solemnibus festis et nundinis extraordinariis, similibusque occasionibus ob magnum concursum populi, dabatur Episcopis facultas generaliter dispensandi a lege abstinentiæ et jejunii. A. S. S. XXVII. p. 512; XXVIII. p. 572.

Articulus II.

DE JEJUNIO.

Jejunium ecclesiasticum situm est in abstinentia ad certum tempus a cibis et a certa ciborum qualitate, seu in tribus: 1° In unica plena comestione per diem; 2° In abstinentia a carnibus, et in quadragesima a lacticiniis; 3° In non comedendo ante meridiem. Essentia jejunii ecclesiastici, qua non servata non jejunatur, consistit in eo quod unica tantum per diem sumatur plena refectio.

I. In Anglia jejunium præcipitur per quadragesimam exceptis dominicis; feriis quartis et sextis Adventus; feriis quartis, sextis et sabbatis quatuor temporum; vigiliis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, festi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis, et Omnium Sanctorum.

Jejunium in vigiliis festorum suppressorum in Anglia fuit translatum in ferias quartas et sextas Adventus decreto S.C. de P.F. 9 Mart. 1777. Collect. Conc. West. p. 199.

II. Fideles nonnisi post annum vigesimum primum completum tenentur hac lege; Ecclesia enim pia mater non vult prius imponere obligationem eorum vires superantem.

III. Jejunium præcipue consistit in unica refectione, præter quam ex consuetudine nunc licet sumere collationem vespertinam, imo mane frustulum panis cum *tea*, *coffee* vel *chocolate* sumere licet, dummodo cibus solidus tunc duas uncias non excedat.

Si præter hæc aliquid cibi sumatur erit saltem veniale, et materia coalescit si pluries aliquid sumatur. (Prop. 29 damnata ab Alexandro VII.) Grave erit si ad quatuor uncias accedit quantitas cibi illicite sumpti.

Liquidum vero non frangit jejunium, quod verum manet saltem probabilius etiamsi sumatur ad famem sedandam.

Lac vero, jusculum, et *chocolate* nisi sit tenue, cum similibus, reputantur cibus.

Ei qui duplicem refectionem plenam sumpsit jejunium fit impossibile, ac proin iterum non peccat etiamsi pluries plene comedit. Hoc procedit sive culpabiliter sive non bis cœnaverit. Aliter est dicendum de abstinentiæ præcepto, toties enim quis peccat contra abstinentiæ legem quoties carnes comedit.

Si quis die jejunii inadvertenter jentaverit, non excusatur a jejunio servando, potest enim et tenetur

adhuc legem jejunii essentialiter servare, dummodo ei gravi incommodo non sit.

IV. Collatio serotina ex consuetudine nunc est licita. Et ex justa causa, ut si fiat ratione debilitatis, negotiorum, studiorum, imo venationis, uti plures dicunt, licet eam sumere mane vel meridie tempore cœnæ mutato; sine justa causa erit veniale tantum, cum non violetur substantia jejunii. S. Alphonsus, III. n. 1024.

Quoad *quantitatem* permissam in collatione, diversa regula a diversis statuitur. Octo unciæ a pluribus permittuntur, et aliquid plus ex justa causa, ut si aliter jejunari non potest; qua regula statuta, pervenire usque ad duodecim uncias esset grave.

Quoad *porridge* et similes cibos, qui magna ex parte liquido constant, plus quam octo uncias sumere licitum videtur, non tamen liceret sumere octo uncias talis cibi liquido præciso, nam moraliter ex aqua et cibo solido permixto fit una substantia.

Quoad *qualitatem* cibi in collatione adhibendi, leviores tantum permittuntur. Hinc ova, caseus, lac, butyrum per se prohibentur. Attamen attendendæ sunt consuetudines locales. In Anglia ova quidem non permittuntur, at rescripto 18 Mart. 1880 (Collect. Conc. West. p. 429), apud nos nunc permittitur esus butyri, casei, et lactis, per modum condimenti, exceptis feria quarta Cinerum et feria sexta Majoris Hebdomadæ.

V. Diebus jejunii per annum præcipitur omnibus fidelibus ratione utentibus abstinentia a carnibus; quæ lex utpote negativa violatur toties quoties carni-

bus quis vescitur. Ac proin in confessione declarandum est quoties hæc lex in die sit violata.

Intra quadragesimam prohibentur etiam lacticinia et ova, in Anglia vero fere pro omnibus diebus dispensatio concedi solet speciali indulto, cui singulis annis est standum.

VI. Duplex est lex jejunandi et abstinendi a carnibus, ac proinde dispensatus ab una non ideo ab altera dispensatur.

VII. Diebus jejunii per annum et Dominicis Quadragesimæ, non tamen aliis diebus abstinentiæ, dispensati a lege abstinentiæ non possunt in eadem comestione carnibus et piscibus vesci. (Constt. Ben. XIV. *Non ambigimus, In Suprema, Libentissime.*) Quæ lex de non permiscendis epulis ligat etiam eos qui a jejunio sunt exempti. (S.U.I. 24 Mart. 1841.) Qui tamen ob morbum carnes sumunt edere possunt diebus jejunii carnes simul et pisces. S. Pœnit. 9 Jan. 1899, ap. Analecta, 1899, p. 500.

Fideles qui ratione ætatis vel laboris vel affectæ valetudinis a lege jejunii eximuntur, quando indultum ad carnes comedendas conceditur, possunt carnibus vesci toties quoties comedunt. Quod etiam facere possunt dispensati, nisi expresse aliter sit cautum a dispensante. Lehmkuhl, I. n. 1220; Sabetti, n. 334; Irish Eccles. Record, April, 1899, p. 362.

VIII. Antiquitus hora refectionis erat vespere post solis occasum. A sæculo xiv. est circa meridiem, et anticipatio notabilis, ultra horam, non vacat culpa veniali. Sine causa tamen revertere licet ad usum priorem. Intervertere cœnulam et refectionem

erit veniale nisi ex consuetudine vel ex justa fit causa, ut antea dictum est.

Licite interrumpitur refectio si intervallum non sit notabile; non igitur peccatur etiamsi sine causa per breve tempus, ut per quadrantem, fiat interruptio.

IX. A jejunio excusant: 1° Impossibilitas physica vel moralis. 2° Pietas vel caritas. 3° Dispensatio.

1° Excusantur igitur valde pauperes, ægroti, prægnantes, operarii et famuli qui operibus laboriosis vacant, milites, senes viri qui annum sexagesimum et saltem probabiliter feminæ quæ annum quinquagesimum attigerunt, iter facientes pedibus quinque horarum, vel etiam minus si iter sit difficile, non si rhedis vel curru nisi per plures dies iter faciunt. S. Alphonsus, III. n. 1047; Propositiones 30, 31, damnatæ ab Alexandro VII.

2° Concionantes fere quotidie, missionarii, lectores scientiarum, etiamsi per unam horam solum doceant, si studio et labore indigeant ad se parandos; magistri grammaticæ si per quatuor vel quinque horas doceant. Ballerini, VII. sect. 1, n. 96, seqq.

Studiis sacris incumbentes in scholis saltem facile habebunt, si qua causa accedat, rationem cur dispensationem accipiant, ait P. Lehmkuhl, I. n. 1218.

Dispensare valet S. Pontifex pro tota Ecclesia.

Episcopi dispensare valent pro suis subditis in singulis casibus, imo generaliter occasione solemnitatum in vetitum aliquem diem incidentium, quando est magnus populorum concursus, ut dictum est de abstinentia.

Superiores regulares pro subditis in singulis casibus.

Parochi et quasi-parochi in hac regione. (Conc. West. I. d. 23, n. 3.) Confessarii simplices qui non habent curam animarum ne delegata quidem potestate ordinarie dispensare queunt, solummodo legem declarare valent.

TRACTATUS VIII.

De Particularibus Obligationibus.

In tractatibus præcedentibus actum est de iis obligationibus quæ profluunt ex legibus quæ omnes Christianos obligant, in hoc est agendum de specialibus quibusdam obligationibus quæ obstringunt aliquos tantum ratione officii quod gerunt, vel status in quo constituuntur.

Sectio I.

DE OBLIGATIONIBUS QUORUMDAM LAICORUM.

CAPUT I.

DE JUDICIBUS.

Judex est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta ut secundum leges justitiam vindicet, judicium seu sententiam ferendo inter duas partes litigantes, authentica legum declaratione et applicatione.

Dicitur *persona publica*, tum quia auctoritate publica constituitur, non sicut *arbiter* qui privata auctoritate eligitur, tum quia juxta scientiam non privatam sed acceptam in judicio per testes, et juxta

leges sententiam fert, ac proin additur *ut secundum leges justitiam vindicet.*

Authentica legum declaratione,—non enim mere applicat legem ad casus particulares sicut jurisperitus privatus, sed auctoritative ita ut jus faciat et obligationem parendi gignat. Ballerini, IX. n. 17.

Quamvis autem juxta leges judex debet ordinarie causas dirimere, aliquando casus occurrunt quibus non satis jus constitutum providet, quos judices Angli a similibus vel ex æquo et bono dirimere solent, unde oritur quod vocatur *Case Law.* (Stephen, I. p. 55; Pollock, A first book of Jurisprudence, p. 227.) In curiis ecclesiasticis judex tales casus a similibus solvit, vel ad Romanum Pontificem remittit, qui non tantum judex in Ecclesia est supremus, sed et supremus legislator.

Judex est supremus vel inferior; ecclesiasticus vel civilis; ordinarius vel delegatus; in foro externo vel interno.

I. Judex tenetur legitimum judicium proferre, ad quod tria requiruntur: 1. Ut habeatur jurisdictio; 2. Rectus processus, qui varius est pro variis causis ecclesiasticis et civilibus; 3. Ut procedatur ex recta intentione justitiæ vindicandæ, non ex odio aliove pravo motivo. S. Alphonsus, IV. n. 192.

Instructio S.C.C. 22 Aug. 1840, pro confectione processus in causis matrimonialibus habetur apud Collect. Conc. West. p. 401; modus procedendi in consilio capiendo a concilio investigationis priusquam finaliter dejiciatur rector missionarius, ib. p. 61.

Concessit tamen Tridentinum, sess. xiv. c. 1,

De Ref. potestatem Episcopis arcendi ab ordinibus sacris, et suspendendi ab iisdem ordinibus jam susceptis, necnon a Dignitatibus ecclesiasticis *ex informata conscientia*, i.e., sine ulla juridica informatione, sed dumtaxat ex causis in sua conscientia perpensis. Craisson, n. 6010, seqq.

II. Judex debet habere scientiam et prudentiam necessariam ad causas juste dirimendas: aliter enim suo officio fungi non potest.

Quum judices superiores non nisi peritissimi constituantur, de iis hic vix est quæstio; judices inferiores pacis, qui vocantur, conscii suæ imperitiæ debent scientiam acquirere, vel judicium ex sententia magis peritorum proferre, vel a curiis abstinere.

III. Judex tenetur incorruptibili integritate officium implere, favorem nemini præstando, causas cito et debito ordine terminando, munera non accipiendo.

Resolves: Peccat corruptus judex, qui officio debito modo non fungitur, contra justitiam ob contractum in officio suscipiendo initum, et apud nos contra religionem ob juramentum tunc emissum. Encyclop. of Laws, s.v. Oath.

Jure canonico non prohibetur quominus judex recipiat "esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus." (C. Statutum, 11, *De Rescriptis*, in 6°.) Jure Anglico munera offerens et accipiens gravissime puniuntur; et si quid cibi vel potus jurati ab eo qui in judicio vicerit accipiant, veredictum est nullum et irritum. Stephen, III. p. 587; IV. p. 270; Encyclop. of Laws, s.vv. Bribery, Embracery.

IV. In causa criminali non est condemnandus

reus, nisi certo de crimine constet, nam nemo præsumitur malus nisi probetur. In causa etiam civili factum non præsumitur sed probari debet. In dubio juris et in causa civili si adsit fere æqualis probabilitas pro utraque parte, aliqui dicunt rem esse dividendam, alii probabiliter asserunt judicem posse huic vel alteri rem adjudicare. Si major probabilitas militat pro una parte illi res est adjudicanda, non enim licet judici sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. (Prop. 2 damnata ab Inn. XI.) Excipiunt communiter doctores casum quo unus rem possidet et probabilitas juris ei favet, dicunt enim tunc in favorem possessionis rem esse possidenti adjudicandam, nisi actor certo probet esse suam; lex vero Anglica tale privilegium possessori concedere non videtur[1] unde facilius approbatur quod jam dixerat S. Alphonsus (IV. n. 210): "Judices communiter res adjudicant habentibus jus probabilius."

V. Judex debet sententiam ferre juxta leges patriæ, si sunt justæ. Quid vero si sint injustæ, scilicet quia contra jus Ecclesiasticum, vel divinum, vel naturale?

In aliquibus potest Ecclesia dispensare vel judicibus secularibus in causa ecclesiastica concedere jurisdictionem. Quod in Anglia fecisse videtur in

[1] "Unless and until a *superior* title or justification is shown, existing legal possession is not only presumptive but conclusive evidence of the right to possess." (Pollock, Torts, p. 299.) "We have seen that possession confers more than a personal right to be protected against wrong-doers; it confers a qualified right to possess, a right in the nature of property, which is valid against every one who cannot show a *prior and better* right." Pollock and Wright, Possession, p. 93.

causis quæ respiciunt privilegium fori, et divortium semiplenum. S.O. 23 Jan. 1886; Gasparri, De matr. II. n. 1165.

In legibus quæ aliquid præcipiunt contra jus divinum vel naturale Ecclesia dispensare nequit, et sicut iniquum est lege præscribere ut omnes falsam religionem amplectantur, ut sacerdotes secretum sigilli violent, ita iniquum est judicem cogere ut quis juxta tales leges agat.

Si vero agatur de pœna lege injusta statuta infligenda, distinguendum est; vel agitur de pœna mortis vel mutilationis in quam nequit reus consentire, et talem infligere judici non licet; vel agitur de pœna pecuniaria quæ potest licite a reo solvi, et talem imponere quamvis probabilius non licet, aliqui putant licere. Rationes sunt, quia solutio non est intrinsece mala, et reus non est rationabiliter invitus ut judex catholicus legem exequatur ne cogatur officio cedere, præsertim quando non deerunt alii judices qui ejus defectu legem exequentur. Marc, n. 2292; Ballerini, IX. n. 56.

VI. Sententia judicis certo injusta non obligat in conscientia. In foro tamen externo ordinarie cedendum est ad evitanda majora mala, et ne ordo publicus turbetur, nisi appellare ad curiam altiorem reus velit. Potest etiam occulte sibi compensare. Si dubie justa sit, adhuc cedendum, quia præsumptio favet superiori, cujus jus præcipiendi est ex hypothesi certum. Si justa sit, obligat in conscientia sicut lex, nam "sententia judicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto." S. Thomas, II-II. q. 67, a. 1.

VII. Judici non licet condemnare quem scit esse sontem si delictum non probetur; nam non juxta privatam scientiam, sed juxta allegata et probata procedere debet. Si quæratur num possit judex condemnare eum qui juridice quidem probatur nocens, quem tamen scit esse innocentem, varia sunt Doctorum responsa; alii enim affirmant, alii negant, alii distinguunt inter causas in quibus agitur de pœna vitæ vel mutilationis, et de aliis pœnis; in illis negant licere, in his affirmant. S. Alphonsus, IV. n. 208.

Juxta omnes judex debet quod in se est facere ut rei innocentia manifestetur dum causa procedit, vel causam alteri deferre, se ipsum ut testem præbendo. Lege Anglica si jurati reum sontem declarant, judex ferre sententiam contra eum tenetur, quod ex sententia S. Thomæ (II-II. q. 64, a. 6, ad 3), facere licet, "quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem." Attamen deberet postea judex causam referre officiali qui vocatur "*Home Secretary*," et alia media adhibere ad innocentem liberandum.

Scholion. Quæ dicta sunt de judicibus applicari possunt cum debita proportione iis qui munere judicum aliquomodo funguntur. Tales sunt *arbitri*, *jurati*, *referentes* seu *referendarii*.

1. Arbitri dicuntur qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar judicum sponte eliguntur, aut admittuntur.

Differunt igitur a judicibus ex eo quod non sunt personæ publicæ, auctoritate publica constitutæ, sed privatæ. Quoad cetera conveniunt fere cum judici-

bus; debent secundum leges sententiam ferre, quæ partes obligat, et est finalis, nisi a curia seponatur tamquam corrupta, mediis illicitis obtenta, vel ob alias legitimas causas.

Compromissum (*the submission*), et sententia debent esse in scriptis. Stephen, III. p. 276; Encyclop. of Laws, s.v. Arbitration.

2. Jurati (*Jury, Jurymen*) sunt viri selecti ex civibus ad partem aliquam judicum propriam obeundam.

Apud nos adhibentur in causis majoribus criminalibus, et sæpe in civilibus, et in quibusdam aliis, ut in inquisitione facta a *Coroner*.

Pronunciant sub juramento et juxta testimonium de quæstionibus facti et de culpabilitate rei. Si quid privatim sciant de causa, debent hoc declarare et tanquam testes admittentur; aliter non videntur prohiberi quominus suis sociis privatim scientiam manifestent, et ea utantur in sententia danda. Crolly, III. n. 111.

3. Referentes seu referendarii (*Referees*) sunt officiales vel periti, quibus a Curia vel judice refertur specialis quæstio in causa non criminali, vel aliquando, causa ipsa præsertim implexa.

Debet referendarius agere juxta commissum sibi officium et regulas Curiæ; ejus sententia in toto vel in parte potest a judice vel Curia reformari, aliter vim obtinere videtur veredicti juratorum vel etiam sententiæ judicialis. Encyclop. of Laws, s.vv. Arbitration, Official Referees.

CAPUT II.

DE ADVOCATIS.

Advocatus (*Barrister* seu *Counsel*, vel etiam *Solicitor*) est qui suum litigantibus præbet auxilium consilio et defensione suscepta coram judice.

I. Advocatus tenetur ex contractu cum suo cliente inito ad ejus jura defendenda et damna præcavenda, ac proinde ut hoc faciat debet habere scientiam competentem, causam diligenter examinare, injustitiam causæ manifestare clienti, dilationes damnosas evitare, fidelitatem servare, nec uti mendaciis nec aliis mediis injustis ad causam vincendam.

Peccat igitur si sua negligentia vel ignorantia culpabili causam perdat, vel si collusionem cum adversario ineat, si causam sine necessitate protrahat, si fidelitatem erga clientem non servet.

II. Non potest advocatus causam injustam sustinere nec criminalem nec civilem, aliter enim injustitiæ erit cooperator et tenebitur ad restitutionem ; et si in decursu actionis causam detegat esse injustam debet ei renunciare; attamen etiam tunc debet secreta sui clientis servare nisi altera pars grave et injustum detrimentum esset passura.

III. Non tamen requiritur ut jus sui clientis sit certum ad ejus causam licite suscipiendam ; sufficit enim si sit probabile, etiam minus probabile, nam

tunc spes haberi potest ut veritas elucescat. Hoc de causis civilibus, quia si agatur de criminalibus erit distinguendum: advocato semper licet defendere reum etiam certe nocentem, quia nemini injuria fit; non licet tamen agere contra reum nisi moraliter certo constat de ejus reatu, aliter enim esset periculum infamandi proximum, et eum injuste vexandi.

IV. Lege nostra advocatus (*barrister*) non potest actionem instituere ad honorarium recuperandum, nec contra eum si officio deest actio clienti conceditur. (Encyclop. of Laws, s.v. Advocate.) Quod tamen non impedit quominus inter advocatum et clientem ineatur contractus qui conscientiam ligat, ita ut licite et juste honorarium accipiat advocatus juxta conditionem personarum, negotiorum, laboris et juxta consuetudinem patriæ; ac ordinarie illud erit justum stipendium de quo libere partes contrahunt.

Remuneratio procuratorum (*solicitors*) lege taxata est, et si stipendium quæsitum videtur clienti excessivum recursum habet ad officialem qui dicitur *Taxing master*, qui quæstionem solvet.

Debent vero advocati esse parati ad auxilium pauperibus in necessitate etiam gratis præstandum, caritas enim aliquando ad id obligat.

V. Advocato in Anglia licet petere in causa matrimoniali et in curia civili divortium semiplenum seu separationem a mensa et toro, si judicio Episcopi justæ separationis causæ adsint. Interroganti enim Episcopo Southwarcensi, 19 Dec. 1860, "Utrum liceat advocati et actoris partes agere (apud tribunal civile), quando finis litis est simplex

separatio, absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa ferente;" S. Officium respondit: "Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit a quo sententiam obtineat separationis quoad torum et mensam, et dummodo sententia hujus tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem prædictam, posse tolerari ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant, et dummodo adsint justæ separationis causæ judicio Episcopi; et si quid habeat præterea dubii, recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones." Gasparri, De matrim. n. 1165.

In causa etiam divortii a vinculo licet advocato id facere in curia civili quod parti cujus interest licet. Hinc licet ei vinculum matrimonii defendere, et si constat prævio judicio ecclesiastico matrimonium esse nullum, sententiam nullitatis in curia civili petere potest. Si constat intentionem partis cujus causam sustinet esse convolandi ad alias nuptias quamvis prius matrimonium sit validum et indissolubile, non licet causam suscipere, cum esset contra jus naturale et divinum. Utrum liceat petere divortium in curia civili intendendo tantum civiles effectus controvertitur inter theologos.

Probabilis videtur sententia id licere in Anglia graves ob causas, ut si pactum quod dicitur *marriage settlement* aliter mutari non possit, vel ad impediendum quominus quis filium adulterinum alere cogatur. Sabetti, n. 561; Kenrick, n. 113; Smith, Marriage Process, n. 44; Ballerini, X. sect. viii. n. 819.

Scholion. Procurator (*solicitor*) sæpe apud nos munera gerit etiam notarii (*notary public*), cujus dotes

et obligationes satis cognoscentur ex ejus muneribus. "The general functions of a notary consist in receiving all acts and contracts which must, or are wished to, be clothed with an authentic form; in conferring on such acts the required authenticity; in establishing their date; in preserving originals or minutes of them, which, when prepared in the style and with the seal of the notary, obtain the name of original acts. . . . The chief business of a notary in England consists in noting and protesting bills of exchange, certifying acts of honour, and in authenticating and certifying copies of documents, and preparing and attesting instruments going abroad. A power of attorney, for example, intended to be acted upon abroad, is usually acknowledged by an attesting witness before a notary, and a "notarial act" is drawn up embodying a copy of the power. Further, English merchants frequently accept a notarial act or certificate, whether that of an English or a foreign notary, as sufficient evidence of something done at a distant place, in cases where it has no legal validity. The notary is thus a sort of international officer." Encyclop. of Laws, s.v. Notary.

CAPUT III.

DE ACTORE, REO ET TESTIBUS.

§ 1. *De Actore.*

Actor (*Plaintiff*) est qui in causa civili contra alterum apud judicem instat. Vocatur accusator (*Prosecutor*) qui in causis criminalibus a reo vindictam ob bonum commune postulat, et obligationem crimen objectum probandi suscipit. Ab accusatore differt *denunciator*, qui crimen defert officialibus publicis, quin onus illud probandi in se suscipiat. Denunciationi simile est quod apud nos vocatur *voluntary indictment*, quo crimen defertur juratoribus majoribus (*grand jury*). Encyclop. of Laws, s.v. Prosecution.

I. Ab accusatione formali in curia ecclesiastica jure canonico repelluntur: Excommunicati, proditores, infames, impuberes, feminæ, filii respectu parentum, laici respectu clericorum, inimici in causa inimici, socii criminis. Lehmkuhl, I. n. 811.

Quilibet lege Anglica etiam privatus regulariter accusator fieri potest.

II. Accusatio vel saltem denunciatio aliquando fieri non debet, aliquando fieri licet, aliquando fieri debet.

1. Fieri non debet quando majora mala inde sequerentur, vel si moralis certitudo criminis non habetur. Certitudo autem perfecta non requiritur

ad denunciandum, dummodo dubia pro certis non affirmentur.

2. Alias fieri potest, si intentio sit recta.

3. Fieri aliquando debet vel ex justitia, ut si quis ex officio ad id obligatur, ut *Director of Public Prosecutions*, aliique officiales; vel ex caritate ad damnum grave impediendum vel reparandum, sive publicum sive privatum; vel ex obedientia superiori aut legibus debita. Sic ex lege ecclesiastica denunciandi sunt hæretici, sollicitantes ad turpia in confessionibus audiendis, participantes in secta damnata. Rei læsæ majestatis vel gravis criminis (*felony*) lege nostra sunt denunciandi ab omnibus qui crimen cognoscunt vel gravibus indiciis suspicantur. Encyclop. of Laws, s.v. Prosecution.

III. Excusatur tamen quis regulariter a denunciatione facienda si esset omnino inutilis, ut si delinquens esset emendatus, vel si jam scientiam sufficientem habeat superior, vel si sub secreto consilii quis rem acceperit, vel si denunciare non posset sine gravi damno proprio, vel non esset satis certus de crimine patrato. Bucceroni, II. n. 62.

§ 2. *De Reo.*

Reus (*Defendant*) est contra quem actio instituitur. Lege nostra in quibusdam causis civilibus, nempe de sponsalibus violatis ac in causis institutis ob adulterium, et in omnibus causis criminalibus, reus non potest quidem compelli ad testimonium dandum, si autem lubet dare potest, et tunc tantum si testimonium dat interrogari de crimine potest.

Lege vero canonica reus a judice interrogatur. Cfr. Instruct. de causis criminal. clericorum, 11 Jun. 1880, nn. xxi, xxv.

Hinc occurrit quæstio utrum vere respondere interroganti teneatur.

I. Reus vere respondere tenetur si legitime, seu juxta leges, interrogetur, secus non; ad id enim tum ex juramento emisso, tum ex obedientia tenetur.

Lege autem canonica reus legitime interrogatur si probatio criminis sit jam semiplena, et hoc ei manifestetur. De præscriptis legis Anglicæ conferatur Encyclopædia of Laws, s.v. Witness.

II. Si ad propriam defensionem utile vel necessarium sit crimen occultum testis revelare, hoc licet, quia non teneor servare proximi secretum cum grave damno proprio; si vero non sit utile nec necessarium, omnino illicitum est; sicut semper etiam est graviter illicitum falsum crimen alteri calumniando apponere ad propriam defensionem, quia mendacium est, et publico et privato bono noxium.

III. Reus non potest licite sese defendere contra eos qui eum arripiunt vel condemnatum interficiunt, sed tenetur sese legitimæ auctoritati et justæ sententiæ submittere.

Licet tamen effugere manus officialium vel e carcere si potest, nam nimis esset durum si compelleretur pœnam sibi ipsi infligere.

Si vero injuste potestas publica innocentem aggreditur, quamvis plerumque præsertim ob scandali et perturbationis periculum debet cedere, tamen absolute præciso periculo perturbationis et

damno majori, potest resistere, nam vim injustam vi repellere omnes leges permittunt. Nec obstat propositio 18 damnata ab Alex. VII.: "Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare;" nam ista propositio merito damnatur utpote nimis generalis, (a) quia defensio propria debet esse cum moderamine inculpatæ tutelæ, cum proportione inter bonum in periculo adductum et vitam proximi ablatam, (b) quia potest appellare.

IV. Si liceat reo effugere e carcere, licet alii, qui officio non prohibeatur, hoc ei consulere; non tamen licet eum adjuvare, quia esset contra bonum publicum, eo quod nullus carcer esset securus.

V. Condemnatus ad mortem non tenetur effugere si possit, licite enim potest velle subire mortem in pœnam criminis, nec sibi ipse mortem infert sed auctoritas publica.

§ 3. *De Testibus.*

Testes in genere sunt personæ idoneæ, quæ ad fidem alicujus rei adstruendam adhibentur.

Varii sunt, ut *Testamentarii* qui in testamento, *Instrumentarii* qui in instrumento conficiendo, *Judiciales* qui in judicio adhibentur. De his hic agitur.

I. Potest adesse obligatio testandi ex caritate et ex obedientia; nam si alicujus testimonium est necessarium ad damnum tertii vel commune evitandum vel ad ejus jus aliquod vindicandum, tunc urget caritas ad testandum; si adest præceptum superioris, tunc urget obedientia.

II. Jurat testis se totam veritatem, quatenus interrogatur, et nil præter veritatem dicturum, ac proinde perjurus est et graviter peccat nisi hoc faciat.

III. Testis legitime interrogatus respondere tenetur ex obedientia et ex juramento emisso.

Non autem legitime interrogatur de secreto sigilli, nec de secreto commisso, nisi ejus obligatio juxta supra tradita tunc cessat, nec nisi judex sit in causa competens, nec nisi juxta leges procedat.

Quædam sunt lege nostra privilegiata de quibus interrogatus testis respondere non tenetur; talia sunt quæ manifestata testem pœnæ alicui subjicerent, adulterium a se commissum, secreta gubernii quorum revelatio bono communi obesset, communicata sibi invicem a conjugibus, secreta clientis ab advocato accepta. Encyclop. of Laws, s.v. Evidence.

IV. Jus civile et canonicum statuunt ordinarie requiri et sufficere ad probationem rei gestæ duos contestes omni exceptione majores, ita ut tamquam axioma admitteretur—"Testis unus testis nullus." Antiquiores quidem theologi his innixi communius tradebant non teneri testem respondere de iis quæ ipse solus novit. S. Alphonsus, IV. n. 267.

Lege autem Anglica unus testis sufficit;[1] unde si unicus tantum testis adest, iste legitime interrogatur, ac proinde respondere debet. Ballerini, IX. n. 97.

[1] "One witness, if credible, is *sufficient* evidence to a jury of any single fact; though undoubtedly the concurrence of two or more corroborates the proof. For our law considers that there are many transactions to which only one person is privy, and therefore does not always demand the testimony of two, as the civil law universally required,—'Unius responsio testis omnino non audiatur.'" Stephen, III. p. 576.

CAPUT IV.

DE MEDICI OBLIGATIONIBUS.

I. Medicus debet habere scientiam suæ artis necessariam et diligentiam quam casus requirit exercere, aliter, quum se exponat periculo grave damnum proximo infligendi, peccat contra caritatem et contra justitiam. Bucceroni, II. n. 89.

II. Tenetur etiam ex justitia ad fidelitatem servandam circa secreta ipsi commissa.

III. Juxta regulas caritatis pauperum in necessitate curam etiam gratis suscipere tenetur.

Resolves: Peccat graviter medicus qui absque sufficienti capacitate gravem morbum curare aggreditur. Peccat etiam graviter si occurrente gravi et insolito morbo, vel speciali contractu interveniente, specialem curam non adhibeat.

IV. Peccat si inutiliter ad salarium augendum visitationes vel medicamenta multiplicat, vel si sine justa causa et cum damno ægroti consultationes aliorum medicorum vel respuit vel e contra admittit.

V. Incerta remedia relictis tutioribus adhibere non licet; si nullum sit tutius et remedium probabiliter profuturum, certo non obfuturum habeatur, adhiberi debet; in casu desperato, quando nihil aliud fieri potest, licet uti remedio probabiliter profuturo cum consensu ægroti, etiamsi probabiliter sit obfuturum; nunquam licet experimenti causa

remedium adhibere cujus effectus ignoratur, illicitum enim est experimentum facere cum discrimine vitæ alterius.

VI. Ex caritate tenetur medicus per se admonere vel ipsum ægrotum vel ejus amicos de statu periculoso ne imparatus decedat. Lehmkuhl, I. n. 993.

VII. Per se medicus non peccat qui tempore pestis curam ægrotorum suscipere nolit, nisi ex contractu ad id tenetur. Bucceroni, II. n. 90.

Sectio II.

DE PARTICULARIBUS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS.

Clerici sicut ceteri Christiani observare tenentur communia Dei et Ecclesiæ præcepta, attamen præter obligationes quæ inde oriuntur, quædam speciales ipsis vi status incumbunt. De his nunc est agendum.

Sunt autem vel positivæ vel negativæ; de positivis primo est tractandum.

CAPUT I.

DE POSITIVIS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS.

Articulus I.

DE VITÆ SANCTITATE.

I. Clerici vi status ad specialem sanctitatem tum internam tum externam tenentur; interna sanctitas consistit in gratia sanctificante seu carentia peccati, externa in exercitio virtutum.

Constat ex Sacra Scriptura, Levit. xxi. 6, 8; Is. lii. 11; ex Conciliis tum œcumenicis tum provincialibus, Trid. xxii. c. 1, de Ref.; Westmonast. I. d. 24; IV. d. 12; denique ex ipsa excellentia status et officii. Cf. De Imitat. Christi. IV. c. 11, n. 6.

II. Ad quam sanctitatem acquirendam et conservandam præclara media clericis suppeditantur, ac inter cetera spiritualia exercitia. West. I. d. 24, n. 7.

Articulus II.

DE CŒLIBATU CLERICORUM.

I. Usu et consuetudine primorum seculorum introducta lex postea lata est ab Ecclesia quæ sub pœna nullitatis prohibuit quominus clerici in sacris matrimonium in Ecclesia Latina contraherent. Conc. Lat. II. c. 7; Lehmkuhl, II. n. 618.

II. Communius et probabilius docetur hanc obligationem oriri proxime ex voto solemni castitatis, et remote ex præcepto ecclesiastico, quatenus Ecclesia præcepto suo adnexuit sacris ordinibus votum solemne castitatis, ita ut quicumque illos recipiat implicite etiam voveat castitatem illis adnexam. Sive tamen hoc dicamus sive probabilem sententiam aliorum amplectamur, quæ dicit clericos teneri ad cœlibatum sola lege ecclesiastica, practice parum refert; constat enim peccata in sacris ordinatorum contra castitatem esse sacrilega. S. Alphonsus, VI. n. 808.

Resolves: Qui invincibiliter ignorans votum castitatis esse sacro ordini adnexum ordinaretur, probabiliter non teneretur ad castitatem servandam. Ordinatus qui expresse nollet votum suscipere adhuc teneretur ad castitatem servandam ex præcepto ecclesiastico. Ordinatus ex gravi et injusto metu posset valide matrimonium inire, non autem posset in ordine ministrare, constante matrimonio. Ordinato ante usum rationis, annum decimum sextum adepto, daretur optio castitatem servandi, et sub hac

conditione in ordine ministrandi, secus non. Ben. XIV. *Eo quamvis tempore*, 4 Maii, 1745; S. Alphonsus, VI. n. 809.

Articulus III.

DE GESTIONE HABITUS ET TONSURÆ.

Jure communi clerici in sacris et beneficiati tenentur vestem clericalem et tonsuram gerere. Ulteriorem autem legis determinationem Trid. xiv. c. 6, *de Ref.* reliquit ordinationi et mandato Episcoporum. Hinc videndum est quid lege provinciali vel diœcesana statuatur.

I. Sequentia sunt statuta West. IV. d. 11, nn. 12, 13, 14:—"Ecclesiasticorum virorum vestes tales esse debent, quæ a laicis eos omnino discernant, et tamen cum ministris heterodoxis non confundant. Sint ergo nigri vel subnigri coloris; neque sub itineris prætextu ad ignominiam sæcularis habitus, a quo erepti fuerunt, clerici revertantur. Formam illam commendamus, quæ paucis abhinc annis a clero sæculari adhiberi cœpit. Domi vero habitum talarem, vel, si magis placet, eum, qui *zimarra* appellatur, cum bireto, induere eos maxime decet.

Sed cum peculiare insigne cleri Catholici per totum fere orbem sit collare, quod Romanum vulgo dicitur, cumque jam inter nos etiam a protestantibus pro tali dignoscatur, quin contumeliam aut injuriam provocet, volumus ut ab omnibus sacerdotibus sacrum ministerium exercentibus feratur; nisi forsan ad tempus arbitrio Episcoporum, attento rerum statu, aliter statuatur. Et pro augendo cultus

divini decore, necnon pro majori in sacris officiis uniformitate, præcipimus ut sacerdotes sæculares, et regulares qui proprium ordinis habitum non gerunt, quotiescumque publice Missam celebrant, verbum Dei prædicant, vel aliter, vestibus sacris induti, officia in ecclesia peragunt, vel iis assistunt, eodem collari induti conspiciantur, ita ut camisia circa collum nullatenus appareat. I. Conc. West. d. xxiv. nn. 5, 6.

Hisce decretis hæc Quarta Synodus quædam addenda expedire in Domino judicat. Præcipimus ergo ut quilibet sacerdos collare Romanum non solum quum ministerium sacrum exercet, sed semper ferat, ut tamquam sacerdos ab omnibus dignoscatur. Decernimus insuper omnino servandum esse a viris ecclesiasticis morem Romæ usitatum, non nutriendi capillos nec in genis nec in mento.

Et si quis sacerdos vestimenta clericalia ita immutata habeat, nisi in casu rarissimo ab Ordinario probando, ut non amplius ceu clero hujus provinciæ adscriptus ab omnibus agnosci possit, et ut vel in suspicionem fidelibus cadat vel eis notorie scandalum præbeat, neque ad Missam celebrandam neque in sanctuario ad divinis officiis assistendum admittatur."

Præcipit ergo Concilium: 1. Collare Romanum semper deferendum.

2. Capillos non nutriendos nec in genis nec in mento.

3. Vestes nigri vel subnigri coloris gerendas: et addit maxime decere domi induere vestem talarem. Cf. Zitelli, Apparat. jur. eccles. p. 191.

II. Hæ leges obligant sub gravi, a quibus tamen utpote positivis gravis causa excusat, ut, imminens persecutio et transitus per loca infidelium cum periculo gravis injuriæ. Lehmkuhl, II. n. 610.

III. Admittunt etiam parvitatem materiæ; si ex mera negligentia non observantur tempus notabile requiritur ad grave peccatum, quale non sunt quatuor vel quinque dies, ait Lacroix; si ex contemptu, pravo fine, cum scandalo non observantur breve tempus sufficit ad mortaliter peccandum. Ad grave peccatum propter violationem legis de tonsura plerique integrum annum requirunt.

Articulus IV.

DE OBLIGATIONE RECITANDI HORAS CANONICAS.

§ 1. *Quanta sit obligatio.*

I. Ad Horas Canonicas seu ad Breviarium recitandum tenentur:—

1. Clerici omnes in sacris constituti, etiam suspensi et excommunicati.

Saltem ex consuetudine quæ vim habet legis tenentur, nam loci juris a theologis sæpe ad obligationem probandam citati agunt potius de publica officii recitatione, vel de presbyteris beneficiatis. Ballerini, IX. n. 149.

Ait Ben. XIV. C. *Eo quamvis tempore*, 4 Maii, 1745: "In Ecclesia Occidentali imposita est Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum ecclesiasticum beneficium fuerint

assecuti. Cohæret enim ordini sacro diurnum pensum Horarum canonicarum; illudque veteri traditione acceptum et immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior theologorum opinio."

2. Beneficiati omnes. Conc. Lat. V.; C.S. Pii V. *Ex proximo*, 20 Sept. 1571.

3. Religiosi omnes utriusque sexus in ordine ab Ecclesia approbato professi, et ad chorum destinati. Distinguenda tamen est obligatio communis ut chorus habeatur in monasterio, et obligatio singulorum ut intersint choro et officium recitent. Adest obligatio communis ex regula, consuetudine, et ex Clementina *Gravi, De celebrat. Missar.*, quæ urget præsertim prælatos ut provideant, et quidem sub gravi. Obligatio altera ut choro intersint singuli est levis, a qua mediocris causa excusat: solemniter professi si choro non adfuerint tenentur privatim supplere et sub gravi; non solemniter professi, nec in sacris ordinati, non tenentur supplere quamvis adesse debent. S. Cong. super Statu Reg. 6 Aug. 1858; Ballerini, IX. n. 155.

Ordines votorum simplicium non tenentur nisi vi regulæ. Clericus in minoribus ad Horas recitandas non tenetur, sed incipit obligatio ab hora subdiaconatus suscepti; ante horam nonam ordinatus debet incipere a Prima illius diei; et probabiliter potest talis anticipare quia certo moraliter onus est contrahendum. S. Alphonsus, IV. n. 140.

II. Quando recitatur Officium cum alio vel cum aliis, in choro vel extra, debent alternis vicibus recitare psalmos, hymnos, versiculos, et audire ea

quæ a socio dicuntur; sufficit quoque audire lectiones, capitula, antiphonas; et si per te non stet quominus audias quæ a socio dicuntur, probabile est te nihilominus satisfacere. S. Alphonsus, IV. nn. 162, 163.

III. Si religiosi non constituti in sacris ex licentia perpetuo degant extra monasterium disputatur utrum teneantur ad Officium; probabiliter non tenentur; melius dicitur profugos teneri; ejectos non teneri. S. Alphonsus, IV. n. 142.

IV. Obligatio divini Officii recitandi est gravis ut omnes dicunt, quia materia præcepti est gravis, et præceptum ad virtutem excellentissimam religionis pertinet; admittit tamen parvitatem materiæ, ita ut requiratur omissio notabilis quantitatis ad mortale peccatum, quæ esset juxta Doctores talis qualis æquivalet horæ parvæ, et in tali quæstione Doctores approbati interpretantur nobis sensum quo suam legem tulit Ecclesia. Ballerini, IX. n. 186.

V. Beneficiarius qui omittit recitationem officii non tantum mortaliter peccat, sed ex lege ecclesiastica non facit fructus suos, ac propterea ex justitia eos restituere tenetur vel fabricæ ecclesiæ vel piis causis, eos saltem qui oneri officii omissi respondent. Quæstiones vero de beneficiariis vix sunt practicæ in hac regione.

VI. In dubio utrum recitaveris Breviarium vel ejus partem, si dubium sit negativum adhuc teneris, si positivum non teneris. Ita S. Alphonsus, IV. n. 150 cum communissima sententia ut fatetur, qui tamen nitens principio possessionis postea mutavit suam sententiam. Ad conscientiam in casu effor-

mandam potes etiam uti præsumptione, ut si tali hora soleas recitare, in dubio potes præsumere etiam hac vice te recitasse.

§ 2. *Quonam Ritu sit Recitandum.*

I. Qui tenentur ad Horas canonicas non satisfaciunt si alio Breviario ac Romano utantur, ut exempli gratia Breviario Sarisburiensi; excipiuntur religiosi qui proprium Ordinis habent, Ecclesia Mediolanensis, Capellæ Toletanæ, ac ecclesiæ quæ peculiare habuerunt ducentis annis ante institutionem Breviarii per S. Pium V.

Castro-Palaus (tr. vii. disp. ii. pt. 2, n. 14), cum Bellarmino, Suarez, Sa, Bonacina dicit esse probabile obligationi satisfieri recitando alia lingua præter latinam. Tamburini hoc admittit pro hebraica et græca, quod tamen putat Ballerini paucis forte probari; lingua vulgari non licet Officium recitare, non enim est lingua liturgica. Ballerini, IX. n. 226.

II. Concesso proprio diœcesi vel religioni diœcesani et religiosi uti tenentur, quia est privilegium communitati concessum.

III. In Breviario occurrunt rubricæ de Officio Defunctorum, de Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis, de Psalmis Gradualibus recitandis, quarum tamen obligatio auferebatur a S. Pio V. Const. *Quod a nobis.*

Officium autem Defunctorum est de obligatione die Commemorationis omnium Defunctorum ex consuetudine, et etiam Litaniæ Sanctorum festo S. Marci et diebus Rogationum. Ballerini, IX. n, 217.

§ 3. *Quonam Ordine sit Recitandum.*

Ordo recitandi horas est duplex : 1. Ordo officiorum, qui describitur in Kalendario. 2. Ordo horarum inter se.

I. Debet autem qui recitat sequi Kalendarium diœcesis in qua domicilium habet, quamvis Kalendarium errare videatur, nisi error sit evidens contra Rubricas vel Decreta. S.R.C. 27 Aug. 1836.

Regulares vero sequi debent Kalendarium Ordinis sui.

Sacerdotes seculares itinerantes si brevi sint redituri ordinarie proprium Kalendarium sequi debent.

Regulares in itinere sequi debent Kalendarium domus unde discesserunt; quando autem ad aliam domum sui ordinis pervenerunt ad chorum destinati hujus domus Kalendario sese conformare debent, ad chorum non destinati idem facere possunt sed teneri non videntur. De Herdt, II. n. 228.

II. Ordo officiorum non obligat sub gravi; si quis igitur consulto aliud officium substituat satisfacit nisi substitutum officium sit notabiliter brevius; peccat vero venialiter nisi ex justa causa fiat, ut si cum socio qui aliud officium habet recitare velit. Prop. 34 damnata ab Alex. VII.

Si inconsulto aliud officium fuerit substitutum, non teneris omissum recitare, sed si notabiliter brevius fuerit debes supplere quod plus erat in proprio. Bucceroni, II. n. 133.

III. Ordo horarum inter se est quidem servan-

dus, attamen nonnisi sub veniali, a quo aliqua causa rationabilis excusat, veluti si inviteris ab alio ad recitandum quin deveneris ad horam quam ille vult recitare, si non habes prompte lectiones sed tantum psalmos, vel non matutinum sed horas diurnas. S. Alphonsus, IV. n. 170.

IV. Non constat esse peccatum ne veniale quidem si quis recitet matutinum diei sequentis antequam persolverit officium hujus diei; nam officium hujus diei ordinem cum officio alterius habere non videtur.

§ 4. *Quali Pronunciatione sit Recitandum.*

I. Recitatio officii debet esse vocalis, integra, continuata.

1. *Vocalis,* quia oratio vocalis non mentalis præcipitur. Hinc non sufficit mente vel oculis tantum percurrere officium, nec verba gutture et intra dentes tantum efformare, sed requiritur "vocem formare labia movendo," quamvis non sit necessarium ut quis etiam a se ipso audiatur. Ballerini, IX. n. 228.

2. *Integra,* nihil quod pertinet ad officium omittendo, vel lingua titubante abbreviando.

3. *Continuata,* ita ut non fiat interruptio intra eamdem horam sine causa.

Veniale erit si sine ulla causa interruptio fiat; quælibet tamen utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incommodo differri non possit, excusat, ut, ratio urbanitatis vel caritatis, si velis aliquid agere vel notare ut tollas distractionem sive sollicitudinem.

II. Dicitur *interruptio inter eamdem horam;* possunt enim sine ulla causa separari Matutinum et Laudes, et tunc, declaravit S.R.C. 18 Maii, 1883, 7 Feb. 1886, addendam esse orationem diei cum *Dominus vobiscum, Fidelium,* et *Pater.*

III. Sine causa etiam separari possunt Nocturni, quamvis intervallum non debet esse nimium, ut tota nox, sine justa causa. Attamen dummodo quis officium recitet intra diem naturalem vel ecclesiasticum semper excusatur a mortali, et quocumque tempore fit intra tempus istud non excedit veniale a quo rationabilis causa, ut fatigatio, excusat. Bucceroni, II. n. 143.

IV. Ubicumque fit interruptio, nunquam erit necessarium repetere jam recitata dummodo sensus fuerit completus, sed potest recitans pergere ubi desiit, etiamsi desiit in medio Psalmo. S. Alphonsus, IV. n. 168.

§ 5. *Quo tempore sit recitandum.*

I. Quoad tempus horas recitandi, ut dictum est, dummodo intra diem quis eas recitet, semper quoad substantiam præcepto satisfacit, est scilicet onus diei. Tempora assignata non obligant nisi sub veniali.

Sub veniali igitur Matutinum et Laudes recitari debent ante Missam ex rubrica Missalis: *De præparatione sacerdotis celebraturi.* Horæ possunt recitari a media nocte; prima et tertia ante meridiem recitari debent, sexta et nona possunt, non tamen necessario debent. Vesperæ et Completorium pos-

sunt recitari a meridie, nec debent ante meridiem, exceptis Vesperis intra Quadragesimam a prima Dominica.

II. Matutinum et Laudes ex privilegio possunt anticipari, tempus est igitur determinandum quo incipere liceat. Juxta omnes licet incipere quando sol medium cursum inter meridiem et occasum tenet, tunc vesperæ et dies ecclesiasticus incipiunt. Privilegium communissime conceditur anticipandi ab hora secunda post meridiem. Plures tamen et graves Doctores affirmant hodie ex praxi et consuetudine non opus esse privilegio ut quis licite anticipet ab hora secunda, et si privilegium adhuc concedatur, ad cautelam et ad scrupulos cavendos concedi; cui sententiæ tuto quis se conformare potest. Bucceroni, II. n. 153.

III. Juxta communem sententiam tempus intra quod Officium est recitandum est a media nocte ad mediam noctem, et privilegium solum dat ut Matutinum et Laudes anticipari possint; hinc quatenus nemo uti privilegio tenetur, si quis prævideat se fore occupatum tota die Dominica ita ut Officium recitare non possit, ille non tenetur anticipare Matutinum et Laudes, sed a toto Officio excusatur.

Aliqui tamen aliam sententiam ut probabilem defendunt, juxta quam Matutinum et Laudes sunt Officium Nocturnum sicut ceteræ Horæ sunt Officium diurnum. Tempus autem proprium pro Officio Nocturno est nox, hinc sequeretur ex hac sententia si quis prævideret se fore postridie ita occupatum ut non haberet opportunum tempus ad

Officium recitandum eum teneri ad anticipandum Matutinum et Laudes pridie saltem a nocte incœpta si commode posset. Quæ sententia historice videtur probabilis, obligationem tamen imponere non valet. Ballerini, IX. n. 247 nota.

§ 6. *Quo Loco et Situ sit recitandum.*

In recitatione privata nihil obligatorium est quoad locum vel situm, sed in omni loco, etiam indecenti, dummodo attentio non impediatur, et quocumque situ qui non sit contra debitam reverentiam, potest quis Officium recitare.

Rubricæ Breviarii de orationibus recitandis flexis genibus et similes, intelliguntur de Officio in Choro recitato.

§ 7. *De Intentione et Attentione requisita.*

Intentio, quæ est voluntas aliquid faciendi, scilicet hic recitandi Breviarium, requiritur, quia aliter recitatio non esset actus humanus, qui necessarius est ad legem implendam. Intentio autem virtualis ex qua opus procedit sufficit, nec requiritur actualis explicita. S. Alphonsus, IV. n. 176.

Attentio autem est vel *externa* vel *interna*. Externa est qua quis abstinet ab omni actione incompossibili cum attentione interna, ut scribere, attente audire alios loquentes. Interna est qua quis mente advertit ad id quod facit. Est autem triplex, vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum et divina. S. Alphonsus, IV. n. 176.

I. Certum est attentionem internam quamlibet, etiam ad verba tantum, qua quis attendit ad illa recte proferenda, ea non mutilando, nec transponendo, sufficere. "Quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio," ait S. Thomas, IV. dist. 15, q. 4, a. 2, q. 5, sol. 5.

II. Controvertitur inter Doctores utrum requiratur attentio interna. Juxta S. Alphonsum communior et probabilior sententia affirmat, quia oratio est elevatio mentis ad Deum, quæ haberi non potest sine attentione interna.

Sententia autem certe probabilis quam plures et graves auctores defendunt negat requiri, sed affirmat sufficere attentionem externam. Data enim intentione et attentione externa in Breviario recitando adest oratio, ut patet ex eo quod Extrema Unctio administretur per orationem, ad cujus tamen validitatem non requiratur attentio interna. Et S. Thomas, IV. dist. 15, q. 4, a. 2, q. 4, ad 3, docet haberi elevationem mentis ad Deum per intentionem virtualiter permanentem. Lugo, De Euch. XXII. n. 25; S. Alphonsus, IV. n. 177.

§ 8. *De Causis a recitando Officio excusantibus.*

I. Excusant a Breviario recitando impossibilitas; caritas; dispensatio.

1. Impossibilitas sive physica sive moralis, seu gravis difficultas; hinc excusatur qui non habet Breviarium, qui nimis est fatigatus, qui morbo laborat, qui prudenter timet ne gravedo notabilis

capitis ex recitatione sequeretur, qui nimis est cæcus.

2. Caritas erga proximum, seu gravis occupatio quæ sine notabili detrimento proximi omitti nequit; hinc excusatur qui tota fere die occupatur in confessionibus audiendis et in prædicando; qui in infirmis adjuvandis similiter occupatur; qui concionem sine scandalo aut famæ detrimento omittere non potest, nec tamen eam præparandi suppeteret tempus, si recitandum esset officium.

3. Dispensatio legitime data a superiore.

Summus quidem Pontifex dispensare valet pro tota Ecclesia, et cum agatur de lege ecclesiastica, valide quidem sine causa, licite ob justam causam, ut ob nimiam occupationem, ad scrupulos sedandos.

Episcopus valide et licite dispensat tantum ob causam rationabilem, cum suis subditis, in casibus particularibus. Similiter Prælati regulares cum suis in casibus particularibus. Quid facere possint Regulares potestate delegata ex privilegiis ipsis concessis est colligendum.

Missionariis sæpe conceditur facultas recitandi quindecim decades Rosarii, si ob aliquod legitimum impedimentum, Divinum Officium recitare non valeant.

II. Qui potest partem recitare quæ saltem æquivalet parvæ horæ ad hanc tenetur, quamvis non possit totum recitare, quia obligatio cadit in totum et in singulas partes, cum materia sit divisibilis et dividi soleat; qui potest Psalmos recitare sed non lectiones, juxta aliquos probabiliter excusa-

tur, quia deest forma ab Ecclesia præscripta: qui dubitat utrum valeat etiam partem recitare excusatur. Bucceroni, II. n. 171.

III. Quatenus tenetur quis media ordinaria adhibere ad legem implendam, et socium adhibere est medium ordinarium, ad illud tenetur qui aliter non posset obligationi satisfacere, potest vero illud adhibendo.

CAPUT II.

DE NEGATIVIS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS.

Articulus I.

DE GESTATIONE ARMORUM ET DE VENATIONE.

I. Clericis prohibetur jure ecclesiastico gestatio armorum; "Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur." C. 2, *De Vita et honestate clericorum.*

Nomine autem clericorum hic, quatenus agitur de favorabilibus quæ conducunt ad decorem status clericorum, intelliguntur clerici tum superiores tum inferiores et religiosi.

Ratio legis est quia clerici debent præ se ferre mansuetudinem et humilitatem Christi Domini.

II. Ex justa vero causa licet clericis arma portare, ut si per loca periculosa sint transituri, ad se contra latrones defendendos. Imo ob necessariam defensionem propriæ vitæ vel patriæ vel boni communis licet clericis mutilare, occidere et bellum gerere vel exercitus ducere, quod aliquando potest esse obligatorium, nec ob alterius occisionem incurrunt irregularitatem, nisi fuerit occisio culpabilis. Lugo, Resp. Mor. V. d. 14; Molina, tr. ii. d. 108, n. 8.

III. Clericis etiam prohibetur jure ecclesiastico venatio clamorosa, seu quæ equo et canibus fit.

CC. 1, 2, *De clerico venatore;* Conc. West. IV. d. 11, n. 9.

Venatio quieta non est illicita per se, et ad grave peccatum venationes clamorosæ debent fieri frequentius. S. Alphonsus, III. n. 606.

Articulus II.

DE ILLICITIS LUDIS, CHOREIS, SPECTACULIS.

I. Clericis in sacris et beneficiatis abstinendum est ab illicitis ludis. Trid. xxii. c. 1, de Ref.; Conc. West. IV. d. 11, n. 9.

Illiciti autem ludi sunt ludi puræ sortis, in quibus ludentis industria et sollertia ad eventum nil conferunt. Imo hodie ex consuetudine intelligenda est prohibitio de lusu publico cum scandalo, qui clericis in sacris sub gravi prohibetur. Si privatim, sine scandalo et neglectu ministerii luditur non peccant sacerdotes, imo nec religiosi. Bucceroni, II. n. 177.

II. Illicitum est clericis interesse choreis tum publicis tum privatis. Trid. xxii. c. 1, de Ref.; Conc. West. IV. d. 11, n. 9; Ben. XIV. De Syn. lb. xi. c. 10, n. 11.

Ratio est, quia dedecori esset statui clericali, aliis scandalo, et ipsis clericis lapsus periculo.

III. Publicis scenicis aliisque spectaculis viro ecclesiastico indignis interesse clericis similiter prohibetur. (Ben. XIV. De Syn. lb. xi. c. 10, n. 11; Conc. West. IV. d. 11, n. 9.) Quo decreto sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibentur

ecclesiastici sacris ordinibus initiati, quominus scenicis spectaculis in publicis theatris, vel in locis theatri publici usui ad tempus inservientibus intersint.

Non autem illicitum est clericis interesse honestis ludis scenicis qui privatim, nec iis qui a pueris et puellis aguntur sæpe in hac regione; sic enim legem interpretatur consuetudo.

Articulus III.

DE COHABITATIONE CUM MULIERIBUS.

I. Prohibetur clericis habitatio sub eodem tecto et familiaritas cum mulieribus quibuscumque de incontinentia suspectis. (C. 9, *De cohabit. cler.;* Trid. XXV. c. 14, de Ref.) Hinc jure communi non prohibetur cohabitatio cum omnibus mulieribus, sed cum iis quæ de incontinentia suspicari possint. Tales esse non præsumuntur consanguineæ in primo et secundo gradu, nec regulariter mulieres provectæ ætatis quales censentur quadragenariæ.

Aliquid tamen severius statui videtur Conc. West. IV. d. 11, n. 3: "Fœminæ in domo sacerdotis ne resideant sine consensu Ordinarii. Magistræ etiam scholarum earumque discipulæ coadjutrices, quippe quæ et intelligentia et indole excultiores sint, ideoque calumniatorum linguis magis obnoxiæ, omnino prohibeantur ne in presbyterio una cum clero usquam resideant, nisi ob aliquam rationem Episcopo cognitam et ab eo in scriptis approbatam. Famulæ autem quæ presbyteris serviunt sint pro-

vectioris ætatis, modestia, prudentia vitæque illibatæ experimento probatæ, ut canonum sanctiones serventur. . . . Insuper clero prohibemus ne scholarum magistras, vel earum discipulas coadjutrices, vel fœminas domui inservientes secum ad mensam considere sinant."

Quæ tamen ita intelligenda videntur ut reservetur potestas Episcopis judicandi de idoneitate mulieris quæ admittatur ad residendum cum sacerdotibus, non tamen ut talis residentia omnino prohibeatur, quæ utpote concessa jure communi ab Episcopis absolute prohiberi non posset. (Ben. XIV. De Syn. XI. c. 4. n. 7; Craisson, n. 2099.) Hæc de sacerdotibus secularibus, regulares enim speciali legi clausuræ subjiciuntur.

Articulus IV.

DE NEGOTIATIONE CLERICIS INTERDICTA.

I. Clericis in sacris et religiosis omnibus negotiatio proprie dicta prohibetur. "Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur." C. 6, *Ne clerici.* Cfr. Conc. West. I. d. 24, n. 9.

Non tantum jure positivo negotiatio clericis prohibetur, sed aliquatenus etiam jure naturali, quatenus clericum dedecet, nam—*Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus* (2 Tim. ii. 4)—aut a suo ministerio eos avocat, aut scandalum aliis præbet.

II. Negotiari vero est aliquid emere ut non mutatum carius vendatur. (S. Thomas, II-II. q. 77, a. 4; Lugo, XXVI. n. 21.) Ad negotiationem igitur prohibitam necesse est ut quod vendis 1. Emeris; 2. Revenditurus; 3. Carius; 4. Non mutatum.

Resolves: Defectu primæ conditionis non negotiatur clericus qui fructus prædii proprii vendit; defectu alterius qui vendit superfluum eorum quæ in usum suum emerat; defectu tertiæ qui vendit eodem pretio amicis vel pauperibus; defectu quartæ qui vendit picturas a se pictas emptis coloribus.

Si tamen res empta mutata sit industria aliena, vel conductis operariis, vel animalia vendantur conductis agris saginata speciem quamdam negotiationis habet et prohibetur. D'Annibale, III. n. 155.

III. Illicitum est non tantum per se negotiari, sed etiam per alium, vel per socium. Ben. XIV. C. *Apostolicæ Servitutis;* De Syn. X. c. 6, n. 5.

Quod si clerico ex successione aliquod negotium devenerit quod sine damno statim dimitti nequit, licentia Ordinarii ei opus est ut interim licite illud exercere valeat.

IV. Leges ecclesiasticæ quæ negotiationem prohibent sub gravi obligant, admittunt tamen parvitatem materiæ; non esset grave juxta plures semel vel iterum etiam in magna quantitate negotiari, et a fortiori in parva. S. Alphonsus, III. n. 831.

Excusat a culpa necessitas se suosve alendi; si statui tantum necessaria sit negotiatio, licentia

S. Sedis vel Ordinarii requiritur. D'Annibale, III. n. 156.

V. De actionibus (*shares*) et obligationibus (*bonds*), quædam sunt certa quædam autem dubia.

1. Certum est illicitum esse in iis negotiari vilius emendo ut carius vendantur.

2. Licet emere obligationes, nihil enim aliud est quam emere jus ad censum aliquem statutis temporibus recipiendum.

3. De actionibus societatum industrialium vel commercialium habendis variæ sunt sententiæ theologorum; quidam absolute negant esse licitum clericis eas habere; quidam clericis permittunt actiones in societatibus industrialibus non autem in commercialibus; quidam utrasque permittunt dummodo clerici partem activam in negotiis societatis gerendis non sumant; quidam a quæstione definienda abstinent. Ballerini, IX. n. 314; Sanguineti, Instit. jur. can. p. 157.

Articulus V.

DE ALIIS QUIBUSDAM CLERICIS PROHIBITIS.

I. Clericis in sacris et beneficiatis prohibitum est jure canonico officia gerere tutoris, curatoris, aut procuratoris minorum (nisi sint personæ miserabiles vel proximi eorum propinqui), aut alia munera exercere ubi tenentur ad rationes de justitia reddendas. S. Alphonsus, III. n. 838; Conc. West. IV. d. 10, n. 12.

II. Omnibus clericis prohibentur occupationes

quæ statui clericali dedecori sunt, ut macellariorum, tabernariorum, joculatorum. S. Alphonsus, IV. n. 189.

III. Clericis in sacris et monachis prohibetur etiam artem medicorum, sine licentia S. Sedis, vel chirurgorum exercere ubi opus est incisione, amputatione vel adustione, quia opponitur lenitati clericis convenienti. Si vero adsit necessitas, sine culpa ac proinde sine irregularitate, quæ alias incurritur ob defectum lenitatis, clerico incisionem vel adustionem agere licebit. S. Alphonsus, IV. n. 189; Collect. S.C. de P.F. nn. 331, 334, 337.

CAPUT III.

DE BENEFICIIS.

Beneficium definitur—Jus perpetuum competens clerico legitime instituto percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter officium spirituale, auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum.

Dicitur *Jus perpetuum*, quæ perpetuitas est duplex; prima respicit ipsum beneficium quod semel rite institutum perpetuo manet, altera eum qui possidet beneficium, quia absque causa canonica removeri beneficiarius nequit.

Legitime instituto, nempe per electionem, vel per præsentationem, vel per collationem.

Fructus, non ipsa bona quorum beneficiarius est tantum administrator et usufructuarius; fit autem dominus fructuum cum onere superflua in pauperes erogandi.

Officium spirituale, ac proin beneficium est quid spirituale, nec potest laicis competere.

Auctoritate Ecclesiæ, scilicet Episcopi ordinarie et pro beneficiis minoribus, cujus decreto beneficium primo erigitur, ac postea confertur idoneo clerico; in utroque enim intercedit Ecclesiæ auctoritas. Ballerini, IX. n. 29.

Hinc in Anglia dari non videntur beneficia secularia, quia non sunt bona ecclesiastica perpetuo assignata auctoritate legitima ad beneficiarium

sustentandum propter officium spirituale, vel si sint talia bona eorum possessores amoveri possunt ob plures causas quæ non sufficiunt ut amoveatur beneficiarius, nec canonice instituuntur, et delegatam tantum potestatem exercent, denique non dantur erectionis decreta. Cf. Supplic. Episcoporum de Commem. S. Georgii, apud Conc. West. p. 203; Pützer, Comment. in Fac. Apost. n. 113.

Quæstiones igitur quæ de beneficiis et beneficiariis tractantur, vix apud nos sunt practicæ.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM IN SPECIE.

Articulus I.

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM.

Episcopus est Prælatus ecclesiasticus, sacerdotii plenitudine auctus, adeoque habilis ad ea omnia exercenda quæ ad regimen populi Christiani sibi commissi sunt necessaria. Alii vocantur Ordinarii, seu Diœcesani, qui clerum et populum habent, alii Titulares qui utroque carent.

I. Episcopi vi status, qui est status perfectionis exercendæ, ad eximiam vitæ sanctitatem tenentur. Conc. West. IV. d. 7.

II. Episcopi ad residentiam jure divino tenentur juxta S. Alphonsum et plerosque alios; saltem obligatio residendi remote et quoad substantiam est de jure divino, quia modus jure divino non determinatur. Trid. xxiii. c. 1, *De Ref.*; S. Alphonsus, IV. n. 121.

III. Ipso Tridentini decreto quædam causæ absentiæ legitimæ admittuntur, nempe Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens ecclesiæ aut reipublicæ utilitas.

Debet tamen accedere prævia licentia, in regionibus S.C. de P.F. subjectis, ipsius sacræ Congregationis ut dictæ causæ absentiam Episcopi legitiment. S.C. de P.F. 24 Aprilis, 1861.

Præterea tamen ex æqua causa et absque ullo gregis detrimento possunt Episcopi abesse per duos vel ad summum per tres menses; æqua tamen causa non est animi levitas, vel oblectationum cupiditas; quidam admittunt æquam esse causam relaxandi animum, consanguineos aut amicos invisendi; res conscientiæ Episcoporum remittenda videtur. Non vero licet conjungere tres menses unius anni cum tribus alterius vel cum absentia ex alia causa. Craisson, n. 890.

IV. Episcopi tenentur statutis temporibus visitare totam suam diœcesim, ut sanam orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducant, ut bonos mores tueantur, pravos corrigant, populum ad religionem, pacem, innocentiamque accendant. Trid. xxiv. c. 3, *De Ref.*

Visitatio autem Ecclesiarum quæ Regularibus sunt commissæ peragenda est juxta Constitutiones Summorum Pontificum præsertim Ben. XIV. *Firmandis*, et Leon. XIII. *Romanos Pontifices*, in iis locis ubi hæc obligat.

V. Est Episcoporum invigilare vitæ et honestati clericorum, seminarium quoque diœcesanum erigere ad clericos educandos, vel si ecclesiæ sint pauperes possunt plures conjunctim unum habere seminarium. Trid. xxiii. c. 18, *De Ref.*

VI. Habent etiam doctrinæ specialem curam, unde ita invigilant institutionibus publicis et privatis non exemptis et impressioni librorum, ut nihil contra fidem et bonos mores tradatur. Pravos autem libros damnare possunt non tantum auctoritate propria, sed etiam tamquam S. Sedis delegati.

Litt. S.C. Ind. 24 Aug. 1864; C. Leon. XIII. *Officiorum ac Munerum*, § 29.

VII. Specialiter tenentur prædicare verbum Dei saltem per alios, et aliquando etiam per se; Missam pro populo celebrare utpote veri pastores; singulis annis synodum diœcesanam celebrare et statis temporibus (in Anglia singulis quadrienniis), limina Apostolorum visitare ad rationem suæ diœcesis reddendam. Conc. West. IV. d. 10, n. 9.

VIII. Episcopus generaliter tenetur Vicarium Generalem constituere ad jurisdictionem Episcopalem exercendam vice Episcopi, ita ut ejus actus ab Episcopo gesti censeantur. Santi, I. tit. 28, n. 19. Cfr. Conc. West. I. d. 14.

Articulus II.

DE CANONICIS.

Canonici constituunt generale consilium seu senatum Episcopi, cujus sunt in administranda diœcesi adjutores præcipui, et variis obligationibus adstringuntur.

Tenentur enim residere et officium in choro canere in ecclesia cathedrali vel collegiata cui inserviunt, tenentur etiam missam conventualem per turnum celebrare, sede vacante diœcesim administrare per Vicarium Capitularem intra octo dies ab obitu Episcopi eligendum. Trid. xxiv. c. 12, *De Ref.*

In hac regione quum nullæ sint præbendæ quibus canonici sustententur variæ dantur dispensa-

tiones. Eximuntur enim ab obligatione residentiæ, et sacra officia canendi in cathedrali; juxta tamen statuta capitularia singulis mensibus die ab Episcopo statuto choro interesse et sessioni capitulari assistere tenentur, a qua obligatione Episcopi singulos non tamen omnes facultate a Sancta Sede accepta dispensare valent. Conc. West. I. d. 11; IV. d. 8.

Præscribitur ne Episcopus quædam negotia majoris momenti gerat absque consilio, imo aliquando ex jure communi, absque consensu capituli. Sic in hac regione Capituli consilium est quærendum circa dismembrationem missionis. Conc. West. I. d. 13, n. 5; Const. Leon. XIII. *Romanos Pontifices.*

In hac provincia Capitulum etiam jus habet commendandi ad Episcopatum vacantem propter mortem vel translationem prioris Episcopi. Modus commendandi habetur in primo Concilio Westmonasteriensi et in Statutis Capitularibus. West. I. d. 12.

Eliguntur a Capitulo tres quorum nomina ordine alphabetico mittuntur ad Archiepiscopum vel Episcopum seniorem, "ut cœtus episcopalis, consiliis collatis, circa tria nomina . . . ad S. Cong. referat, annexo suo de singulis commendatis judicio." Tunc S. Sedes unum ex his tribus nominat, vel alium prout sibi visum fuerit.

Articulus III.

DE PAROCHIS ET QUASI-PAROCHIS.

Parochus definitur Presbyter legitime deputatus ad procurandam animarum salutem certæ portionis diœcesis, tum mediis quæ caritas suggerit, tum præsertim administratione verbi Dei et sacramentorum ex obligatione et proprio nomine, eidem portioni diœcesanorum, qui vicissim tenentur ab eodem aliquatenus saltem sacra recipere. Ballerini, IX. n. 321.

Dicitur *mediis quæ caritas suggerit*, non enim habet jurisdictionem in foro externo ad leges, censuras, pœnas publicas ferendas.

Ex obligatione et proprio nomine, proinde habet ordinariam jurisdictionem in foro interno. In quo distinguitur a missionariis et curatis ad nutum amovibilibus.

Qui vicissim tenentur, olim ei confiteri tenebantur, ab eo audire verbum Dei in ecclesia parochiali, nunc consuetudo hæc abrogavit. Manet obligatio ab eo petendi Eucharistiam in Paschate, Viaticum et Extremam Unctionem extra casum necessitatis, baptismum et matrimonium. Quæ sacramenta vocantur parochialia, et etiam apud nos a quasi-parocho sunt petenda ex obligatione, excepta Eucharistia in Paschate.

In hac provincia Westmonasteriensi nullos parochos habemus, sed vel missionarios rectores vel missionarios simplices. Qui a parochis differunt:

1. Modo quo acquirunt vel amittunt ecclesias

suas; parochi eas acquirunt per institutionem canonicam post concursum vel præsentationem patroni; amittunt nonnisi propter causam gravem, notoriam, et servato juris ordine. Missionarii rectores et missionarii simplices acquirunt nominatione Episcopi; missionarii rectores amittunt judicio Episcopi audito consilio trium ex commissione investigationis. Missionarii simplices vel coadjutores sunt amovibiles ad nutum Episcopi. Conc. West. I. d. 13; d. 25.

2. Differunt etiam eo quod missionarii non proprio nomine sed nomine Episcopi curam animarum gerunt, ac proin non tenentur saltem sub culpa missam pro populo applicare. Jurisdictio quam habent est delegata non ordinaria. Munera rectorum et coadjutorum definiuntur Conc. West. I. d. 13; d. 25; IV. d. 10; d. 11. Hinc coadjutores curam quidem animarum habent, sibi ab Episcopo commissam cujus est eam auferre, sed ista est exercenda sub directione rectoris seu principalis sacerdotis, cujus est regere missionem seu districtum.

Obligationes vero horum quasi-parochorum, sive oriantur ex officio sibi commisso, sive ex jure positivo, fere sunt eædem ac sunt parochorum obligationes, excepto onere missam ex obligatione applicandi pro populo. S.C. de P.F. 3 Dec. 1866.

I. Tenentur igitur parochi et nostri quasi-parochi ad residentiam, seu ad commorandum assidue, et fere continuo in domo ecclesiæ, vel ita propinque ut ecclesiæ inservire possint et facile a parochianis vocari ad sacramenta administranda,

Trid. xxiii. c. 1, *De Ref.;* West. I. d. 25, n. 14; II. d. 10; S. Alphonsus, IV. n. 124.

Hinc in provincia Westmonasteriensi:

1. Coadjutores debent monere principalem sacerdotem quoties discedant etiam ad diem.

2. Principalis cui est adjutor, sine licentia potest abesse per aliquot dies, si non occurrat dies dominica nec festiva, dummodo non sæpe nec sine rationabili causa. Rationabilis vero causa eadem intelligitur ac quæ requiritur ad absentiam Episcopi legitimandam. Trid. xxiii. c. 1, *De Ref.;* S. Alphonsus, IV. n. 125.

3. Qui voluerit abesse die dominica vel festiva debet habere in scriptis licentiam Episcopi vel Vicarii, excepto casu urgentiæ quo debet quamprimum monere Episcopum vel Vicarium et idoneum substitutum relinquere.

Qua lege regulares æque ac seculares missionarii tenentur. S.C. de P.F. 4 Maii, 1868.

Licentia in scriptis quidem requiritur, non ita tamen ut viva voce data non valeat. S. Alphonsus, IV. n. 123.

Ex æqua quamvis non gravi causa quasi-parochus per bimestre abesse potest, cum tamen licentia Episcopi, quæ certo ex Concilio provinciali requiritur. S. Alphonsus, IV. n. 123; Lehmkuhl, II. n. 644.

II. Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere (Trid. xxiii. c. 1, *De Ref.*); debent quærere oves perditas (West. IV. d. 10, n. 8); statum animarum conficere (Ib. n. 9); hinc debent parochiam visitare missionarii (Valuy, Direct. sacerd. p. 111).

Ipsis specialiter commissa est cura pauperum et ægrotantium. Utrum neglectus visitationis ægrotantium constituat grave peccatum necne pendet ex circumstantiis, ut utrum fuerit probabile ægrotum grave damnum subiturum, utrum fuerit causa omissionis justa, et ex aliis hujusmodi. Lehmkuhl, II. n. 647.

III. Caritas fraterna obligat omnes ad proximum errantem corrigendum, quando potest; non tantum caritas sed et justitia obligat parochos, et quidem in gravi necessitate sub gravi, si adest spes fructus, vel si bonum commune id exigit.

IV. Parochi et quasi-parochi Missam celebrare tenentur quoties populus necesse habet illam audire; igitur diebus dominicis et festis, et pluries in hebdomada; imo optandum est ut quotidie celebrent. Trid. xxiii. c. 4, *De Ref.;* West. I. d. 18, n. 2.

Non tamen tenentur nostri quasi-parochi missam applicare pro populo nisi ex decentia. S.C. de P.F. 3 Dec. 1866.

V. Tenentur verbum Dei prædicare, nec sufficit pium librum legere, saltem dominicis et festis solemnibus; quæ obligatio est gravis sed parvitatem materiæ admittit. Trid. v. c. 2, *De Ref.*

Ad grave peccatum requiritur omissio per mensem integrum et continuum, vel per tres menses discontinuos. S. Alphonsus, III. n. 269; West. IV. d. 12, n. 5.

VI. Eisdem diebus et sub eadem obligatione catechizare tenentur pueros et puellas, imo ex lege provinciali adhuc frequentius. Trid. xxiv. c. 4, *De Ref.;* West. IV. d. 17, n. 6.

VII. Tenentur sacramenta ministrare quando sunt necessaria, aut quoties subditi rationabiliter ea petunt.

Articulus IV.

DE SACERDOTIBUS SIMPLICIBUS NON CURATIS.

I. Simplices presbyteri non solum ex caritate sed ex ipso sacerdotii officio, et ordinati titulo missionis ex juramento tenentur inservire ecclesiæ cui sunt addicti. S.C.C. 17 Jan. 1886, ap. Journal du droit canon, 10 Sept. 1893, p. 1084; Analecta, 1893, p. 498; S. Alphonsus, VI. nn. 625, 828.

Generatim ecclesia, cui sacerdotes inservire debent, est diœcesis ad quam pertinent, in specie vero est locus ille cui Episcopus eos destinat, S.C. de P.F. 28 Jun. 1830 (ap. Collect. Lacen. III. p. 22); ordinati vero titulo missionis transferri possunt ex una in aliam diœcesim intra provinciam Westmonasteriensem de consensu utriusque Episcopi, quin sit necessarium novum juramentum emittere vel ad Sanctam Sedem recurrere. S.C. de P.F. 18 Aug. 1885 (Collect. n. 1181).

II. Quamvis simplices sacerdotes canonicam obedientiam Ordinariis promittunt, non tamen obstringuntur voto religiosæ obedientiæ, hinc cum Concilium Baltimorense I. statuisset teneri sacerdotes obedire Episcopo præcipienti ut cuilibet missioni intra diœcesim vacent, S.C. de P.F. instructione data 28 Jun. 1830 (ap. Collect. Lacen. III. p. 22), innuit: "S. Congregationi placeret potius hæc verba in memorato decreto adhiberi; Monemus sacerdotes ut, memores promissionis in ordinatione

emissæ, non detrectent vacare cuilibet missioni ab Episcopo designatæ."

Ista vero promissio in ordinatione emissa obligat sacerdotes seculares etiam virtute fidelitatis ad ea officia adimplenda quibus erga episcopum ratione sui status tenebantur, ita, scilicet, ut etiam ex virtute fidelitatis sine licentia episcopi nequeant e servitio ecclesiæ cui in ordinatione fuerint addictæ discedere, et leges episcopi circa disciplinam ecclesiasticam in victu, vestitu, reddituum ecclesiasticorum administratione servare debeant. Gasparri, De sacr. ordin. n. 1070.

Quamdiu autem sacerdos bene se gesserit jus ad competentem sustentationem habet.

III. Juxta communiorem et tutiorem sententiam omnes sacerdotes jure divino ratione ordinationis aliquando, ter vel quater in anno, celebrare missam tenentur; alia vero sententia, speculative sat probabilis, numquam celebrantes a peccato saltem mortali excusat, dummodo sacram communionem in Pascha recipiant, nec ullus contemptus nec scandalum adsit, quod tamen vix aberit; cujus sententiæ ratio est quia non constat de stricto præcepto. S. Alphonsus, VI. n. 313.

IV. Antequam quis ad sacerdotium promovetur pollere debet scientia ac sanctitate requisita et vocatione divina. Cat. Rom., De sacram. Ordinis.

De vocatione divina ad sacerdotium sequentia statuenda esse videntur:

1. Vocatio externa distinguenda est ab interna. Externa vocatio est qua Episcopus aliquem eligit clero adscribendum vel libere admittit, et collatis

ordinibus in dignitate ecclesiastica constituit. Hæc necessaria est, nam episcopi est ordines conferre et probare eos quibus sunt conferendi. 1 Tim. iii. 10; v. 22; Trid. xxiii. c. 5, *De Ref.*

Hoc sensu intelligendum est illud: "*Nec quisquam sumit sibi honorem sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*" (Heb. v. 4.) Unde Catechismus Romanus: "Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis ecclesiæ ministris vocantur; nam qui in hoc ministerium se ipsos arroganter inferunt atque intrudunt, de his Dominum intellexisse docendum est, quum inquit: Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant." Pt. II. c. 7.

2. Clerici debent quidem esse idonei ad munera sua exercenda tum interne tum externe; idoneitas interior præcipue consistit in sanctitate morum et scientia convenienti. Quæ tamen non sunt vocatio interior divina.

3. Vocatio interior, prout est in Deo, est consilium divinæ providentiæ, quæ singulas creaturas ad finem ordinat, eligentis hominem ad certum specialem statum eique convenientia præparantis auxilia. Prout est in homine, vocatio est hujus consilii manifestatio per interiores inspirationes plus minus efficaces, et generatim solet se hoc consilium eatenus prodere, quatenus homo, præ oculis habito ultimo fine, sentit se, non semel ac iterum, sed sæpe ad eum statum ejusque munera affici, et consolationem experitur illum recogitans putatque se in illo salutem suam facile consecuturum. Cf. Exercitia spir. S.P.N. Ignatii, De Electione.

4. Si quis talem vocationem non sequatur, non peccat saltem graviter, effectibus non sequendi vocationem præcisis. Nam vocatio non est præceptum sed suasio, et media salutis necessaria omnibus præsto sunt quamdiu vivunt.

5. Sed melius plures casus distinguuntur:

(a) Qui non vocatus, malus est, et malo fine ad ordines accedit, peccat.

(b) Qui non vocatus bonus est et bono fine accedit non videtur peccare saltem graviter, dummodo ad suas obligationes implendas quod in se sit facere intendat.

(c) Qui vocatus renuit non videtur peccare graviter. "Itaque res eo redit, ut si qua vera est causa periculi, salutem inquam propriam amittendi et indigne sancta ministeria tractandi atque aliis animabus perniciem quoque afferendi, hæc causa in eo sit, qui ob mores corruptos indignus ac magis etiam si præterea non vocatus (etsi id per se solum non sufficeret), sanctuarium ingredi præsumit." Ballerini, IX. n. 5.

V. Si quis habituatus in peccatis occultis luxuriæ, ebrietatis, velit ordines suscipere, videtur esse repellendus a confessario sub pœna denegatæ absolutionis saltem ex jure naturæ quatenus onus susciperet viribus impar, si non ex jure ecclesiastico quod S. Alphonsus tradit, nisi non immerito præsumi possit, ipsum Dei auxiliis rite utendo fore deinceps pie victurum. Ballerini, IX. n. 13; S. Alphonsus, VI. n. 63.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM.

Articulus I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

Status religiosus definitur—Stabile vitæ institutum, ab Ecclesia approbatum pro fidelibus, qui sub certa regula et communi vivendi modo tendere volunt ad perfectionem per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ, cum traditione sui Deo facta et ab ipso acceptata.

Dicitur *stabile*, quia ad statum religiosum requiritur ut obligatio sit perpetua, hinc illæ congregationes, in quibus vota temporanea tantum emittuntur, non sunt religiosæ stricte dictæ, sed modo tantum imperfecto.

Ab Ecclesia approbatum; pertinet enim status religiosus ad cultum Dei externum, qui subest Ecclesiæ gubernationi. At Concilio Lateranensi IV. lex lata est: "Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cetero novam religionem inveniat: sed quicumque ad religionem converti voluerit unam de approbatis assumat."

Aliqua igitur approbatio requiritur, et quoad instituta votorum solemnium, adhuc vi hujus legis requiritur approbatio S. Pontificis. Aliquatenus

tamen ultimo seculo derogatum est a lege Lateranensi, ita ut nunc sufficiat approbatio Episcopi diœcesani pro institutis votorum simplicium. Hinc institutum quod habet vota perpetua etiamsi sint tantum simplicia et Episcopi approbationem, gaudet vita religiosa, ejusque membra sunt vere religiosi. Talia instituta ordinarie vocantur congregationes religiosæ et subduntur omnimodo Episcopi jurisdictioni. Bouix, De jure Regularium, I. p. 217; Zitelli, Apparat. jur. eccles. p. 243.

Si talia instituta velint, possunt petere approbationem S. Cong. Episcoporum et Regularium, vel in locis missionum S.C. de P.F. Si Sacræ Congregationi re examinata approbare institutum placeat, generatim primo datur decretum laudis, quod vocatur, quo scopus et finis instituti laudatur, et post aliquod intervallum decretum approbationis. Cujus approbationis ea est vis ut nequeat Episcopus postea constitutiones immutare nec se ingerere in regimine instituti interno. Ut habeantur vota solemnia et ordo religiosus sensu strictissimo requiritur, ut est dictum supra, approbatio S. Pontificis; cujus approbationis ea est vis, ut sit judicium infallibile de sanctitate instituti, et simul permissio ut erigatur. Aliqua igitur approbatio ecclesiasticæ auctoritatis requiritur, sed quælibet ex tribus sufficit.

Regula, quæ requiritur ad determinandum modum quo tendatur ad perfectionem, quo vita communis agatur, quo obedientia Prælato præstetur.

Communi vivendi modo, qui est cœtus plurium una viventium sub obedientia unius, ut distinguatur

a vita eremitica. Non agitur de vita communi quam vocamus, quæ consistit in æqualitate quadam inter omnes religiosos ejusdem familiæ quoad victum, vestitum et habitationem; quæ tamen ab Ecclesia religiosis præscribitur.

Ad perfectionem. Perfectio alicujus entis in genere est optima habitudo ad finem. Finis hominis est Deus, unio cum Deo, quam efficit caritas, perfectio igitur hominis in caritate consistit. Tenditur ad perfectionem per exercitium operum caritatis; vita religiosa est status perfectionis quia imponit obligationem tendendi ad perfectionem, dat media, et per tria vota removet impedimenta præcipua, scilicet tres concupiscentias, amorem voluptatum, divitiarum et voluntatis propriæ.

Episcopatus est status perfectionis exercendæ; sunt enim Episcopi vi status perfectores aliorum; sacerdotes curati modo imperfecto, inchoato, dici possunt esse in statu perfectionis exercendæ propter eamdem rationem. Suarez, De Relig. tract. vii. lb. 1, cc. 14, 15, 17.

Vota requiruntur ad stabilitatem statui necessariam dandam; nam non potest esse a lege superioris, consilia enim non sunt materia præcepti; debet igitur provenire ab intrinseco, quod aliter vix potest fieri quam voto. Ad completum statum perfectionis requiruntur tria illa vota, quia removent maxima impedimenta perfectionis quæ sunt bona temporalia, voluptas et propria voluntas: quibus remotis via perfectionis erit facilis, ut convenit statui perfectionis. S. Thomas, II-II. q. 186, a. 2, ad 3.

Distinguuntur vota solemnia et vota simplicia.

In quo votorum solemnitas consistat non conveniunt Doctores:

Prima sententia est S. Thomæ (II-II. q. 88, aa. 7, 9), quæ dicit illam consistere in quadam consecratione, qua homo perpetuo mancipatur servitio divino.

Alteria sententia est Suarezii aliorumque juxta quam consistit in traditione et acceptatione Ecclesiæ, et simul in quibusdam juridicis effectibus quibus homo redditur incapax ad certos actus voto contrarios.

Tertia defenditur a Busembaum, Craisson, aliisque, et ponit eam in acceptatione Ecclesiæ, quæ ut talia ea accipit.

Juxta alios solemnitas consistit in quadam vi qua homo fit religiosus stricte dictus, et perpetuo et absolute obstrictus divino servitio; quæ quidem cum S. Thoma potest dici consecratio.

Quidquid sit, constat solemnitatem voti esse ex sola lege ecclesiastica, *C. unic. De Voto in 6°*. Proinde a S. Pontifice dispensari potest etiam votum solemne.

Cum traditione per superiorem ordinis cui mancipatur, qui eum acceptat nomine Dei, et cui obediendo alter se tradit.

I. Obligationes particulares religiosi profluunt ex ejus professione status religiosi. Vi hujus professionis tendere ad perfectionem tenetur. Tendit autem ad perfectionem observando vota paupertatis, castitatis et obedientiæ; seu in professione vovet paupertatem, castitatem et obedientiam juxta constitutiones et regulam. Hinc:

1. Tenetur religiosus observare vota sub gravi in gravi materia, et statum conservare.

2. Obligatio ejus etiam se extendit secundario saltem ad regulam; nam vovet paupertatem, obedientiam non quamcumque sed in vita regulari servandam. Plurium ordinum regula, sicut Ordinis Prædicatorum et Societatis Jesu, non obligat directe sub peccato nec mortali nec veniali, est quasi lex pœnalis. Talem regulam si quis violat non peccat præcise ob violationem regulæ, ut patet; sed ordinarie motivum ejus erit minus rectum, minus honestum, ducetur otiositate, respectu humano, negligentia, et venialiter peccabit. Si præterea regulam transgrediatur ex contemptu formali erit peccatum mortale. Contemptus hic potest esse in intellectu, quando judicium fertur directe contra auctoritatem ecclesiæ regulam approbantis. Est peccatum superbiæ. Secus si mere judicat aliquam regulam esse minus sibi vel tempori accommodatam. Vel iste contemptus est in voluntate qua non vult subjici regulæ, non alicui particulari, sed toti, nec subjacere religiosæ disciplinæ, et est peccatum mortale, "quia hoc directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam." S. Thomas, II-II. q. 186, a. 9; Ballerini, IX. n. 84.

II. Religiosus ad parochiam promotus tenetur religiosis obligationibus quæ cum suo munere consistunt. Similiter Episcopus regularis, qui tamen quoad obedientiam mutat superiorem, nunc enim immediate subest etiam voto S. Pontifici; quoad paupertatem acquirit suæ ecclesiæ non

monasterio, et rerum latiorem usum habet. Bouix, De jur. Reg. II. p. 68.

III. Apostatæ et fugitivi suis obligationibus non solvuntur, et tenentur ad religionem redire. Apostatæ sunt qui criminose discedunt a religione cum animo non amplius redeundi ad regulare institutum; fugitivi qui discedunt absque licentia, sed cum animo revertendi. In jure æquiparantur. Ferraris, s.v. Apostasia.

Articulus II.

DE VOCATIONE AD STATUM RELIGIOSUM.

Quid sit vocatio in genere jam vidimus tractantes de vocatione ad statum clericalem.

I. Datur etiam vocatio ad religionem; et quidem supposita idoneitate et possibilitate, juxta mentem S. Thomæ et juxta alios Doctores omnibus indiscriminatim consilia evangelica proponuntur; et sane Christus Dominus dixit—*Qui potest capere, capiat.* Matt. xix. 12.

Unde non potest esse quæstio de peccato si quis non vocatus religionem ingrediatur. Ballerini, IX. n. 219.

Utique si quis ingrederetur novitiatum sine animo profitendi, vel profiteretur sine animo obligationes implendi peccaret.

Si cum statu religioso conjungatur status clericalis, temere ageret qui non vocatus sese ingereret, sed si haberet animum faciendi quod in se est, non graviter peccaret, ut videtur.

II. Qui vocatus non vult ingredi exponit se magno periculo, et si nulla spes adsit se salvandi in seculo, graviter peccat; sed per se quatenus *consilia* proponuntur non *præcepta*, qui non vult vocationem ad religionem sequi non peccat.

III. Signa autem vocationis sunt idoneitas tum interna tum externa, et constans inclinatio ad eum statum, vel persuasio se posse facile in eo statu se salvare; inclinatio scilicet supernaturalis, nam repugnantia naturalis bene existere potest cum optima vocatione. Lehmkuhl, I. n. 508; Ballerini, IX. n. 219.

IV. Qui mediis injustis aliquem avertit a religione peccat contra caritatem et justitiam; qui suasionibus aliisve mediis non injustis, contra caritatem tantum delinquit.

Articulus III.

DE NOVITIATU.

I. Omnes ac ii soli qui sunt sui juris nec aliis obstricti religionem ingredi possunt. Prohibentur igitur impuberes qui quoad vitæ dispositionem subsunt parentibus, conjugati post matrimonium consummatum, episcopi. S. Alphonsus, IV. n. 65.

II. Invitis parentibus possunt filii puberes ingredi nisi parentes sint in extrema vel gravi necessitate. Pubertate enim adepta, filii sui juris sunt quoad ea quæ pertinent ad statum vitæ præsertim religiosæ; in necessitate vero parentum caritas exigit ne eos deserant. S. Alphonsus, IV. n. 68.

III. Filius jam professus tenetur egredi si possit succurrere parentibus in extrema necessitate, quod certum esse dicit S. Alphonsus; utrum vero in gravi eorum necessitate teneatur vel possit egredi disputant Doctores; practice igitur potest sed non tenetur; ordinarie tamen melius eis succurret aliis mediis quam egrediendo. S. Alphonsus, IV. n. 67.

IV. 1. Ære alieno gravatus qui incertis creditoribus debęt potest statim religionem ingredi, se enim et sua religioni dando debita extinguit.

2. Qui sine periculo salutis in seculo manere nequiret, aut qui diu expectare deberet ut solveret, potest bonis cedere creditoribus et religionem ingredi.

Positiva prohibitio Sixti V. et Clementis VIII. intelligitur de iis qui intra tempus non diuturnum solvere possunt.

3. Qui sine salutis periculo et brevi manendo in seculo solvere potest, licite ante solutionem ingredi nequit. Lehmkuhl, I. n. 514; S. Alphonsus, IV. n. 71.

V. Parochus potest ingredi religionem, monito sed contradicente Episcopo, nisi sequeretur grave damnum parœciæ. Idem est affirmandum de clerico inferiore, nec tenetur refundere expensas educationis in seminario episcopali. Plures tamen, sicut ordinati titulo missionis, juramentum emittunt de non ingrediendo religionem, absque licentia S.C. de P.F. Cujus effectus est non iis vetare ingressum, sed rationes expendendas S. Congregationi reservare. S.C. de P.F. 8 April, 1661, apud Collectanea, n. 361; 27 April, 1871, apud Collect. West-

monast. p. 383; Ballerini, IX. n. 215; Nilles, Selectæ Disputationes, p. 35.

VI. De jure communi potest religiosus transire ad ordinem strictiorem, si constiterit hunc paratum esse eum recipere, petita quamvis negata licentia sui Prælati. Speciale tamen privilegium aliqui Ordines habent vi cujus requiritur consensus utriusque Prælati.

VII. Ut quis ad novitiatum admitti possit sufficit quoad masculos annus pubertatis, imo adhuc maturius ex privilegio candidati admittuntur, Leo XII. enim 2 Mart. 1827 concessit Societati Jesu ut posset admittere ad novitiatum pueros anno ætatis duodecimo expleto.

Ad habitum tamen non debent admitti moniales ante decimum quintum ætatis annum expletum, et ante habitus susceptionem, ex Trid. xxv. c. 17, *De Reg.*, et iterum ante professionem, Episcopus per se vel per alium explorare debet puellæ voluntatem, an coacta, an seducta, an sciat quid agat.

VIII. Ad validitatem professionis ex Trid. xxv. c. 15, *De Reg.*, annus integer novitiatus non interruptus requiritur. Annus vero interrumpitur si novitius discedat animo non revertendi etiamsi statim revertatur; si absolute a superioribus dimittatur; non autem si ad tempus cum licentia apud exteros divertat, vel si falsa accusatione dimittatur. Si discedat novitius post annum probationis, ac dein revertitur post breve intervallum, profiteri potest. Indiget vero novo novitiatu si post professionem discedat et postea revertatur.

Quod præscripsit Trid. xxv. c. 17, *De Reg.* circa

explorationem voluntatis puellæ, et c. 15, *De Reg.* circa annum integrum novitiatus respicit tantum ordines religiosos cum votis solemnibus; expedit tamen ut observetur in congregationibus votorum simplicium. Marc. n. 2143; Craisson, n. 2657.

IX. De jure communi novitiatus est peragendus in habitu ordinis et in monasterio ad hoc destinato; spectanda tamen sunt ordinis privilegia.

X. Ex Trid. xxv. c. 16, *De Reg.* novitius debet bonis renunciare intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Dantur tamen privilegia in hac etiam materia.

XI. Non vi voti sed vi contractus et jurisdictionis novitii obedire tenentur suis superioribus in novitiatu. Probabiliter novitii non subjacent casibus in ordine reservatis. Ferraris, s.v. Novitiatus.

XII. Ex jure communi ut postulans licite ad habitum admittatur requiruntur testimoniales litteræ tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans post expletum decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit. S.C. super Statu Regularium, 25 Jan. 1848. Lehmkuhl, I. n. 504.

Articulus IV.

DE PROFESSIONE.

Professio est promissio rite facta et legitime acceptata qua quis se adstringit ad vota paupertatis, castitatis, et obedientiæ, juxta proprii Ordinis constitutiones observanda. Zitelli, Apparat. jur. eccles. p. 228.

Stricte sumpta fit professio per vota solemnia,

quando autem vota simplicia emittuntur adest professio late dicta.

I. Ad valorem professionis requiritur ut vovens sit aptus, ut consensus sit liber, ut habeatur Superioris acceptatio.

Ad aptitudinem pertinet ut vovens annum ætatis decimum sextum juxta Tridentinum compleverit, ut annum novitiatus transegerit, ut nullum habeat impedimentum juxta Ordinis statuta substantiale.

Ad consensum pertinet ut adfuerit intentio professionem faciendi, et ut absit fraus, dolus, error, vis et metus contra substantiam actus.

Superior vota acceptat nomine Ecclesiæ, ipsiusque Ordinis.

Insuper ex Brevi Pii IX. *Universalis Ecclesiæ*, 7 Feb. 1862, viros ante professionem votorum solemnium triennium transigere oportet cum votis simplicibus post annum novitiatus emissis. Alia quæ istud decretum magis explicant habentur in variis decretis subsequentibus. Lucidi, De Visitat. sacr. lim. II. n. 143; Lehmkuhl, I. n. 505.

II. Si quis putat professionem suam esse nullam, non ideo e religione potest egredi; sed intra primum quinquennium reclamare debet, et causa acta duplicem sententiam conformem reportare. Ferraris, s.v. Professio Religiosa.

III. De jure communi ut religiosus solemniter professus ejiciatur requiruntur grave crimen, et incorrigibilitas, et processus judicialis. Facilius dimittuntur juxta Ordinis constitutiones et S. Sedis ordinationes religiosi votorum simplicium, quæ ipsa dimissione cessant.

Articulus V.

DE PAUPERTATE.

Paupertas est carentia bonorum temporalium quæ pretio sunt æstimabilia. Paupertas vero religiosa est voluntaria paupertas, seu renunciatio bonorum temporalium propter amorem Christi, juxta illud: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.* (Luc. xiv. 33.) Attamen perfectio Christiana non est sita in paupertate sed in Christi sequela, paupertas est tantum instrumentum vel exercitium perveniendi ad perfectionem. (S. Thomas, II-II. q. 188, a. 7.) Equidem paupertas religiosa non necessario est absoluta, legimus enim,—*Quia loculos habebat Judas,* —ad usum Christi Domini et discipulorum. (Joan. xiii. 29.) Quatenus igitur paupertas medium est ad finem, diversa erit pro finibus diversis religionum, ut docet Angelicus: "Tanto erit unaquæque religio secundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini." (II-II. q. 188, a. 7.) Hinc votum paupertatis, seu promissio paupertatis religiosæ servandæ, supposita ejus essentia quæ consistit in renunciatione usus et dispositionis bonorum temporalium independentis, varios effectus habebit in variis ordinibus religiosis juxta leges Ecclesiæ et regulas Ordinis; præcipua vero distinctio est inter votum solemne et votum simplex.

I. Votum solemne paupertatis reddit religiosum

absolute incapacem dominii in particulari seu personaliter cujuslibet rei temporalis pretio æstimabilis. Aliquando tamen S. Sedes dispensavit ut, non obstante voto paupertatis solemni, religiosi dominium radicale bonorum temporalium retinerent. Lehmkuhl, I. n. 524.

Dominium autem est facultas legitima disponendi de re aliqua tamquam sua. Est *perfectum* si facultas est disponendi tum de re tum de ejus usu; *imperfectum* vero si tantum habetur facultas disponendi de alterutro; quod si est facultas disponendi tantum de re vocatur directum, seu *radicale*, si tantum de usu *indirectum*.

Dominium
- Perfectum, de re *et* de ejus usu.
- Imperfectum, de re *aut* de ejus usu
  - directum, seu radicale, de re.
  - indirectum, de ejus utilitate.

Dicitur *personaliter*, nam per se paupertas religiosa non prohibet quominus res temporales in communi possideantur, imo juris communis axioma est, —Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit, — quidquid igitur monacho dono, mercede, legato, hereditate obvenit, acquirit ejus monasterium. Cappuccini vero, Minores de Observantia, Professi et Coadjutores formati Societatis Jesu nequeunt heredes institui, seu quidquam titulo hereditatis legis dispositione accipere, nec Domus eorum nomine. Ballerini, VIII. pt. iii. n. 788.

Pretio æstimabilis, unde retinet jus religiosus ad honorem, famam, ad jus eligendi et præsentandi ad beneficium, nec peccat contra paupertatem si de

reliquiis disponit, si dat consilium etiam pretio æstimabile, si pro aliquo Missam celebrat, si manuscripta quæ valore pecuniario carent donat. Ballerini, IX. n. 105.

Ex natura sua votum paupertatis non læditur actibus internis, nisi eum actum externum pro objecto habeant, qui ex se voto paupertatis prohibeatur. Lehmkuhl, I. n. 520.

II. Voto simplici paupertatis religiosus non renunciat dominio directo, sed renunciat dominio indirecto, seu juri usus et dispositionis omnis independentis a voluntate superioris. Hinc peccat religiosus votorum simplicium contra votum si utatur etiam suis vel de iis disponat sine licentia superioris; valide tamen de suis disponit etiam sine licentia, sed ejus dispositiones a superiore revocari possunt, nisi tertius exinde jus acquisiverit. Ballerini, IX. n. 103.

Resolves: Religiosus votorum simplicium dominium directum retinet:

1. Omnium bonorum quæ ante professionem possidebat, nisi de iis ante professionem absolute disposuit.

2. Eorum fructuum, quia res fructificat domino. Attamen vel a Sancta Sede vel constitutionibus Ordinis regulariter præscribitur ne fructus accumulentur post vota emissa: ac proinde ante professionem renunciare debet usum, usumfructum, et administrationem suorum bonorum quibus voluerit. Lucidi, De Visit. sacr. limin. II. n. 319.

3. Omnium bonorum quæ ei obveniunt titulo hereditatis, legati, vel doni intuitu personæ facti.

Quidquid propria industria vel labore acquirit, monasterio cedit, sicut etiam stipendia et honoraria Missarum.

III. Ut voto paupertatis ligatus a peccato excusetur si quo utatur, si quid accipiat vel donet requiritur licentia superioris; sufficit vero licentia præsumpta, ac multo magis actualis vel virtualis, vel tacita; licentia præsumpta qua nempe rationabiliter judicat superiorem consensurum si venia peteretur. Talis enim non peccat contra votum, cum non agat nomine proprio nec independenter a superiore. S. Alphonsus, IV. n. 18.

IV. Peccatum contra votum paupertatis est grave ex genere suo, admittit tamen parvitatem materiæ. "Qua in re communis et verissima sententia est, eam quantitatem necessariam esse et sufficere, quæ necessaria est et sufficit in hominibus secularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti: quia hoc proprietatis peccatum se habet instar furti. Sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito superiore, cui per votum paupertatis omnes suas actiones quoad recipiendum, retinendum aut distribuendum aliquid pecunia æstimabile religiosus subjicit. . . . Et P.N. Gen. Claudius Aquaviva jussit, re cum peritissimis consultata, ita observandum in Societate Jesu." Sanchez, in Dec. vii. c. 20, n. 3; Ballerini, IX. n. 124.

V. Peculium est pecunia vel quod pecunia æstimatur, ut pensiones, census, esculenta, utensilia, alia, de quibus ad usum proprium disponit religi-

osus in majori vel minori dependentia a superiore. De quo sequentia statuenda videntur:

1. Peculium habere independenter omnino a voluntate superioris est illicitum, utpote contra essentiam paupertatis religiosæ, quæ prohibet quominus religiosus quidquam pretio æstimabile ut proprium habeat.

2. Peculium habere dependenter a voluntate superioris qui possit illud revocare, et cujus usus est dependens a superioris licentia per se non repugnat paupertati religiosæ.

3. Vetitum tamen videtur lege positiva. (Trid. xxv. *De Reg.* c. 2.) Cui autem legi consuetudine derogatum est in pluribus ordinibus. S. Alphonsus, IV. n. 15; Ballerini, IX. n. 115.

VI. Religiosus qui pauperibus distribuit pecuniam a domino designatis, non peccat contra paupertatem, nullum enim actum proprietatis ponit sed tantum pecuniam alienam administrat. Imo probabiliter idem est dicendum etiamsi qui a religioso accipiant non fuerint a domino designati, dummodo religiosus nomine alieno non nomine proprio agat. Lugo, II. n. 54; Ballerini, IX. n. 131.

VII. Religiosus qui sine licentia superioris aliquam rem in depositum recipit, quatenus obligationem contractus suscipit contra paupertatem peccat; secus si rem accipiat tantum in fidam custodiam. Ballerini, IX. n. 133.

Articulus VI.

DE VOTO CASTITATIS.

I. Voto castitatis homo promittit Deo se abstenturum ab omni delectatione venerea, non tantum quæ habetur ex actu externo sed etiam ex actu interno, non tantum ab illicitis sed etiam ab iis quæ intra matrimonium licent. "Ipsemet actus internus cadit etiam sub tale votum, nam est universalis promissio abstinendi ab omni actu voluntario, tam interno, quam externo castitati contrario." Suarez, De Rel. tom. iii. lb. ix. c. 2, n. 2; Lehmkuhl, I. n. 531.

II. Is qui voto castitatis ligatur obligatione duplici tenetur ad castitatem servandam, obligatione virtutis et voti, ac proinde in eo violatio castitatis est duplex peccatum. Unicum tantum esset peccatum in casu in quo conjugatus voto castitatis ligatus contra votum matrimonio uteretur.

III. In luxuria directe quæsita vel libere admissa non datur parvitas materiæ; ac proinde ubi directe quæritur vel admittitur quælibet delectatio venerea contra votum graviter peccatur.

IV. Quoad effectus votum solemne differt a voto simplici. Votum enim solemne irritat sponsalia et matrimonia futura, et si emissum sit in ordine religioso matrimonium ratum antecedens. Votum simplex non irritat matrimonium, nisi subsequens in Societate Jesu ob speciale privilegium; reddit autem illud graviter illicitum, aliis verbis est impedi-

mentum impediens non dirimens ex lege communi. Irritat votum simplex sponsalia subsequentia, quia promissio rei illicitæ non valet; utrum etiam antecedentia non constat, plures enim cum Navarro, Laymann, Palao, negant, quia Deus non acceptat promissionem rei jam alteri promissæ. S. Alphonsus, VI. n. 873.

V. Ad castitatem tuendam introducta est in domos religiosas vi regulæ, mandato Episcopi, vel lege Pontificia, clausura. Hic breviter dicendum est de clausura papali quæ omnes religiosos et religiosas qui vota solemnia emittunt obligat, non vero alios nisi ex speciali privilegio, quali gaudet Congregatio Sanctissimi Redemptoris.

Strictior est clausura quæ moniales ligat, de qua primo agitur, quam quæ ligat religiosos viros.

Lex vigens continetur in C. Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, ubi inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatas legitur sub numero VI:

"Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Const. *Decori* præscriptam."

Duo igitur prohibentur sub pœna excommunicationis:

1. Ingressus externorum cujuscumque sexus vel ætatis si sint doli capaces, i.e., septennes, absque licentia Episcopi; qui autem eos introducunt aperiendo januam, vel admittunt, vel non obstant quando obstare debent, eadem pœna plectuntur. Excepti-

ones et alia particularia dant commentatores in dictam Constitutionem.

2. Egressus monialium nisi adsit justa causa, ut, propter magnum incendium, vel infirmitatem, lepram, epidemiam, bellum, latronum incursus; etiam in his casibus quatenus est possibile requiritur licentia Episcopi in scriptis.

Pauci conventus monialium in Anglia clausuræ papali subjiciuntur ob defectum votorum solemnium.

VI. Regulares viros etiam obligat lex clausuræ papalis, et quidem per se prohibetur egressus religiosorum et ingressus mulierum, diverso tamen modo.

Sic enim præter alios Summos Pontifices Clemens VIII. C. *Nullus*, egressum prohibuit: "Nullus e conventu egredi audeat, nisi ex causa et cum socio licentiaque singulis vicibus impetrata a superiore." Constitutio vero Pii IX. *Apostolicæ Sedis* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ ingressum mulierum prohibuit: "Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes."

1. Primo igitur prohibetur religiosorum egressus sine licentia et sine socio, non tamen sub censura. Et quidem præceptum non egrediendi sine socio et sine licentia superioris numquam tam grave fuit pro viris ac pro monialibus. Jam S. Alphonsus dixerat: "Censent tamen rationabiliter Anacletus et Sporer cum communi non peccare graviter religiosum semel vel iterum exeuntem de die sine licentia, nisi hoc agat ex contemptu, vel cum scandalo; secus vero dicendum de nocturno et furtivo egressu."

S. Alphonsus, IV. n. 37; Cfr. Pennacchi, Com. in C. Apost. Sedis, p. 775; Ballerini, IX. n. 158.

Excepto igitur nocturno et furtivo egressu, qui casus est reservatus, pars præcipua clausuræ papalis quæ regulares viros afficit ingressum mulierum respicit, prout habetur in C. Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, n. vii.:

"Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes."

Dicitur *mulieres*, scilicet feminæ rationis usum habentes et puberes. Excipiuntur reginæ, electrices, et similes, earumque filiæ.

Violantes, nempe ingrediendo.

Regularium virorum, qui solemnia vota emittunt.

Clausuram, qua significatur totum illud spatium quod septis monasterii continetur, adeoque officinæ, cœnacula seu refectoria, valetudinaria seu infirmaria, dormitoria, coquina, etc., claustra, horti, prata, viridaria nisi separata sint clavi et muro convenienti; non tamen ecclesia nec sacristia. Nomine autem monasterii seu conventus non veniunt domus privatæ, seu residentiæ, ubi unus aut alter religiosus habitare consuevit. Bucceroni, II. n. 1190; Ramière, Comp. Instit. S.J. n. 137.

Admittentes, scilicet superiores vel inferiores recipientes, vel non impedientes cum impedire possint et debeant.

Articulus VII.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

I. Votum obedientiæ obligat ad ea omnia præstanda quæ superior præcipit secundum regulas et constitutiones ordinis. Promittit enim religiosus se obediturum superiori; obedientiæ autem objectum est præceptum superioris, tacitum vel expressum. S. Thomas, II-II. q. 104, a. 2.

Dicitur *præstanda*, scilicet actu externo, nam, ut infra dicetur, votum obedientiæ se extendit solummodo ad actus externos; virtus utique obedientiæ ulterius procedit.

Præcipit, merum beneplacitum superioris non inducit obligationem vi voti; præcepta vero superioris sunt vel actualia vel mandata stabilia, in regula vel in constitutionibus contenta.

Quatenus si superior non *præcipit* non tenetur subditus vi voti obedire, hinc regula quæ sub culpa non obligat non est voti objectum immediatum; fit tamen voti objectum cum superior pœnam imponit non servanti regulam, tenetur nempe talis pœnam acceptare vi regulæ et vi voti. Suarez, VII. lb. 10, c. 7, n. 6; Ballerini, IX. nn. 168, 170.

Secundum regulas, i.e., ea quæ ad perfectam regulæ observationem vel necessaria vel utilia aut convenientia prælato videantur et ab eo præcipiantur; ideoque quæ ad regulam pertinent vel directe vel indirecte seu reductive. Hæc sane intra limites regulæ comprehenduntur, nec enim putan-

dum est ea solum posse præcipere prælatum, quæ jam in regula scripta inveniuntur. Ballerini, IX. n. 171.

Non inutilia *infra* regulam, nec *supra* regulam, cujusmodi essent jugis contemplatio et quotidianæ flagellationes in Societate Jesu. Ballerini, IX. n. 175.

In dubio utrum præceptum sit secundum regulas, generatim superiori est obediendum, nisi constet eum in tali rerum genere nihil posse, ut si in Societate Jesu subditus juberetur acceptare Episcopatum. Lehmkuhl, I. n. 537.

II. Peccatur graviter contra obedientiam a religioso in sequentibus casibus qui raro occurrunt: 1. Quando in materia gravi præceptum est in virtute sanctæ obedientiæ, seu cum intentione manifestata gravem obligationem imponendi. 2. Quando ex contemptu formali subditus præcipienti respondit—Nolo parere. 3. Quando ex inobedientia sequitur grave damnum vel scandalum. Gury, I. n. 1121; Ballerini, IX. n. 172.

III. Religiosus graviter inobediens peccat graviter contra religionem et contra virtutem obedientiæ; radix primi est votum, radix alterius est traditio sui et promissio qua se devovit religioni. Quod videtur tenendum contra Sotum aliosque qui dicunt unicum committi peccatum, sicut si quis dare eleemosynam pauperi voveret, nullum jus pauper acquireret; neganda tamen est paritas. Ballerini, IX. n. 165.

IV. In superiore religioso ordinarie adest duplex potestas, dominativa quæ ex contractu oritur, et

potestas jurisdictionis. Superiorissa monialium habet primam, non autem alteram; sufficit tamen potestas dominativa ad strictam obligationem et pœnam imponendam; unde nullum dubium quin Abbatissa sub gravi in gravi materia præcipere possit. Ballerini, IX. nn. 164, 174.

V. Controvertitur inter Doctores utrum obligatio voti obedientiæ se extendat ad actus mere internos. Videtur cum Lugo et communi sententia dicendum, quamvis ex contractu possit oriri in superiore facultas præcipiendi actus mere internos, hanc non videri in ulla religione esse voventis intentionem, ut se obliget sub peccato gravi ad obediendum circa actus mere internos ex vi voti religiosæ obedientiæ. (Resp. moral. VI. d. 7, n. 5.) Nec contraria sententia probari videtur ex eo quod superior votum subditi irritare possit. Nam tale votum est conditionatum et pendet a voluntate superioris, unde si hic dissenserit eo ipso votum est nullum.

VI. Præter majorem firmitatem quæ ex parte religiosi et Ordinis inest voto solemni obedientiæ, non videtur esse aliud discrimen inter votum solemne et votum simplex. Quidam utique tradunt obligationes susceptas a ligato solemni voto obedientiæ independenter a voluntate superioris esse irritas, dum obligationes independenter susceptæ a ligato simplici voto sint tantum irritabiles a superiore; quæ distinctio probari non posse videtur. De isto supposito effectu voti solemnis obedientiæ ita scribit Suarez: "Fatemur habere pontificem potestatem approbandi institutum religiosum, in quo ex vi professionis impediantur volun-

tates religiosorum, ut valide se obligare aut vovere possint; sintque talia vota non solum infirma, sed etiam irrita. Nihilominus tamen non credimus id fecisse; quia canones id non declarant, et suavius explicantur, ac sufficienter de irritabilitate obligationis potius quam de irritatione. Item quia communis usus et consensus religionum ita explicat hunc effectum. Item quia illa irritatio esset nimia, et (ut sic dicam) inhumana subjectio, statui religioso minime necessaria imo neque conveniens." De Rel. III. lb. ii. c. 13, n. 19; Bouix, De Reg. I. p. 109; Lehmkuhl, I. n. 535.

INDEX ALPHABETICUS.

NUMERUS PAGINAM INDICAT.

A

Abortus et acceleratio partus 289;—quando licent 290.
Abstinentiæ lex 480;—qualis ejus obligatio 481;—excusationes admittit 481;—dispensatur 482.
Accessio 347.
Accusator 499.
Acedia 150.
Actiones, num in Dei gloriam dirigendæ 24.
Actor 499.
Actus humanus quid sit 1;—hominis 2;—humani elementa 2;—primo-primus 2;—deliberatus 3;—divisiones 5;—intrinsece mali 22;—externus confitendus 23;—indifferens 23.
Adjuratio 242.
Administrator testamenti 385.
Adoratio quid sit 198;—cui exhibenda 199.
Adulterium 310.
Advocatus 495;—ejus obligationes 495;—honorarium recipit 496;—quatenus in causa divortii agere licet 496.
Æquiprobabilismus 40.
Agency v. Gestor negotiorum.
Aggressoris injusti occisio 285.
Ambitio 140.
Apostasia 157.
Arbitri 493.
Assecuratio 418.
Auction 403.
Avaritia 141.

B

Bailment 406.
Bankruptcy v. Cessio bonorum.
Barrister v. Advocatus.
Bellum 295;—quomodo gerendum 296.
Beneficium 529;—num missio in Anglia 529.
Bestialitas 316.
Betting v. Sponsio.
Blasphemia 222.
Board-schools num in illis docere licet 264.
Bona derelicta 343;—vacantia 343, 344.

C

Calumnia 461.
Canonici obligationes 533;—jura 534.
Caritas quid sit 168;—ejus objectum 169;—necessaria 170;—ejus obligatio 171;—ejus ordo 172.
Carrier 411.

Castitatis votum 559.
Caupo 411.
Causæ a lege eximentes et excusantes 81.
Caveat emptor 393.
Cessio bonorum quæ excusat a restitutione 456.
Circumstantiæ quid sint 29;—actum specificant 30;—earum divisiones 30.
Clausura 560;—quoad moniales 560;—quoad viros 561.
Clerici legi civili obedire debent 72;—privilegia 111;—obligationes 506;—habitus et tonsura 508;—gestatio armorum et venatio 522;—ludi illiciti, choreæ, spectacula 523;—cohabitatio cum mulieribus 524;—negotiatio 525;—curatoris officium 527.
Codicillus 384.
Cœlibatus 507.
Cognatorum obligationes 270.
Collatio die jejunii 484.
Commissions v. Gestor negotiorum.
Commixtio 348.
Commodatum 408.
Communicatio in sacris 162.
Communio annua 478.
Compensatio occulta 458;—ejus conditiones 458.
Concupiscentia 15;—ejus divisiones 15;—quomodo voluntarium afficit 16;—ejus motibus resistendum 16;—quomodo resistendum 17.
Conditio 377.
Confessio annua 477.
Congregationum Romanarum decreta 66.
Conjugum obligationes 271.
Conscientia quid sit 32;—divisiones 33;—certa 33;—qualis ad agendum requiritur 34;—obligat 36;—invincibiliter erronea juris naturalis 37;—probabilis 38;—dubia 49;—scrupulosa 52.
Consensus 6, 118;—in contractu 364.
Consentiens 447.
Consideration in contractu 374.
Consuetudo quid sit 105;—ejus divisiones 106;—ejus conditiones 107.
Consulens 446.
Contractus quid sit 359;—ejus formalitates 360;—conditiones 364;—quis capax 370;—objectum 371;—causa 374;—obligat 375;—interpretatio 376;—cessatio 376;—accidentalia 377;—ad diem 378;—sub causa 378;—sub demonstratione 378.
Contumelia 149;—quid sit 465;—quam obligationem gignit 465.
Cooperatio formalis et materialis 191.
Copyright 340.
Corner 405.
Correptionis fraternæ obligatio 183;—ordo 184.
Craniotomia 291.
Culpa juridica 439.
Custodes minorum 268.

D

Damnificatio 439;—qualis obligat ad restitutionem 440;—ad quid in specie obligat 443.
Debitor in statu labili 453.
Defendant v. Reus.
Delectatio num mala 27;—morosa 134;—venerea et sensibilis 300.
Depositum 407.
Desiderium 132.
Desperatio 165.

Detractio 461;—quale peccatum 461.
Discipulorum obligationes 277.
Divinatio 203;—ejus gravitas 204.
Dolus 366.
Dominium 320;—ejus objectum 326;—subjectum 328;—filiorum familias 329;—uxorum 330;—Ecclesiæ 332;—clericorum 334;—auctorum 339;—ejus titulus 342.
Dominorum obligationes 273.
Donatio 380.
Dubium, ejus divisiones 49.
Duellum 293.
Duress 369.

E

Ebrietas 145;—num a peccato excusat 147.
Eleemosynæ præceptum 179;—obligationis gravitas 181.
Emphyteusis 415;—obligationes 416.
Employers' Liability 276.
Epikeia 86.
Episcopi a quibus legibus dispensant 89;—obligationes 531;—visitatio 532.
Error in contractu 366.
Executor 385.

F

Fama mortuorum lædi potest 462.
Famulorum obligationes 273;—qui officium negligunt 276, 448.
Festi dies observandi 475.
Fides quid sit 151; necessaria 152;—exterius profitenda 160; exterius profiteri qui tenentur 161; de fide disputatio quando illicita 164;—bona ad præscribendum 353.
Filiorum obligationes 256; ad parentes sustendandos 258.
Finis operantis quid sit 25;—operis 25;—speciem moralitatis dat 26;—intentio non mutat naturam actus externi 27;—media intrinsece mala non cohonestat 29.
Fixtures 417.
Fornicatio 308.
Fructus rei cujus sunt 435.
Furtum 427;—quale peccatum 428;—admittit parvitatem materiæ 428;—in extrema necessitate 430.
Futures 423.

G

Gaming v. Ludus.
Gestor negotiorum 412;—ejus jura et officia 413;—præter salarium nihil accipere debet 413.
Gloria vana 140.
Gula 144.

H

Hæresis quid sit 156.
Hæretici legi ecclesiasticæ subjecti 72;—formales et materiales 157;—quomodo reconciliandi 158.
Heredes necessarii 385;—legitimi 385;—voluntarii 385.
Horæ canonicæ 510;—obligatio gravis 512;—ritus 513; ordo 514;—pronunciatio 515; interruptio 516; tempus 516; anticipatio 517; locus 518; attentio 518;—excusationes 519.
Hypnotismus 207;—quatenus illicitus 208.

I

Idololatria 202.
Ignorantia 12;—ejus divisiones 12;—quando peccatum 13;

—quomodo imputabilitatem afficit 14; num reddit actum invalidum 15;—pœnæ 98;—legis irritantis 101.
Inadvertentia 15.
Incestus 310.
Infidelitas 155.
Inimicorum dilectio 176.
Injuria quid 425;—ejus species 425.
Innocentis occisio 288.
Insurance v. Assecuratio.
Inventio 343, 344.
Invidia 143.
Ira 148.

J

Jejunium ecclesiasticum 482;—excusationes admittit 486; dispensatur 486.
Judex 488;—ejus obligationes 489;—munera accipiens 490;—innocentem num condemnare licet 493.
Judicium temerarium 459.
Juramentum quid sit 224;—licitum 225;—cum restrictione mentali 226;—ejus obligatio 227;—quando cessat 229; in contractu 377.
Jurati 494.
Jus quid sit 317.
Justitia quid sit 317;—ejus species 318.

L

Lacticinia 485.
Laxismus 41.
Legatum 384.
Lex dubia non obligat 43;—quid sit 57; ejus proprietates 60;—auctor 63;—objectum 68;—actus internos non præcipit 69;—subjectum 71;—acceptatio 75;—obligatio 77;—interpretatio 84;—cessatio 88;—dispensatio 88;—naturalis 93;—divina 94;—ecclesiastica 95;—pœnalis 97;—irritans 99;—civilis 101;—civilis quatenus conscientiam afficit 102,
Libertas voluntatis 2.
Litaniæ permissæ 196.
Litteras alienas aperire illicitum 472;—earum dominium ad quem pertinet 473.
Locatio operarum 272;—solvitur 275;—rei 409;—operis 410.
Loteria 421.
Ludus 423.
Luxuria 141, 298;—ejus gravitas 301;—peccata non consummata 303; — quoad horum speciem 305.

M

Magistrorum obligationes 277.
Malefactoris occisio 283.
Mandans 446.
Mandatum 408.
Market-overt 396.
Medici obligationes 504.
Mendacium quid sit 467;—intrinsece malum 468.
Metus quid sit 17;—ejus divisiones 17;—quomodo voluntarium afficit 18;—in contractu 368.
Ministrorum Ecclesiæ sustentatio 474.
Missa audienda 244;—quomodo 244;—excusationes admittit 250.
Missionarii in Anglia in quibusdam dispensant 90;—non parochi 535;—obligationes 536;—residentia 536;—populi visitatio 537;—Missam celebrare 538;—

prædicatio 538;—catechizare tenentur 538.
Mobilia jure Anglico non præscribuntur 353.
Modus 378.
Mollities 311;—intrinsece mala 312;—mulierum 313.
Monopolium 404; quatenus illicitum 404.
Moralitas quid sit 21;—num in actu externo 23;—ejus fontes 25.
Mutilatio 281.
Mutuum 386.

N

Negotiatio 525.
Notary 497.
Novitiatum ingredi quibus licet 549.

O

Obedientiæ votum 563;—violatio 564;—quoad actus internos 565;—votum solemne et simplex 565.
Objectum quid sit 28;—actum specificat 28.
Oblivio 15.
Occasiones proximæ vitandæ 78.
Occupatio 342.
Odium inimicitiæ et abominationis 178.
Omissionis peccatum 11.
Opera prohibita die festivo 252;—excusantur 253.
Oratio quid sit 195;—ejus necessitas 196;—*A cunctis* in Missa 476.
Oratorium publicum et privatum 246.
Ordalia 210.
Oscula 306.

P

Palpo 447.
Parentum obligationes 259;—ad filios in scholis catholicis educandos 260;—quatenus in Universitatibus acatholicis 264.
Parochi in quibusdam dispensant 89;—v. Missionarii.
Participans 447.
Partnership 420.
Patent-right 341.
Patria potestas 265.
Paupertas 554;—voti solemnis effectus 554;—voti simplicis effectus 556;—violatio 557.
Peccatum quid sit 116;—philosophicum 116;—ejus divisiones 117;—essentialia 117;—specifica distinctio 119;—numerica distinctio 122;—gravitas 127;—internum 132.
Peculium 557.
Peregrini quibus legibus subjecti 73.
Perfectio 545.
Pignus 409.
Piscatio 345.
Plaintiff v. Actor.
Pollutio quale peccatum 10, 311.
Possessio 323, 356.
Possidentis conditio melior 50;—bonæ fidei obligationes 434;—rem furtivam 435;—malæ fidei obligationes 437;—dubiæ fidei obligationes 438.
Præscriptio quid sit 349;—ejus conditiones 351.
Præsumptio hominis 51;—filia superbiæ 140;—contra spem 166.
Pretium 393;—affectionis 395.
Principium duplicis effectus 9.

Privilegium quid sit 109;—quando cessat 110;—canonis 112;—fori 113.
Probabiliorismus 40.
Probabilismus 40;—ejus usus limites 45.
Probabilitas intrinseca et extrinseca 46.
Professio 552.
Promissio non bibendi 147;—contractus 379.
Promulgatio legis 58.
Prosecutor v. Accusator.
Publicum crimen revelare 463.

R

Railways 411.
Raptus 309.
Recursum præbens 447.
Referentes 494.
Regulares in quibus dispensant 89;—eorum privilegia 114.
Religionis virtus 194;—status 543;—obligationes 546.
Restitutio quid 432;—ejus radices 433;—ex homicidio 444;—ex duello 444;—ex stupro 444;—ex adulterio 444;—ex bello 445;—ex injusta cooperatione 446;—cui facienda 449;—quanta 450;—in solidum 450;—quo ordine facienda 451;—quomodo 454;—quando 455;—admittit excusationes 456;—famæ 464.
Restrictio mentalis 468;—qualis liceat 469.
Reus 500;—obligationes 501;—quid ei licet 501.
Rigorismus 40.
Rixæ 150.

S

Sacerdos non curatus 539.
Sacrilegium quid sit 211, 311; ejus gravitas 213;—actus interni 213.
Scandalum quid sit 186;—ejus gravitas 187;—regulæ ad vitandum 188.
Scrupulus 52;—scrupulorum signa et remedia 54.
Secretum 470; ejus obligatio 471;—quando cessat 471.
Simonia quid sit 216;—ejus gravitas 218;—pœnæ 219.
Societas 420.
Sodomia 315.
Somniis credere 205.
Sortilegium 205.
Specificatio 348.
Spes quid sit 165;—necessaria 166.
Spiritismus 205.
Sponsio 422.
Strike quatenus licitum 274.
Stuprum 309.
Suicidium 280.
Superbia 138.
Superiorum ecclesiasticorum obligationes 277;—civilium obligationes 278.
Superstitio quid sit 201.

T

Tempus ad præscribendum 357.
Tentatio Dei 209.
Testamentum 382;—ad causas pias 383;—revocabile 385; unde jus faciendi 386.
Testis 502;—ejus obligationes 502;—num unus sufficit 503.
Thesaurus 343, 344.
Titulus 356.

U

Undue influence 369.
Usura 387;—ex mutuata pecunia 388;—modus conciliandi praxim Ecclesiæ 388.

V

Vana Observantia quid sit 206;—ejus gravitas 207.
Vana usurpatio Nominis Dei 221.
Vasa sacra tangere cui licet 215.
Venatio 345.
Venditio et emptio 390;—mobilium 391;—immobilium 400;—sub hasta 403.
Virga divinatoria 206.
Vis quid sit 19.
Vita conservanda 279, 281.
Vitia capitalia 138.
Vocatio ad sacerdotium 540;—ad religionem 548.
Voluntarium quid sit 3;—distinguitur a spontaneo, a violento, a volito 4;—divisiones 7;—in causa, conditiones ut imputetur 8;—in causa, quando ejus malitia contrahitur 10.
Votum quid sit 230;—ex errore 231;—ex metu 231;—ejus obligatio 233;—quando cessat 235;—ejus irritatio 235;—dispensatio 237;—commutatio 240;—ejus solemnitas 546.

239.02
SL 15
SLATER, THOS.
16233

AUTHOR
Principia Theol. Moralis

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Mulvihy	AUG 19
	Ford	NOV 18
	E Lindy	DEC 3
	Ford	FEB 3 -
	Ford	FEB
	Ford	
	Egan	
	J. O'B.	
	Ky	
	C	

023

16233